


10.0

11.0

44.133



Res 44133 (4)

MORALIS CHRISTIANA

EX SCRIPTURA SACRA,
Traditione, Conciliis, Patribus,
& insignioribus Theologis


EXCERPTA.

In quâ positis & statutis principiis generalibus
deducuntur Consectaria;

*Quibus casus conscientiae sigillatim expli-
cantur.*

Autore R. P. J A C O B O B E S O M B E S , Doctore
Theologo, Congregationis Doctrinæ Christianæ,
& in Provincia Tolosana ejusdem Congregatio-
nis præposito Provinciali.

Quis quis hæc legit, ubi pariter certus est, pergit me-
cum; ubi pariter hæsitat, querat mecum; ubi er-
rorum suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum,
revocet me, & ita ingrediamur simul charitatis
viam, tendentes ad eum, de quo dictum est. Quæque
faciem ejus semper. Aug. lib. de Triâ. cap. 3.



Apud G. ROBERT, Liberalium Artium Magistrum &
Typographum, in vico Sancte Ursulæ
TOLOSA. M. DCCX.

15
T H A T
A G O D
H A S
C R E A T E D
U S
I S
A
G R A V I T Y
O F
N A T U R E
W H I C H
C O M P E N S A T E S
U S
F O R
T H E
E X P E N S E
O F
L I V I N G
I N
T H E
W O R L D
A N D
P R E P A R E S
U S
F O R
T H E
L O V E
O F
G O D
A N D
T H E
L I F E
O F
E V E R Y
A S P E C T
O F
H E A V E N

ORDO.

Eorum, quæ in hoc quarto volume continentur.

D E SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTO,	
Prœmium.	fol. 1.
T RACTATUS. I. <i>De rerum Dominio.</i>	fol. 2.
C APUT. I. <i>Quid & quotuplex sit iustitia, jus, & Dominium & possessio.</i>	<i>Ibid.</i>
<i>Quid & quotuplex sit iustitia.</i>	<i>Ibid.</i>
<i>Quid & quotuplex sit jus.</i>	3.
<i>Quid & quotuplex Jurisdictio.</i>	4.
<i>Quid & quotuplex proprietas.</i>	5.
<i>Quid & quotuplex Dominium.</i>	7.
<i>Quid & quotuplex possessio.</i>	8.
C APUT. II. <i>De his, quibus competit rerum Dominium.</i>	10.
<i>Deus habet omnium rerum creatarum sive corporearum, sive incorporearum absolutissimum & perfectissimum Dominium.</i>	<i>Ibid.</i>
<i>Consectaria hujus Doctrinæ.</i>	11.
<i>Angeli tum boni, tum mali, nullum Dominium habent propriè circa creaturas corporreas, vel circa homines.</i>	13.
<i>Consectaria hujus Doctrinæ.</i>	<i>Ibid.</i>
<i>Homo etiam privatus, hoc ipso quod est rationalis & sui compos habet jus acquirendi Dominium rerum exteriorum corporearum,</i>	
<i>Tome IV.</i>	ā

O R D O.

- & de iis pro libito disponendi , nisi aliunde
a legibus prohibeatur. 14.
Consectaria hujus Doctrinæ. 15.
Homo non potest licetè res acquirere , nec
de eis disponere , nisi juxta legitimam le-
gum , quibus subest , determinationem. 17.
Consectaria hujus Doctrinæ. 18.
Respublicæ & Reges altum habent dominium
supra bona temporalia subditorum , quo
possunt de his disponere , pro ut exigit ,
vel utilitas publica , vel pœna criminibus
debita , vel tranquillitas civium , vel fidei
publicæ conservatio. 20.
Consectaria hujus Doctrinæ. 22.
Quid lex absoluta , & quid lex conditiona-
ta. 25.-
Leges , quibus Respublica imponit tributa ad
sustinendum Reipubl. statum , vel infligit
pœnas ad punienda delicta , sunt conditio-
natæ , seu fundatæ in præsumptione. *Ibid.*
Leges , quibus Respublica statuit rerum divi-
sionem , usucapiones , & præscriptiones ,
sunt absolutæ , ligantque in conscienc-
tia. 26.
Consectaria hujus Doctrinæ. 27.
Leges , quibus Respublica ad vitandas frau-
des , dolosque præcavendos , reddit per-
sonas inhabiles ad contrahendum , sunt ab-
solutæ , obligantes in conscientia , reddunt
que irritos omnes solemnes contractus. 28.
Consectaria hujus Doctrinæ. 29.
Leges , quibus Respublica ad vitandas fraudes
dolosque præcavendos , apponit certas so-
lemnitates obligationibus & contractibus ,
videtur esse absolutæ & obligare in con-
scientia, 30.

O R D O.

- Consecaria hujus Doctrinæ. 31.
Leges suprà dictæ non eximunt contrahentes
ab obligatione naturali , si quam inierint ,
vel in ipso contractu civiliter invalido , vel
ante aut post contractum civiliter invalidum. 32.
CAPUT III. *De acquirendo & transferendo
rerum Dominio.* 33.
Attendendo ad jus naturale confirmatum per
jus civile & divinum , illicita & nulla est
ea , quæ per dolum & fraudem fit bono-
rum temporalium , vel traditio , vel acqui-
sitione. 34.
Consecaria hujus Doctrinæ. 35.
Attendendo ad jus civile confirmatum per
jus Canonicum , nulla est bonorum tem-
poralium solemnis traditio & acquisitione ,
quæ fit etiam absque fraude & dolo , si
careat solemnitatibus à jure civili requisi-
tis. 36.
Consecaria hujus Doctrinæ. 37.
Quando fit alicujus rei traditio non solem-
nis , si fiat sine dolo & fraude , qui acce-
pit , potest rem traditam retinere , quandiu
à judice non exturbabitur. 38.
Consecaria hujus Doctrinæ. 39.
Qui bona fide possidet aliquid , quod ei ob-
venit per contractum solo jure civili inva-
lidum , si à nullo compellatur coram judi-
ce , potest licet illud retinere : sed si com-
pellatur , tenetur fateri veritatem , & subi-
re sententiam judicis. 40.
Consecaria hujus Doctrinæ. Ibid.
Quid occupatio. Quid accessio. 41.
Occupatio & accessio cum debitiss conditio-
nibus. 42.
ā ij

O R D O.

- nibus sunt sufficiens titulus acquirendi res ,
nendum coram hominibus , sed etiam coram
Deo. Ibid.
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 45.
- Variæ species accessionis.** 47.
- Res inventas debemus intueri , non quasi
nostras , sed quasi alienas. 50.
- Quando res inventa ad nullum pertinet , in-
ventor debet de ea disponere juxta leges
Reipublicæ , cuius est membrum. 52.
- Consectaria hujus Doctrinæ.** Ibid.
- Quid usucapio. Quid præscriptio.** 56.
- Usucapio & præscriptio cum debitiss circum-
stantiis sunt verus titulus & sufficiens ac-
quirendi res , nedum coram hominibus ,
sed etiam coram Deo. 57.
- Ad legitimam præscriptionem requiritur pura
fides , hoc est , credulitas , quâ quis sibi
prudenter persuadeat eam rem , quam acci-
pit , aut possidet , esse suam. 58.
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 59.
- Ad legitimam præscriptionem requiritur jus-
tus titulus , hoc est , justa causa possidendi
quod nostrum non est. 60.
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 61.
- Ad legitimam præscriptionem requiritur , quod
res , quæ præscribitur , capax sit præscrip-
tionis. 62.
- Consectaria hujus Doctrinæ.** Ibid.
- Ad legitimam præscriptionem requiritur tem-
pus à lege definitum. 63.
- Diversæ præscriptionum species. Ibid.
- Ad præscriptionem requiritur possessio con-
tinuata. 64.
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 65.

ORDO.

TRACTATUS II. De variis pactis & contrahibus, quibus voluntariè transfertur rerum Dominium,	66.
CAPUT PRÆLIMINARE. De pactis, obligationibus, contractibus, & actionibus.	67.
Quid & quotuplex sit pactum.	68.
Quid & quotuplex sit obligatio.	69.
Quid & quotuplex sit contractus.	71.
Quid & quotuplex actio.	77.
CAPUT II. De his, quæ requiruntur & sufficiunt, ut pacta & contractus valeant tam jure naturali, quam civili.	78.
Ut contractus jure naturali sit validus, inducatque obligationem in foro conscientiæ, sufficit quod contrahentes liberè agant, & consensu reciproco obligentur.	79.
Consectaria hujus Doctrinæ.	82.
Ut contractus solo jure naturæ sit validus, res, circa quas fit contractus, debent esse.	
1º. In commercio hominum. 2º. In potestate contrahentium 3º. Debent ad rigidam æqualitatem reduci.	92.
Consectaria hujus Doctrinæ.	94.
Ut contractus jure naturali sit validus, requiritur, quod uterque contrahentium nullas ei apponat conditiones legi naturali repugnantes	99.
Consectaria hujus Doctrinæ.	100.
Contractus jure naturæ invalidi & nulli numquam possunt fieri validi per jus positivum civile.	104.
Consectaria hujus Doctrinæ.	106.
Contractus jure naturali validi, declarantur aliquandò invalidi per jus civile positivum.	108.

O R D O.

- C**onsectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
- L**ex civilis , quā contractus jure naturæ validi , declarantur invalidi , obligat in conscientia. *110.*
- C**onsecatarium unicum. *112.*
- J**us civile non irritat , sed in suo robore naturali relinquit omnes contractus minus solemnnes , absque metu , dolo , & fraude initios. *113.*
- C**onsectaria hujus Doctrinæ. *114.*
- C**ontractus initi ex metu gravi & injustè incusso jure civili sunt irriti , vel irritandi. *115.*
- C**onsectaria hujus Doctrinæ. *116.*
- Q**uinam contractus ex metu injustè incusso initi , sint irriti ipso facto. *117.*
- Q**uoties contrahentes metu vel dolo decepti sunt , aut presumuntur decepti , toties per jus civile , rescinduntur contractus. *118.*
- C**onsectaria hujus Doctrinæ. *119.*
- C**ontractus cum solemniori apparatu fieri soliti , jure civili declarantur invalidi , si careant solemnitatibus per legem civilem requisitis. *122.*
- C**onsectaria hujus Doctrinæ. *123.*
- C**APUT III. *Quam obligationem in foro conscientie contractus inducant.* *124.*
- C**ontractus ultrò citròque acceptatus & completus , vim habet legis , & obligat in conscientia. *Ibid.*
- C**onsectaria huius Doctrinæ. *128.*
- C**ontrahentes nedum se obligant ad id , quod expressè conventum est , sed etiam ad id , quod necessariò connexum est cum conventione. *134.*
- C**onsectaria hujus Doctrinæ. *135.*

ORDO.

- Toties rescindi potest contractus , etiam si validus , quoties si diutius perseveraret , non servaretur rationalis intentio contrahentium. 136.
- Consectaria hujus Doctrinæ. Ibid.
- Forma servanda in rescindendis contractibus. 139.
- CAPUT IV. De obligatione per promissionem inducta. 140.
- Quid & quotuplex promissio. Ibid.
- Promissio data & acceptata , vera & non simulata , facta spontaneè & deliberatè cum animo obligandi se , ligat promittentem in conscientia. 141.
- Promissio simplex , data & acceptata , et si non juramento firmata , modo serio facta sit , videtur obligare sub mortali , nisi indeliberatio & parvitas materiæ contrarium suadeat. 142.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 143.
- Promissio non ligat coram Deo , quoties facta est contra legem naturalem , immo contra legem positivam , quæ directè respicit bonum commune ; ligat verò , si sit contra legem positivam , quæ respicit tantum bonum privatum , nisi esset periculum , vel damnum tertii. 146.
- Consectaria hujus Doctrinæ, 147.
- CAPUT V. De contractibus in particulari , & primò de contractibus , quibus transfertur rerum Dominium. 150.
- Quid venditio & emptio. Ibid.
- Quid pretium & quotuplex. 151.
- Vendentes proprio nomine debent actu habere Dominium vel possessionem rei , quæ ven-

ORDO.

- ditur, & debent posse acquirere dominium
vel possessionem pretii, quod rependitur. 152.
Consectaria hujus Doctrinæ. 153.
Ea solum emi & vendi possunt, quæ juxta
leges acquiri possunt; alia vero nec emi,
nec vendi possunt. 156.
Consectaria hujus Doctrinæ. 157.
Res emi vel vendi possunt absolutè, vel
conditionatè, vel in perpetuum, vel ad
certum tempus, vel conjunctim, vel dis-
junctim, modo inter contrahentes conve-
niat. 158.
Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid-*
Pretia rerum non secundum ipsarum naturam
æstimanda sunt, sed quatenus veniunt in
usus humanos, & quatenus æstimantur in
foco publico. 161.
Consectaria hujus Doctrinæ. 163.
Peccat & ad restitutionem tenetur, qui sine
causa pretio æstimabili rem pluris justo pre-
tio vendit; non vero qui hoc facit cum
causa pretio æstimabili, v. g. ob lucrum ces-
sans, vel damnum emergens. 164.
Consectaria hujus Doctrinæ. 165.
In emptione & venditione contrahentes non
debent se mutuis dolis decipere, sed mutuo
commercio juvare. 168.
Consectaria hujus Doctrinæ. 169.
Emptor & venditor debent omnem omnino
fraudem & dolum abjecere, & bonâ fide
contrahere. 172.
Consectaria hujus Doctrinæ. 173.
Contractus emptionis & venditionis censetur
perfectus, statim atquè de pretio, reque
tradenda inter partes convenerit, nisi ali-

OR.D.O.

ter conventum sit , aut usus alicer sta-	
tuat.	175.
Consectaria hujus Doctrinæ.	176.
Completo contractu emptionis & venditio-	
nis , contrahentes debent mutuò sibi pro-	
missa exequi. Qui pacto non steterit , pec-	
cat , & tenetur ad restitutionem.	177.
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Totiès rescindi potest venditio , quoties fac-	
ta fuerit non servatis conditionibus con-	
tractūs , & si non rescinderetur , non ser-	
varetur intentio rationalis emptoris & ven-	
ditoris.	181.
Consectaria hujus Doctrinæ.	182.
Quid jus retractūs.	183.
Jure retractūs potest res vendita retrahi è	
manu emptoris , invito emptore & vendi-	
tore.	184.
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Quid jus evictionis.	186.
Jure evictionis legitimus Dominus rei potest	
rem suam ab alio venditam è manu emp-	
toris judicis autoritate retrahere.	Ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Quid permutatio.	187.
Eadem requiruntur conditiones in permuta-	
tione , quæ in venditione , his exceptis ,	
quæ distingunt permutationem ab emptione	
& venditione.	Ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	188.
Quid cambium monetarum , & quotuplex	
campsor.	189.
Totiès cambium est licitum , quotiès diver-	
sæ monetæ cambio expositæ reducuntur ad	
æ qualitatem , quotiès camporis cura justo	

ORDO.

pretio compensatur , & lucrum cessans aut
damnum emergens reparatur. *Ibid.*

Consectaria hujus Doctrinæ. *190.*

CAPUT. VI. *De contractibus, in quibus non
transfertur Dominium rei, sed tantum usus-
fructus.* *204.*

Quid emphiteufis & feudum. *Ibid.*

Dominus conservat tantum Dominium direc-
tum , & potest solum exigere pensionem
ab emphiteuta , fidelitatem vero vel obse-
quium à feudatario Emphiteuta vero vel
feudatarius acquirit solum Dominium uti-
le , & tenetur solvere , vel pensionem , vel
obsequium personale. *Ibid.*

Consectaria hujus Doctrinæ. *205.*

CAPUT. VII. *De contractibus, quibus trans-
fertur solus usus rei.* *207.*

Quid locatio , quid conductio. *208.*

Eadem requiruntur conditiones in locatione
& conductione , quæ in emptione & ven-
ditione , his exceptis , quæ emptionem &
venditionem à locatione & conductione
distingunt. *Ibid.*

Consectaria hujus Doctrinæ. *209.*

Conductor non potest uti re conducta , nisi
juxta vel pactum , vel consuetudinem ; &
si ea abutatur , tenetur reparare damnum
culpa sua vel dolo proveniens ; si vero ea
non abutatur non tenetur reparare damnum
casu eveniens. *212.*

Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*

Locator tenetur efficere , quantum , in se est , ut
conductor pacificè & commodè juxta pac-
tionem re conductâ fruatur ; si hanc curam
omittat sine causa , tenetur damnum repa-
rare. *213*

O R D O.

- Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
- Qui locat suas operas , tenetur opus suscep-
tum juxta regulas artis perficere ; si non
faciat , tenetur damnum ex ignorantia sua ,
vel negligentia , vel dolo proveniens repa-
rare. *215.*
- Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
- Artifex non tenetur ea damna reparare , quo-
rum nullatenus est causa. *216.*
- Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
- Quid commodatum Quid precarium. *217.*
- Eadem requiruntur conditiones in com-
modato , & precario , quæ in donatione ,
iis exceptis , quæ distingunt donationem
à commodato & precario. *218.*
- Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
- Quid mandatum. *219.*
- Eadem requiruntur conditiones in mandato ,
quæ in locatione operarum , cum hoc so-
lo discrimine , quod locatio non est gra-
tuita , mandatum verò debet esse gratui-
tum. *Ibid.*
- Consectaria hujus Doctrinæ. *220.*
- CAPUT VIII. De contractibus , quibus sola-
res traditur , vel custodienda , vel pro secu-
ritate. *221.*
- Quid & quotuplex depositum. *Ibid.*
- Depositarius debet semper rem depositam
quasi suam inspicere , ut eam custodiat , &
quasi non suam , ne eam contrectet contra
deponentis voluntatem. *222.*
- Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
- Quid sequestratio. *223.*
- Quid hypotheca. Quid pignus. *224.*
- Traditio & acceptio pignoris & hypothecæ

O R D O.

easdem requirunt conditiones ; quas venditio & emptio , his exceptis , quæ venditionem & emptionem ab actione pignoratitia distingunt. *Ibid.*

Consectaria hujus Doctrinæ, 225.

Duplex est hypotheca & oppignoratio , legalis , & conventionalis. 229.

Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*

Illicita est hypotheca vel oppignoratio , quoties creditor , præter securitatem summæ mutuo traditæ , aliquid aliud exigit à debitore. 232.

Consectaria hujus Doctrinæ. 233.

Quid fide-jussio. 237.

Eadem requiruntur conditiones in fide-jusfore , quæ in principali contrahente. *Ibid.*

Consectaria hujus Doctrinæ. 238.

CAPUT IX. *De contractibus , quibus intervenit aliquod periculum , seu aliqua sors circa eas res , quæ sunt materia contractus.* 240.

Quid & quotuplex ludus. *Ibid.*

Ludus mixtus , in quo ludentes inter se pascuntur , ut victor icedat , quod uterque depositus , est licitus , modo aliudè nullâ pravâ circumstantia vitietur , & ludus ille non omnino dependeat à casu & fortuna , sed magis pendeat ex industria , quam ex casu. 241.

Consectaria hujus Doctrinæ. 242.

Ludus lucrativus , in quo vel sola intervenit sors , vel sors insigniter industria prævalet , est omnibus Christianis illicitus , præcipue quando in eo exponitur ingens pecuniae summa. 247.

Consectaria hujus Doctrinæ. 248.

Qui

O R D O.

- Qui alearum Iudo ex professo incumbunt , à fortiori qui quibuscumque aleatoribus domos suas ad ludendum locant , sunt in statu peccati mortalis , & absolvi non debent , nisi prius resipuerint. 250.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 251.
- Quid loteria. 252.
- Loteria non est de se illicita , sed potest fieri illicita ex circumstantiis. Ibid.
- Quid assecuratio. 254.
- Contractus assecurationis certo pretio initus , easdem requirit conditiones , quas emptio & venditio. Ibid.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 255.
- Quid sponsio. 256.
- Eadem requiruntur conditiones in sponsione , quæ in donatione conditionali. Ibid.
- Consectaria hujus Doctrinæ. Ibid.
- Quid & quotuplex societas. 257.
- Contractus societatis non est de se illicitus. 258.
- Ut contractus societatis sit licitus debet fieri . 1°. Inter personas habiles ad societatem 2°. Debet esse de rebus aptis ad societatem . 3°. Debet servari æqualitas , vel absoluta , vel proportionalis. 4°. Capitale utriusque debet esse periculo obnoxium. 259.
- Consectaria hujus Doctrinæ. Ibid.
- Contractus societatis est illicitus , quoties non servatur æqualitas inter ea , quæ utrimque præstantur. 262.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 263.
- Ut distributio damni vel lucri ad justam æquitatem redigatur , debet fieri cumulus cùjuscumque sortis , & assignari cuilibet de-

ORDO.

Ponenti tantum lucrum & tantum damnum ;
quantum exigit sors deposita. 264.

Consectaria hujus Doctrinæ. 265.

Contractui societatis non potest adjungi aliis,
qui leges societatis destruat ; ideo illici-
tus est contractus , in quo primò initur so-
cietas , secundò securum redditur capitale
unius socii ab altero socio , & tertio ven-
ditur lucrum incertum expectatum pro cer-
to etiamsi minori. 266.

Consectaria hujus Doctrinæ. 269.

Contractus societatis potest uniri cum aliis
contractibus , modo illi contractus leges
veræ societatis non destruant. 272.

Consectaria hujus Doctrinæ. Ibid.

Statutis pactis legibus societatis consenta-
neis , & statutâ æqualitate rerum , quilibet
socius debet inspicere fundum societatis
quasi rem suam , ut eam conservet & adau-
geat , & quasi rem alienam , ut nihil si-
bi inde appropriet : Qui secùs egerit , pec-
cat ; & si damnum afferat , tenetur ad res-
titutionem. 275.

Consectaria hujus Doctrinæ. 276.

Vir non habet proprietatem bonorum dota-
lium , sed usufructum & eorum tutelam. 280.

Consectaria hujus Doctrinæ. 281.

C A P U T X . De mutuo & usura. 287.

Quid mutuum, Ibid.

Quid & quotuplex usura. 288.

Usura est peccatum contra justitiam , ita do-
cet scriptura , monent Concilia , ratio na-
turalis dictat , Jus Civile & Gallicum osten-
dunt. 289.

Toties mutuans potest aliquid suprà sortens

ORDO.

exigere à mutuatario , quoties ratione mutui perit aliquid mutuant de bonis , quæ acta habebat , vel quæ probabiliter acquisiturus erat. 296:

Consectaria hujus Doctrinæ. 297.

Quando quantitas lucri cessantis & damni emergentis est certa , tantum præcisè potest recipi supra sortem , quantum est damnum emergens & lucrum cessans ; quando vero est incerta hæc quantitas , tantum potest recipi , quantum determinat jus civile. 298.

Qui sine pacto exteriori optat recipere aliquid suprà sortem ex vi mutui , est usurarius mentaliter. 302.

Consectarium hujus Doctrinæ. Ibid.

Usuram committit in aliquo realem , qui de facto dat aliquid mutuo , ea intentione , ut sibi aliquid pretio æstimabile rependaratur ex vi mutui , quamvis non exprimatur suam mentem exterius. Ibid.

Usuram exteriorem & apertam committunt , quicumque paciscuntur sibi dari aliquid pretio æstimabile ex vi mutui. 303.

Consectaria hujus Doctrinæ. 304.

Usura palliata committitur , quoties mutuans & mutuatarius varios ineunt contractus , quibus capitale salvum servatur , & interesse percipitur. 309.

Consectaria hujus Doctrinæ; Ibid.

Quandò in mutuo suscipitur ex pacto aliquid suprà sortem , toties debet intervenire , vel damnum emergens , vel lucrum cessans , vel saltem aliquis novus contractus , qui non destruat naturam gratuiti mutui. 316.

Consectaria hujus Doctrinæ; in quibus expli-

ORDO.

- Cantur singulæ voces hujus distici.
- Feuda.** Fide jussor. Pro-dote. Sipendia cleri.
Sponte datum. Sors indemnis. Conventio pœnae. 317.
- Falsus est omnis titulus sumendi interesse, nisi interveniat, vel lucrum cessans, vel damnum emergens. 322.
- Consectaria hujus Doctrinæ; in quibus explicitantur varii tituli sumendi interesse excoigitati à quibusdam autoribus. Ibid.
- Ut committatur usura, debet intervenire contractus, vel explicitus, vel implicitus mutui, & ex mutuo debet immediate percipi res pretio æstimabilis. 327.
- Consectaria hujus Doctrinæ, Ibid.
- Quid & quotplex census. 329.
- Census annuus potest absque vitio usuræ emi & vendi, modo observentur certæ conditiones. 330.
- Quando statuitur pensio annua, exdem requiruntur conditiones, quæ in emptione & venditione. 331.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 332.
- Quid mons pietatis. 334.
- Montes pietatis sunt liciti, modo fiant cum conditionibus requisitis. Ibid.
- Consectaria hujus Doctrinæ. Ibid.
- Ut mutuum sit validum. 1°. Mutuator debet habere rei, quam mutuo dat, dominium & administrationem. & mutuatarius debet posse illud recipere. 2°. Res mutuo data & acceptata debet esse consumptibilis. 3°. Mutui datio & acceptatio nihil debet habere legibus contrarium. 335.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 336.

O R D O.

- Quid Senatus-Consultum Macedonianum , &**
 in quibus casibus cesseret. 338.
Quæ pœnæ destinentur usurariis. 341.
C A P U T XI. De quasi contractibus. 342.
Quid & quotplex quasi contractus. 343.
Quid tutor , & curator. *Ibid.*
 Necessitas publica postulat , ut stabiliantur
 tutores & curatores. 344.
Qui se suaque defendere non possunt, indigent
 tutela , & qui bona sua administrare non
 possunt indigent curatela. 345.
Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
 Hi solum Tutores & Curatores institui de-
 bent , qui supra dicta exercere valent. 347.
Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
 Tutores debent necessaria tum corpori tum
 animæ pupillo ex ejus bonis providere. 350.
Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
 Tutor & Curator ea tantum gerere possunt ,
 quæ profundunt pupillis & minoribus ; mini-
 mè ea , quæ eis officiunt. 351.
Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
 Tutor & Curator si quid dolo vel culpâ ne-
 gligant , ad restitutionem tenentur ; minimè
 vero si casu detrimenti aliquid eveniat. 352.
Consectaria hujus Doctrinæ. 353.
 Tutor & Curator ita se gerere debent , ut
 nec sibi nec pupillis vel minoribus noceant ,
 vel nocere præsumantur. *Ibid.*
Consectaria hujus Doctrinæ. 354.
 Pupilli & minores debent Tutoribus & Cura-
 toribus solvere quidquid justè pro illis
 impensum est. 355.
Consectaria hujus Doctrinæ. 356.
 Negotiorum gestores , & hi quorum negotia
 é iij .

ORDO.

- geruntur , idem sibi mutuò debent , quæ curatores & minores. *Ibid.*
- Consectaria** hujus Doctrinæ. 357.
- Qui** invicem habent rerum communionem , ad eadem tenentur , ad quæ obligantur , qui societatem inierunt. 358.
- Consectaria** hujus Doctrinæ. 359.
- Qui** adit hæreditatem , eo ipso omnibus se obligat , quibus aliquid ex illa hæreditate debetur. 360.
- Consectaria** hujus Doctrinæ. *Ibid.*
- C A P U T** XII. *De donatione.* 361.
- Quid** & quotuplex donatio. *Ibid.*
- Ut** donatio sit valida , quædam requiruntur conditiones , ex parte donatoris , ex parte donatarii , ex parte rei donatæ , & ex parte modi donandi. 362.
- Consectaria** hujus Doctrinæ. 364.
- Donatio** revocari potest , quoties donator vel coactè , vel irrationaliter censet donasse. 369.
- Consectaria** hujus Doctrinæ. 370.
- In** donatione possunt variæ apponi conditio- nes , modo non sint substantiæ donationum contrariæ. 373.
- Consectaria** hujus Doctrinæ. *Ibid.*
- C A P U T** XIII. *De Testamentis , Codicillis & Legatis.* 375.
- Quid** & quotuplex Testamentum , quid Codicillus , & quid Legatum. *Ibid.*
- Eædem** requiruntur conditiones in Testamen- to , quæ in donatione. 376.
- Hi** Testamentum validè facere possunt , qui Domini sunt rerum suarum , & liberam ha- bent earum dispositionem. 377.

ORDO.

Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Testamentum validè facere nequeunt , qui rerum suarum non habent Dominium.	378.
Consectaria hujus Doctrinæ.	279.
Testamentum facere nequeunt , qui non habent plenum usum libertatis , neque liberam bonorum suorum dispositionem.	381.
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Ut Testamentum sit validum , qui hæres instituitur , debet posse recipere rerum Dominium.	383.
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Illi hæredes institui non possunt , qui non possunt acquirere bonorum temporalium Dominium.	385.
Consectaria hujus Doctrinæ.	386.
Ut Testamentum sit validum requiritur certus numerus testium , & certæ dotes in testibus.	388.
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Ut Testamentum sit validum ex parte formæ ; plures requiruntur conditiones.	390.
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Testamentum est nullum , si prætereat hæres , qui juxta leges præteriri non poterat , nisi reddatur causa hujus præteritionis.	392.
Consectaria hujus Doctrinæ.	393.
Testamentum quibuscumque solemnitatibus munitum potest ad libitum testatoris revocari.	395.
Consectaria hujus Doctrinæ	Ibid.
C A P U T XIV. De hæreditatibus , quæ ab intestato deferuntur.	397.
Quis intestatus , & quor , & qui possint ejus bonis succedere,	398.

O R D O.

Qui & quot descendentes.	399.
Qui & quot ascendentēs.	400.
Qui & quot collaterales.	<i>Ibid.</i>
Quid sit in stirpes & in capita succedere.	401.
In quot partes solet dividī hæreditas.	<i>Ibid.</i>
Quo ordine succedant descendentes.	402.
Quo ordine succedant ascendentēs.	403.
Quo ordine succedant collaterales.	404.
Quo ordine succedat maritus , & uxor , & fiscus.	405.
Formula Testamenti publici à Parocho aut ejus Vicario conscribendi.	406.
Formula Testamenti clausi.	409.
T R A C T A T U S I I I . De variis speciebus iniustæ acceptio[n]is , vel detentio[n]is boni alieni.	411.
C A P U T I . De Furto.	412.
Quid furtum , & quæ ejus species.	<i>Ibid.</i>
Furtum est peccatum ex suo genere mortale.	<i>Ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	414.
De furtis commissis ab extraneis.	415.
De furtis uxorum erga maritos , & maritorum erga uxores.	416.
De furtis filiorum-famillias erga patres , & patrum erga filios.	417.
De furtis Dominorum erga servos , & servorum erga Dominos.	418.
Furti reus haberi non potest , qui rem extiorem accipit iis in casibus , in quibus jus naturale vel positivum illud permitunt.	420.
Consectaria hujus Doctrinæ.	421.
Quid rapina.	425.

O R D O.

Peccant mortaliter , qui per rapinam aufert bonum alienum , & longè gravius quam per furtum.	<i>Ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	426.
Quid furtum sacrilegum.	431.
Furtum sacrilegum est peccatum mortale lon- gè gravius , quam furtum vel rapina.	<i>Ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	432.
T R A C T A T U S IV. De restitutione.	433.
C A P U T . I. Q uæ requirantur , ut quis te- neatur ad restitutionem , vel ut ab ea dispen- setur.	434.
Quid & quotplex restitutio.	<i>Ib d.</i>
De bonis variis , quæ homo possidet.	<i>Ib d.</i>
De variis modis , quibus nocemus proxi- mo.	436.
De multiplici culpa tam civili quam Theolo- gica , quâ possumus nocere proximo.	437.
Restitutio locum habet in bonis vel fortunæ , vel corporis , vel honoris & famæ , vel pie- tatis & gratiæ.	438.
Consectaria hujus Doctrinæ.	440.
C A P U T II. De iis , qui absolute excu- santur ab omni restitutione coram Deo , li- cet inferant damnum proximo.	442.
Qui nocent proximo absque culpa Theologi- ca , excusantur ab omni restitutione coram Deo ; à fortiori qui nocent exequendo mu- nus suum.	<i>Ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	443.
Qui damnum afferunt proximo , peccantes mortaliter contra virtutem diversam à jus- titia commutativa , licet sint rei coram Deo , non tenentur ad restitutionem dam- ni.	446.

O R D O.

- Consectaria** hujus Doctrinæ. 447.
Qui violando justitiam commutativam no-
cent proximo per peccatum tantum venia-
le, obligantur ad restitutionem. 452.
Consectaria hujus Doctrinæ. 453.
Qui damnum intulit per peccatum tantum
veniale, obligatur ad restitutionem sub
mortali, si damnum resarcendum sit nota-
bile; sub veniali, si sit leve. 454.
Consectaria hujus Doctrinæ. 455.
C A P U T III. *De his, qui ob culpam vel*
Theologicam, vel civilem obligantur ad re-
stitutionem. 456.
Quicumque peccat contra justitiam commuta-
tivam, sive damnum inferat per actionem,
sive per omissionem, obligatur ad restitu-
tionem. *Ibid.*
Consectaria hujus Doctrinæ 458.
Cooperatores obligantur ad restitutionem, quan-
do peccantes contra justitiam commutati-
vam, sunt causa efficax damni. Excusantur
verò à restitutione; si non sint causa efficax
damni, vel si non peccant contra justitiam
commutativam. 470.
Consectaria hujus Doctrinæ. 471.
Culpa civilis, licet noxia proximo, si sit
omnino involuntaria, & non deducta ad
forum contentiosum, ad nullam coram Deo
restitutionem obligat. Si sit voluntaria, li-
cet non deducta ad judicem, obligat co-
ram Deo ad æqualem compensationem dam-
ni illati etiam ante sententiam judicis. Si
vero sit deducta ad forum contentiosum,
sive voluntaria, sive involuntaria sit, post
latam sententiam obligat ad æqualem com-

O R D O.

- pensionem damni illati , & ad pœnam
infictam à judice : ante latam sententiam
ad solam compensationem , si sit voluntaria ;
ad nullam vero restitutionem , si sit
omnino involuntaria. 478.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 480
- Qui contra jus nocet proximo , vel per ac-
tionem , vel per omissionem , obligatus
juxta jus civile. 1°. Ad æqualem compen-
sationem. 2°. Ad pœnam aliquam. 481.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 482.
- Totiès judex damnat eum , qui accusatur ,
ad integrum restitutionem , & insuper ad
aliquam pœnam , quotiès in eo præsumitur
dolus vel culpa : secūs , si absit dolus ,
vel culpa. 487.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 488.
- In restitutione præscribenda , quæ oritur ex
violatione contractūs , aut quasi contrac-
tūs , vel ex omissione officii gratuiti aut
lucrativi , attendenda est natura illius con-
tractūs aut quasi contractūs , & natura il-
lius officii , ut juxtā illam . & juxtā gra-
vitatem culpæ , pensetur restitutio. 489.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 490.
- C A P U T . IV. De iis , qui post violatam jus-
tiiam commutativam , possunt tamen absque
peccato , vel omnino omittere restitutionem ,
vel ad tempus differre. 494.
- Illud excusat absolutè à restitutione , vel dat
locum eam justè differendi , quod efficit ,
ut creditor nequeat exigere rem restituendam , nisi sit irrationalis & iniquus exac-
tor. Ibid.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 495

ORDO.

- C A P U T . V .** *De materia restitutionis.* 502.
Quoties sit restitutio , toties res ipsa ablata
debet restitui , si possit , si non possit , de-
bet restitui æquivalens. *Ibid.*
- Consectaria hujus Doctrinæ.** *Ibid.*
- C A P U T . VI .** *De quantitate restitutionis.* 503.
**D e variis modis , quibus res aliena & acqui-
ri & possideri potest.** *Ibid.*
- Qui & quot possint esse fructus unius &
eiusdem rei.** 506.
- In foro interiori restitutio** debet solum fieri
secundum damnum illatum proximo , in
foro exteriori debet fieri non solum se-
cundum damnum illatum , sed secundum
multam legitimè inflatam à judice. 507.
- Consectaria hujus Doctrinæ.** *Ibid.*
- U t restitutio fiat ad æqualitatem , & res abla-
ta , & res reddenda , debent considerari in
se , & in omnibus adjunctis.** 508.
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 509.
- U t restitutio fiat ad æqualitatem . res ablata
debet æstimari juxta detrimentum , quod
Iæsus passus est , non juxta utilitatem ,
quam Iædens percepit.** 511.
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 512.
- U t restitutio reducatur ad æqualitatem , ac-
ceptor & possessor malæ fidei tenentur &
rem ipsam & fructus rei , nedum percep-
tos , sed etiam ex incuria neglectos , at-
tamen à vero Domino percipiendos resti-
tuere , demum omne lucrum cessans & dam-
num emergens reparare , sive possessor ma-
læ fidei eo sit factus ditior , sive non , sive
res ablatae existant , sive non.** 518.
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 519.

ORDO.

Acceptor & possessor bonæ fidei non tenen-
tur durante bona fide restituere rem alien-
nam , neque fructus illius ; sed cessante bo-
nâ fide ante præscriptionis tempus tenen-
tur & rem ipsam , quam habent , & to-
tum illius rei , quod retinent , & id omne ,
in quo facti sunt ditiores , restitue-
re .

522.

Consectaria hujus Doctrinæ .

523.

Possessor , qui fuit initio bonæ fidei , factus
postea dubiæ fidei , tenetur diligenter in-
quirere , quisnam sit verus Dominus rei ,
& eam ipsi reddere , hoc ipso quod ipsum
novetur .

524.

Consectaria hujus Doctrinæ .

525.

C A P U T . VII . Quo pacto debeat fieri re-
stitutio .

527.

In restitutione res ablata debet ei restituiri ,
qui ex ablatione vel detentione injusta
damnum patitur .

Ibid.

Consectaria hujus Doctrinæ .

Ibid.

Quando debitor non potest omnibus & sin-
gulis creditoribus satisfacere , potest vero
aliquibus , iste ordo servandus est . Illi
prius debet fieri restitutio , qui intimius
jus habet , vel in re , vel ad rem .

535.

Consectaria hujus Doctrinæ .

536.

Quantum ad præparationem animi statim
restitutio decernenda est ; quantum ad
executionem facienda est tempore con-
gruo .

539.

Consectaria hujus Doctrinæ .

540.

Restitutio aut omitti aut salem suspendi
potest , quoties imprudenter facta noceret

Tom. IV.

i

OR D O.

spiritualiter vel ei, cui fieret, vel ei, à
quo fieret : sed quærenda sunt media,
quibus neutri noceat. 541.

Consectaria hujus Doctrinæ. 542.

MORALIS



MORALIS CHRISTIANA.

DE SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

PROÆMIVM.


 EPTIMUM Præceptum sic habet: *Non furtum facies.* Finis hujus Præcepti est conser-
vare justitiam inter homines ,
jus suum cuicunque reddere ,
& rerum dominia unicuique
illæsa custodire ; ideo totam hujus Præcepti
explicationem quatuor Tractatibus absolvemus.
In primo agetur de his , quibus competit re-
rum dominium , & quomodo etiam vi solius
autoritatis Reipublicæ per usucapiones & præ-
scriptiones acquitatur & deperdatur rerum do-
minium , etiam absque deperdentium consen-
su. In secundo agetur de Contractibus , Dona-
tionibus & Testamentis , quibus per volunt-

Tom. IV.

A

2 MORALIS CHRISTIANA.

tariam privatorum conventionem acquiritur vel deperditur verum dominium. In tertio agetur de variis speciebus Furti, & Rapinæ, & Damni, quibus rerum dominium injustè aut læditur aut auferatur. In quarto agetur de Restitutione, per quam rerum dominia injustè vel ablata vel læsa reparantur.



TRACTATUS PRIMUS,

De rerum Dominio.

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotplex sit Justitia. Jus, & Dominium, & possessio.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid & quotplex sit justitia.

JUSTITIA, prout hic sumitur, est virtus inclinans voluntatem ad reddendum unicuique, quod suum est: facit quippe justitia, ut cuique nondum habenti tradamus subenter, quod suum est; & vetat, ne jam habenti vel affectu auferamus, quod ejus est. Ideo definitur à Justiniano, *perpetua & constans voluntas jus suum cuique tribuendi*. Species justitiæ sunt tres. 1^o. Justitia universalis legalis. 2^o. Justitia particularis distributiva. 3^o. Justitia particularis commutativa.

Justitia universalis legalis est virtus, quâ

membra reipublicæ comparantur ad rem publicam , ejusque legibus subjiciuntur ; & ita , redunt reipublica , quod illi debetur , nimirum subjectionem , sicuti membra corporis comparata ad animam subjiciuntur animæ . Dicitur justitia legalis , quia legem statuit singulis hominibus , eosque legibus subesse præcipit .

Justitia particularis distributiva est virtus , quâ res publica , vel princeps vices gerens reipublicæ , comparatur ad membra reipublicæ , & reddit unicuique , quod suum est , remunerando bonos juxta cujuslibet meritum ; puniendo malos juxta cujuslibet demeritum , sicuti anima comparata ad membra corporis singulis membris præbet , quod eis debetur , unicuique juxta sui exigentiam & meritum . Dicitur justitia distributiva , quia tota est in distribuendo vel præmium vel pœnas .

Justitia commutativa est virtus , quâ membra reipublicæ ad invicem comparata , reddunt sibi quodlibet quod suum est , & membrum unum non aufert ab altero membro , quod ei debetur , sicuti in corpore una pars , v. g. brachium non aufert ab alia parte , v. g. pede , quod ei debetur sed ei rependit , quod suum est . Dicitur commutativa , quia maximè versatur in commutationibus , quæ in contractibus vulgo solent intervenire .

ARTICULUS II.

Quid & quotuplex Jus.

JUS , pro ut hic sumitur , est titulus , quo res dicitur nostra , & non alterius .

A ij.

4 MORALIS CHRISTIANA.

Jus aliud est jurisdictionis , aliud proprietatis.

§ I.

De Jure Jurisdictionis.

Jus Jurisdictionis est potestas legitima gubernandi suos subditos liberos , non in commodum proprium , sed in commodum subditorum & communitatis. Talis est jus , quod habet res publica supra suos subditos , & Ecclesia supra Christianos.

1°. Est potestas legitima ; quia si imperium illud sit legibus contrarium , non est Jurisdictionis , sed tyranis.

2°. Dicitur gubernandi ; quia Jurisdictionis exercetur , per precepta , prohibitiones , permissiones , judicia , præmia , punitiones , &c. non enim aliis mediis ducitur natura rationalis.

3°. Dicitur suos subditos ; quia auctoritas gubernandi non debet extendi , nisi ad eos , qui sunt nobis subditi.

4°. Dicitur liberos ; quia in servos & mancipia habetur jus proprietatis , & non Jurisdictionis solum.

5°. Dicitur non in bonum proprium , sed in bonum communitatis ; quia superior non alium debet sibi proponere finem , quam bonum subditorum & communitatis.

Jus Jurisdictionis , aliud est Ecclesiasticum , aliud civile.

Jus Ecclesiasticum , est potestas legitima gubernandi subditos in rebus spiritualibus , cul-

rum divinum & salutem animarum spectantibus.

Jus civile , est potestas legitima gubernandi subditos in rebus temporalibus , spectantibus externam vivendi rationem , & tranquillitatem publicam.

§ II.

De Jure Proprietatis.

Jus proprietatis , est potestas legitima disponendi de re tanquam sua in omnem usum lege non prohibitum.

1^o. Dicitur potestas legitima ; quia si yis illa legibus sit contraria , non est jus , sed injusta usurpatio.

2. Dicitur disponendi de re tamquam suā ; quia ille , qui habet jus proprietatis , potest pro libito de rebus suis disponere , vel retinendo , vel vendendo , vel donando , vel locando , &c.

3^o. Dicitur in omnem usum lege non prohibitum ; quia disponere de rebus suis contra legem , non est usus , sed abusus ; ideo possessor non potest , v. g. segetes suas comburere , pecunias suas in præjudicium Reipublicæ in mare projicere .

Jus proprietatis , aliud est altum , aliud infimum.

Jus altum , universale , & eminentis , est illud , quod habet communitas in bona privatorum , vel ipsemet princeps , ut est persona publica , de quibus bonis potest disponere in communem reipublicæ utilitatem in casu necessita-

6 MORALIS CHRISTIANA.

tis, & solum cā necessitate durante.

Jus infimum est illud , quod habent privati homines in bona , quæ ipsis peculiariter ad dicta sunt.

Jus aliud est ad rem , aliud in re.

Jus ad rem , est potestas legitima ad rem abtinendam , sibiique obligandam . Hoc jus tribuit , non actionem realem , quā res , quæ dicitur nostra , vindicari possit , sed actionem personalem , quā persona lœdens jus nostrum cogatur damnum reparare . Tale est jus , quod quis habet in rem sibi venditam , sed non traditam.

Jus in re , est potestas legitima , quam quis habet in re sibi tradita & obligata . Hoc jus tribuit actionem realem , quā res vindicari possit , ubi fuerit . Tale est jus , quod quis habet in re sibi vendita & tradita . Ut aliquis habeat jus in re , tria requiruntur .

1°. Justus titulus , defectu cuius conditionis , fures non habent jus , in re , circa pecunias furto subreptas .

2°. Existentia rei , defectu cuius conditionis possessor fundi non habet jus in re , circa fructus anno proximo percipiendos .

3°. Traditio rei , defectu cuius conditionis , emptor non habet jus in re , circa merces sibi venditas , sed nondum traditas .

Ut aliquis acquirat jus ad rem , sufficit justus titulus , nec requiritur existentia rei , vel traditio .

Sic possessor fundi habet jus ad rem , circa fructus in fundo suo proximo anno enascituros .

Sic Clericus graduatus habet jus ad rem , circa beneficia mensibus graduatorum vacatura .

Jus aliud importat oppignorationem rei , aliud dominium rei .

Jus importans oppignorationem, est potestas legitima, quā res aliqua dicitur alicui oppignorata.

Tale est jus, quod competit creditorī, in res sibi à debitoribus oppignoratas ad securitatem debiti.

Jus importans dominium, est potestas legitima, quā res aliqua actualiter possidetur.

Tale est jus illius, qui equum, agrum, domum, justo titulo possidet.

ARTICULUS III.

Quid & quotuplex sit Dominium.

Dominium est jus perfecte disponendi de re, nisi lege prohibeatur.

Dominium aliud est altum, aliud infimum.

Dominium altum est illud, quod habet res publica in privatorum bona, quibus uti potest in bonum reipublicæ.

Dominium infimum est illud, quod privati homines habent in sua bona.

Dominium infimum aliud est perfectum, aliud imperfectum.

Dominium perfectum seu plenum est illud, quod extenditur ad substantiam rei, simul & ad ejus emolumenta, quod complectitur & proprietatem rei, & emolumenta ipsius.

Tale est Dominium, quod quis habet inventam suam, de cuius proprietate & usu potest, prout libuerit, disponere.

Dominium imperfectum, aliud est directum, aliud utile.

Dominium directum est jus, quo licet for-

8 MORALIS CHRISTIANA.

Ium de substantia rei disponere , minimè vero
de ejus emolumentis.

Tale est Dominium illius , qui habet so-
lum proprietatem rei.

Dominium utile , est jus utendi , aut etiam
fruendi re aliena , salvâ ejus substantiâ.

Tale est Dominium illius , qui percipit fruc-
tus fundi , sed non habet ejus proprietatem.

Dominium utile est multiplex , usus usus-
fructus , habitatio , superficies , emphiteusis ,
feudum , libellus , servitus . De quibus omni-
bus sigillatim agemus in 6. Tomo in compe-
dio juris civilis.

ARTICULUS IV.

Quid & quotuplex sit Possessio.

Possessio est apprehensio & detentio rei ad-
miniculo corporis , & animi , & juris.

1º. Dicitur apprehensio & detentio rei ; quia
ut res vel corporea vel incorporea dicatur pos-
sideri , oportet ut aliquo modo apprehenda-
tur & detineatur per possidentem ; ideo res ,
quas nec apprehendimus , nec detinemus , v.g.
res omnino nobis extraneas , possidere non di-
cimur.

2º. Dicitur , adminicula corporis ; quia ut
rem possidere dicamur , debemus eam vel ma-
nibus tangere , aut oculis videre , vel in se ;
ut cum tangimus aut cernimus agrum , quo
contractu vel intuitu declaramus rei , quam
tangimus , aut cernimus , possessores , vel in
aliquo , quod gerat vices rei , ut cum den-
tur instrumenta , quibus res nostra declara-

tur. v. g. traditur clavis domus.

3^o. Dicitur, *adminiculo animi*, qui ut rem possidere dicamur, debeamus eam apprehendere aut tenere animo possidendi: ideo depositarius non dicitur possidere depositum; quia non tangit aut conservat depositum animo retinendi, sed animo reddendi illud dependenti.

4^o. Dicitur *juris adminiculo*; quia ut dicamur rem possidere, non sufficit, quod apprehendamus rem manu, & cum animo retinendi, ut facit fur, cum rem furtivam accipit, sed debet juris autoritas intervenire, ut possessor queat pacificè rem retinere, & se defendere ab his, qui eum vellent à possessione rei, quam possidet, deturbare.

Possessio alia est rei propriæ, alia rei alienæ.

Possessio rei propriæ ea est, quā *aliquid, quod nostrum est, justè detinemus*.

Possessio rei alienæ ea est, quā *aliquid, quod nostrum non est, possidemus*.

Possessio rei alienæ, alia est bonæ fidei, alia malæ fidei, alia dubiæ fidei.

Possessio rei alienæ bonæ fidei ea est, quā *possidemus aliquid, quod nostrum non est, sed quod per ignorantiam invincibilem nostrum putamus*.

Possessio rei alienæ malæ fidei ea est, quā *scienter aliquid possidemus, quod nostrum non est*.

Possessio rei alienæ dubiæ fidei ea est, quā *re vera alienum possidemus, sed cum dubio, an nostra sit, vel alterius*.

Privilegia possessionis etiam rei alienæ, cum adest bona fides, sunt ista.

20 MORALIS CHRISTIANA.

1°. Parit præscriptionem, inde natum illud axioma; *possessor bona fidei debito tempore prescribit*, *malæ verò fidei ullo tempore non prescribit*.

2°. In dubio facit conditionem possessoris meliorem, unde natum illud axioma; *in dubio melior est conditio possidentis*.

3°. Dat præsumptionem Dominii, unde natum illud axioma: *possessor non tenetur probare rem esse suam*.

4°. Dat jus possessori, ne deturbetur à re quam possidet, & ut deturbatus in eam restituatur, unde nata hæc regula; *possessor potest rem, quam possidet, defendere, & expulsus prius restituendus est in possessione, quam de justitia possessionis agatur*.

C A P U T I I.

De his, quibus competit rerum Dominium.

A R T I C U L U S I.

*Quod & quale Dominium competit Deo, Angelis
tum bonis, tum malis.*

PROPOSITIO I. Deus habet omnium rerum creatarum, sive corporearum, sive incorporearum absolutissimum & perfectissimum Dominium. v. g. circa cœlos, circa elementa, circa mixta, circa Angelos, circa homines.

Probatur 1°. Scripturâ. *Domini est terra & plenitudo ejus*. Psal. 23. v. 1. & Salomon ait: *Dominus omnium es*. Sap. 12. v. 16. & à Judith vocatur *Dominus totius creature*. Judith 9. &

Esther dicit Deo 13. *Dominus omnium es: ergo Deus habet omnium rerum creatarum absolu-*
tissimum Dominum.

2^o. Ex D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 1. ad 1.
 ubi sic habetur: *Deus habet principale Dominum omnium rerum.*

3^o. Ratione. Dominum est potestas utendi
 re pro libito: atqui Deus potest quācumque
 creaturā prout libuerit uti, cum eam possit vel
 destruere vel conservare, vel in quam partem
 voluerit inclinare: ergo Deus habet supremum
 & absolutum erga res creatas Dominum.

Consecataria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Deus posset, si vellet,
 omnes & singulas creature absque injuria des-
 truere. Et ita Deus potuit, ut docet D. Thom.
 absque ulla injuria p̄cipere Abrahamo, ut
 immolaret unicum filium ejus; potuit & p̄cipere
 Judæis, ut spoliarent Ægyptios, & ut
 Cananæos & Phareseos bello adorirentur, eos-
 que vel interficerent, vel è terris, quas oc-
 cupabant, ejicerent: quia Deus habet supre-
 mum Dominum, & supra vitam hominum,
 & supra omnia eorum bona temporalia.

CONSECTARIUM II. Dominum in sin-
 gulas creature, p̄cipue in vitam hominum,
 ita est Deo proprium, ut nulli alteri conve-
 niat; & ita solus Deus potest de vita homi-
 num disponere, juxta illud Deut. 32. v. 39. *Vi-
 dete, quod ego sim solus Deus, & non aliis p̄ce-
 ter me: ego occidam, & ego vivere faciam.* Et
 juxta illud Sap. 16. v. 13. *Tu es Domine, qui
 via & mortis habes potestatem.*

Sic nullus homo potest se ipsum occidere ; quia non est Dominus vitæ suæ. Nullus privatus , imo neque princeps potest alium hominem occidere , nisi id faciat , ut minister Dei ; quia nullus homo habet Dominium supra vitam alterius. Nullus pariter homo privatus aut princeps potest se aut aliom mutilare sine causa ; quia non est Dominus sui vel alieni corporis. Potest tamen cum causâ ut minister Dei , v. g. mutilatio alicujus membrum potest fieri , vel ad conservandam vitam , vel ad puniendum delictum.

Solus Deus habet Dominium supra vitam hominis , sed supra libertatis statum quilibet verum habet dominium , atque adeò homo potest fieri servus , vel propriâ voluntate , vel necessitate justâ. Propria voluntate , ut si se ipsum vendat , utì permittebatur Judæis egestate compulsisse ad tempus vendere. Exod. 21. & Levit 25. Necessitate justa , ut si id lex jubeat vel permittat ; lex enim jubet reos criminis sententiâ judicis posse servitute damnari , permittit vero manucaptos in bello , qui occidi poterant , posse fieri servos ; item permittit , ut filius , qui ex matre serva nascitur , servus sit , sive pater sit servus , sive non ; quia partus sequitur ventrem ; imo permittit patri , ut in urgente necessitate possit filium suum vendere.

C O N S E C T A R I U M III. Dominium , quod habet Deus quantumvis absolutum , non tollit nec Dominium altum reipublicæ , nec Dominium infimum privati hominis , sed solum utrumque sibi subjicit : sicuti enim vis efficiendi , quam habet Deus , non tollit vim effectricem

tricem à creaturis, sed solum conservat, prævenit, applicat, adjuvat, ita Dominium absolutum Dei præcedit omne Dominium creatam, illudque conservat, eique robur adjicit.

P R O P O S I T I O II. Angeli tum boni, tum mali, nullum Dominium habent propriè circa creaturas corporeas, vel circa homines.

Probatur Ratione. Angeli tum boni, tum mali, non possunt de rebus istius mundi disponere tanquam suis: ergo non habent verum circa res creatas Dominium.

Angeli boni vocantur Domini; quia mundum istum in nostram utilitatem administrant. Sicut Joseph vocabatur Dominus universæ terræ Ægypti. Angelus vero malus vocatur princeps hujus sæculi, rector tenebrarum harum, non quod sit verè Dominus alicujus creaturæ, sed quia peccatores alligatos detinet, non tanquam judex, sed tanquam tortor, donec per Christum liberentur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. De bonis Angelis. Bonos Angelos & venerari, & ad eos confugere oportet, ut diximus in secundo Tomo, ubi de cultu Angelorum; quia Angeli boni sunt in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.

C O N S E C T A R I U M II. De Dæmonibus. Mali Angeli seu Dæmones fugiendi sunt, sed non pertimescendi; quia nullum habent supranos Dominium, prandus solum est Deus, ut non patiatur nos tentari supra id, quod possumus.

ARTICULUS II.

Quod & quotuplex Dominum competit homini privato.

Propositio I. Homo etiam privatus, hoc ipso quod est rationalis & sui compos, habet jus acquirendi Dominium rerum exteriorum corporearum, quæ in mundo sunt, & de iis pro libito disponendi nisi aliunde à legibus prohibeatur.

Probatur 1. Scriptura. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præstis piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ.* Gen. 1. v. 26. ergo factus est homo ut rerum exteriorum haberet Dominium, quod quidem licet per peccatum Dominum fuerit non tamen fuit omnino sublatum; cum & post peccatum Noë & filiis ejus dictum fuerit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & terror vester & pavor sit super cuncta animalia terræ.* gen. 9. v. 1.

2°. Ex Aug. *utī aliquod non potest animal nisi rationis particeps* lib. 83. q: ergo homo particeps rationis potest uti rebus exterioribus, & circa illas exercere Dominium.

3°. Ratione Prima ratio. Ille habet jus utendi bonis istius universi, propter quem universus iste factus est, ut patet: atqui propter hominem orbis iste factus est: de homine quippe dictum est, *omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves, universa insuper & peccora ejus.* Psal. 8. v. 8. ergo homo, hoc ipso quod est rationis compos, habet

Dominium rerum omnium, quæ sunt in mundo.

2a. Ratio. Homo, multiplex jus habet in omnia, quæ in mundo sunt; habet quippe 1. jus naturale, nam quatenus hemo est corporeus dirigens se per rationem, debentur illi omnia bona, quæ ad vitam tum corporalem tum spiritualem sustentandam sunt necessaria, adeòut injuria ei fiat, si ei denegentur. 2. habet jus positivum divinum, dixit enim Deus Noë & filiis ejus: *omne quod moveritur & vivit erit vobis in cibum, quasi olera viren-tia tradidi vobis omnia.* genef 9. v. 3. 30. habet jus positivum humanum; jus quippe gentium, jus civile, jus Ecclesiasticum nulli subtrahunt rerum Dominium, nisi rebus istius mundi, vel in sui, vel in reipublicæ perni-ciem, abutatur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Sistendo intra jus naturæ omnis homo in quocumque statu sit, vel conditione, est capax Domini, modo capax sit rationis & libertatis; quia *ratio & libertas sunt radix Domini circa corporalia,* unde contra iustitiam peccatur, si ei hæc bona auferantur.

Sic amens est verè Dominus eorum bonorum temporalium, quæ ei jure hereditario competunt; quia quamvis rationem præpeditam habeat, ea tamen uti potest, modo iis, quibus præpeditur obicibus, liberetur.

Sic, infans est verus Dominus earum rerum, quæ ad ipsum spectant; qui licet ratio-

16 MORALIS CRISTIANA,
nis usum nondum habeat , tamen brevi habi-
turus est , ut loquitur Paulus : *nihil differt a*
servo , cum sit Dominus omnium bonorum pa-
ternorum quia si filius & haeres.

Sic servus est verus Dominus omnium , quæ
ei jure naturali competunt ; quia etsi jure
gentium & ipsemet & sua sint Domini , cuius
est mancipium , tamen jure naturali , ut pote-
rationis compos , est pariter Dominus bono-
rum , quæ ei competit.

Sic jure naturæ quilibet homo , sive Laï-
eus , sive Clericus , sive etiam Religiosus ,
potest esse capax Domini rerum temporalium ;
qui hoc ipso quod est rationalis , habet jus
ad bona temporalia.

Sic quilibet homo , etsi paganus , etsi Hæ-
reticus , etsi peccator , jure est Dominus co-
rum bonorum , quæ ei competit ; quia nec
paganismus . nec infidelitas , nec peccatum ,
tollunt omnino rationem , nec proinde ca-
pacitatem Domini rerum exteriorum. Sic
Pharao à Deo constitutus fuit rex juxta illud
Exod. 9. v. 16. posui te Regem , ut ostendam
in te fortitudinem meam. Item & Nabucodonosor
juxta illud Daniëlis 2. v. 37. Deus cœli ,
regnum , & fortitudinem , & imperium , &
gloriam dedit tibi. Et l. Concil. Constantiense
SS. 8. & 15. damnavit hanc propositionem :
nullus est Dominus civilis , nullus Praelatus ,
nullus Episcopus , dum est in peccato mortali.

CONSECTARIUM. II. Sistendo intra jus
naturale , quicumque est rationis incapax ,
est pariter incapax Domini ; quia ratio est
radix Domini.

Sic bruta sunt incapacia Domini , unde his

homo uti potest prohibito.

PROPOSITIO II. Etsi homo hoc ipso quod est rationalis, & sui compos, jus habeat acquirendi Dominium rerum, quæ in mundo sunt, & de eis pro libito disponendi, tamen nec res licetè acquirere, nec de rebus licetè disponere potest, nisi juxta legitimam legum, quibus subest, determinatiouem... ita sotus de justitia & jure, lib. 4. q. 5. art. 3.

Probatur 1. Scripturâ. Idem Deus, qui dedit homini jus circa bona exteriora hujus mundi juxta illud: *Dominamini pescibus maris*, idem dedit Reipublicæ jus determinandi in particulari, quibus mediis eadem bona & acquiri & perdi possent, juxta illud: *per me reges regnant & legum conditores juxta decernunt*; & juxta illud: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: ergo homo non est bonorum temporalium Dominus, nisi juxta præscriptum reipublicæ, cui subest.

2°. Ex Aug. tract. 6. ad cap. 1. Joannis, ubi sic habet: *unde quisque possidet, quod possidet, nonne jure humano; nam jure divino Domini est terra & plenitudo ejus; pauperes & divites Deus de uno limo fecit; & pauperes & divites una terra supportat: jure tamta humano dicitur, haec villa mea est, haec domus mea est, hic servus meus est. Tolle jura imperatorum, quis audet dicere, haec villa mea est, meus est iste servus, mea est haec domus.* Ergo homo nequit licetè res acquirere, nec de rebus licetè disponere, nisi juxta legitimam legum determinationem.

3°. Ratione 1a. Ratio. Homo eo fine natus est, ut civilia cum aliis hominibus sociata-

tem ineat , foveatque , quam societatem nec
inire nec fovere poterit , nisi in exteriorum
bonorum tum acquisitione tum dispositione
legibus reipublicæ pareat ; leges enim reipu-
blicæ debent esse civilis societatis incundæ &
fovendæ regula : ergo homo non potest licite
res , aut acquirere , aut de eis disponere , nisi juxta
leges Reipublicæ .

Ratio secunda. Esto homo quilibet na-
turaliter sit rerum temporalium Dominus ,
tamen hanc modo , ubique terrarum vi-
gore consuetudinem cernimus , ut quæ-
libet res publica rerum temporalium acqui-
sitioni , vel dispositioni modum præscribat , qui
religiosè observatur , nisi fuerit juri primævo
naturali contrarius. Unde profluxerit mos
ille , incertum est , profluxit forte ab instigan-
te naturâ , quæ uti jubet partes subesse toti ,
ita & cives reipublicæ ; forte processit ex spe-
ciali iussu Dei , qui uti vult omnia esse ordi-
nata in corpore , ita & in mundo ; forte
effluxit consuetudo illa ex unanimi privatorum
hominum primis temporibus viventium conventione ,
quâ jus illud in rem publicam
translatum est : unde quaque processerit , nimis
late diffusa est tam Sancta consuetudo , ni-
mis antiqua illa præscriptio , ut circa pecca-
tum à privatis hominibus violari possit : ergo
tenantur homines in rerum dispositione & ac-
quisitione legibus reipublicæ subesse : ergo
cum leges illæ non fuerint abrogatæ , in con-
scientia ligant.

Coafctaria hujus Doctrinae.

CONSPECTARIUM I. Servi , tum bello

capti, tum vendentes semetipos, habent quidem jure naturæ Dominium, cum sint rationales, sed jure gentium quidquid acquirunt, Domino acquirunt; quia jus naturæ determinatur per jus gentium.

C O N S E C T A R I U M II. Liberi, qui sunt sub potestate patris, habent jure naturæ Dominum eorum, quæ eis obveniunt independenter à Patre, sed Dominum illud sic per legem civilem restringitur. Plenum habent Dominium in bona Castrenia, aut quasi Castrenia; directum verò & non usu fructum in bona adventitia, nullum vero Dominium vel usu fructum in bona profectitia; quia jus naturæ ita determinatur per legem civilem.

Bona autem Castrenia sunt ea, quæ in militia, aut occasione militiæ acquiruntur, ut stipendia militum, dona ducum prædæ ex hostibus raptæ, & id omne, quod datum est à patre, vel ab aliis parentibus ad exercendam militiam, ut equi, arma, &c.

Bona quasi Castrenia ea sunt, quæ acquiruntur munere publico, v. g. judicis, causidici, medici, &c. quia litteræ non minus profundunt Reipublicæ, quam arma, imo dona facta ab Imperatore, Rege, Reginâ, quasi Castrenia censentur L. cum multa C. de bon. quæ liber. &c. bona pariter quæ acquiruntur ministrando sacris, quasi Castrenia censenda sunt. Ut habeatur Authenticâ Præbiteros, Cod de Episcopis & Clericis. Præbiteros, & Diaconos, & Subdiaconos, cantores & lectors, quos omnes Clericos appellamus, res quolibet modo ad Dominum eorum venientes, habere in suâ potestate precipimus, ad similitudinem Castrenium pecu-

liorum, & donare, cui volunt secundam leges, & in his testari, licet sub parentum potestate sint: sic tamen: ut horum filii, aut, his non extentibus, parentes eorum legitimam ferant partem, Authen. ex nouell. 123. cap. 19.

Bona adventitia ea sunt, quæ adveniunt filio familias, non intuitu patris, sed aliunde, v. g. ex successione materna, & qualia sunt ea, quæ accedunt filiis ex industria eorum & labore mechanico.

Profectitia sunt ea, quæ veniunt à patre, vel ejus intuitu principaliter dantur.

C O N S E C T A R I U M III. Religiosi Professi in Religione approbata, non habent Dominium rerum temporalium in particulari, bene tamen in communi, exceptis capucinis & fratribus de observantia; quia ita determinat jus Canonicum expressum in Trid. SS. 25. cap. 2. & 3. de Regulatibus, quamvis jure naturæ statui Monachali non repugnet Dominium rerum temporalium cum subordinatione ad superiorem, imo neque jure civili, ut habetur L. 56. C. de Epis. & Cler. Monachus nullo impedimento ex sanctimoniali conversatione generando, sive soli, sive cum aliis, ad successionem vocatur.

ARTICULUS II.

Quod & quale Dominium competit Reipublicæ.

Propositio 1. Respublica, & is qui gerit vices Reipublicæ v. g. Rex, Princeps, alius habet Dominium supra bona temporalia subditorum, quo potest de his disponere,

prout exigit, vel utilitas publica, vel pœna criminibus debita, vel tranquillitas civium, vel fidei publicæ conservatio.

Probatur 1. Scripturā. Rex, qui sedet in solio iudicis, dissipat omne malum intuitu suo prov. 20. v. 8. atqui non potest illud præstare, nisi altum habeat dominium, quo de bonis subditorum possit disponere, prout utilitas publica exigit: ergo respublica, vel Rex, qui gerit vices reipublicæ, altum habet dominium, quo potest de bonis subditorum etiam contra eorum voluntatem disponere. Eò forte spectat scriptura dicens Eccles. 17. v. 14. in unam quamque gentem præposuit rectorem.

2º. Ex Aug. tract. 6. ad cap. 1. in Joan. ubi agens contra Donatistas, qui querebantur legibus Imperatorum villas esse sibi ademptas, & Ecclesiæ Catholicæ attributas, agnoscit in Imperatoribus altum supra bona temporalia Dominum: ut teneantur, inquit, ista, id est temporalia, regum jura fuerunt . . . & inferius sic urget Donatistas: nolite dicere, quid mihi & regi? Quid tibi ergo, & possessioni? per jura regum possidentur possessiones. Dixisti quid mihi & regi? Noli dicere possessiones tuas; quia ad ipsa jura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones: ergo respublica altum habet dominium, quo potest de bonis subditorum disponere. Quod adeò certum est, ut & ipsis paganis non fuerit incognitum; dicit enim Séneca lib. de Beneficiis, omnia regem possidere imperio, singulos dominio.

3º. Ratione. Respublica instituta ab hominibus habet vel à populo instituente, vel à Deo confirmante institutionem, eam autoritatem,

quæ necessaria est ad decentem popolorum gubernationem ; quia alias imprudenter iastuerentur : atqui altum dominium , quo Respublica possit de bonis subditorum in certis casibus pro libito disponere , est necessarium ad gubernationem populi ; quia sine illo dominio civium utilitati non posset subvenire : ergo respublica habet illud altum dominium , quo possit de bonis subditorum , etiam contra eorum voluntatem , in certis casibus prohibito , disponere in utilitatem communem.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Terties Respublica , vel Rex gerens reipublicæ vices , potest etiam contra voluntatem subditorum eorum bonis disponere , quoties id necessarium est ad sustinendum decentem reipublicæ statum. Sic quovis tempore possunt etiam subditis invitis vestigalia imponi , ut decenter sustineatur dignitas eorum , qui præsunt. Ideò tempore Saül imposta fuerunt Hebreis tributa , ut patet ex eo quod Saül promiserit immunitatem à tributis ei , qui cum Goliath auderet decertare , & tributa illa scriptura non improbat , sed approbat ; quippe Christus et si liber solvit censum Cæsari Math. 17. v. 24 & , interrogatus , an liceret dare censum Cæsari , dixit : *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Et Paulus ad Rom. 13. v. 7. *r addite omnibus debita , cui tributum , tributum.*

Sic tempore belli imponi possunt tributa extraordinaria , ut repellantur hostes reipublicæ. Ideò habemus ex scriptura , quod

quoties bellum ingruebat, toties tribus quælibet certum militum numerum mittebat ad praeliandum, eisque annonam, cæteraque ad bellandum necessaria suppeditabat, ut paret ex 1. reg. cap. 17.

Sic tempore pestis & famis imponi possunt, invitis etiam subditis, extraordinaria subsidia, ut succurratur pauperibus; respublica enim corpus est, in quo p̄portet, ut alii aliis subveniant; sicuti cernimus, quod in humano corpore unum membrum succurrit alteri.

Sic demum imponi possunt tributa, etiam contra voluntatem subditorum, vel ad reparandas vias publicas, vel ad pontes erigendos, vel ad ædificia publica construenda, quibus vel respublica muniatur contra hostes, vel quibus ornetur ad commodam subditorum habitationem, ut factum vidimus sub Salomonе, qui plura populo Judaïco tributa imposuit, tum ut templum construeret, tum ut domos regias, & arces munitissimas ædificaret.

C O N S E C T A R I U M II. Toties respublica, vel Rex gerens vices reipublicæ, potest etiam contra voluntatem subditorum de eorum bonis disponere, quoties id necessarium est ad punienda crimina eorum, qui male se gerunt in respublica; hoc enim exigit bonum publicum, ut is bonis suis privetur, qui eis male utitur.

Sic quoties privatus aliquis peccat contra alium privatum subditum, toties respublica potest delinquenti, non solum satisfactionem aequalitatem præscribere, sed etiam cum aliqua multâ punire; ideo in lege Mosaïca

MORALIS CHRISTIANA.
præscribatur furibus restitutio aliquando in quadruplum, aliquando in quintuplum.

Sic quoties privatus aliquis insurgit in Regem, vel reipublicæ perniciem molitur, toties bonis suis privari potest, eaque merito fisco addicuntur. Simile quid factum vidimus contra Acham, cuius omnia combusta sunt, & ipse unā cum familia lapidatus est; quia in perniciem exercitus, sibi retinuerat aliquid de spoliis Jerieo, quæ jussu Dei anathemati addicta fuerant.

CONSECTARIUM III. Toties respublica potest de bonis subditorum etiam contra privatam eorum voluntatem disponere, quoties id necessarium est ad subditorum tranquillitatem.

Sic facta est rerum divisio, vel ad contentiones vitandas, ut innuitur Genesis 13. v. 2. vel ut diligentius, res istius mundi divisa à quolibet possessore in partibus, quæ ei contingent, colerentur, ut innuitur ex divisione Palestinæ facta inter Tribus & Familias populi Judaici.

Sic usucapiones & præscriptiones inducuntur sunt, quibus post certum tempus transfertur dominium ab uno possessore ad alium 1. ne dominia rerum sint incerta. 2. ne lites sint infinitæ. 3. ut puniatur aliquando socordia hominum in bonis suis conservandis.

CONSECTARIUM IV. Toties respublica potest de bonis subditorum, etiam contra privatam eorum voluntatem, disponere, quoties id necessarium est ad tollendas, fraudes, dolosque omnes præcavendos.

Sic respublica declarat nulla esse testamenta & invalidos

& invalidos eos contractus, quibus non apponuntur ex solemnitates à jure requisitæ. De his omnibus fusiū agemus infra.

ARTICULUS III.

*An leges, quibus Respublica disponit de bonis
subditorum, etiam contra eorum voluntatem,
sunt absolutæ, an sunt solum conditionatæ,
& fundatæ in præsumptione.*

Nota. Lex absoluta ea est, quæ facta est ob bonum publicum; talis est, v. g. lex jubens depositum illæsum custodiri, & vetans compensationem etiam justam ad rem deposito acceptam posse extendi: ea enim lex obligat in omni casu. Lex vero conditionata ea est, quæ fundatur in aliqua suppositione, & obligat solum si vera sit suppositio: talis est lex, quæ addicit fisco bona rebellantium contra Regem, & hæc non obligat nisi eos, qui re ipsa sunt rebelles, minimè verò eos, qui falso accusati rebellionis, revera innocentes sunt.

PROPOSITIO I. Leges, quibus Respublica imponit tributa ad sustinendum Reipublicæ statum, vel infligit pœnas ad punienda delicta, sunt conditionatæ seu fundatæ in præsumptione.

Probatur Ratione. Leges vestigialium servuntur ad sustinendum decentem reipublicæ statum: ergo supponunt rempublicam verè opus habere hujusmodi vestigalibus, leges verò infligentes mulctas, vel addicentes fisco bona reorum, supponunt crimen verè esse

commissum ab eo , cui hæc poena infligitur ; ergo illæ leges non sunt absolutæ & obligantes in singulis casibus , sed conditionatæ obligantes, supposita veritate præsumptionis , in qua fundantur. Juxta vulgare istud dictum , cedat præsumptio veritati.

C O N S E C T A R I U M unicum. Leges de solvendis vœtigalibus & mulctis sunt observandæ in conscientia, quoties vera est præsumptio , in qua fundantur ; quia tunc sunt ex omni parte justæ ; immo etiam sunt observandæ , quando falsa est præsumptio , si ex eorum inobservantia securum esset scandalum ; quia injuria juxta Paulum toleranda est , ut vitetur scandalum ; sed hæc leges prudenter & secluso omni scando eludi possunt , si constet eas fundari in falsa præsumptione.

Sic tenemur solvere vœtigalia statuta à principe ; quia etsi nobis incognita sit Reipublicæ necessitas , debemus supponere imposta per principes tributa ad sustinendum reipublicæ statum esse necessaria ; ut enim optimè monet Dominus de Marca , non subditorum sed regum est de his , quæ ad bonum publicum spectant , judicare.

Sic qui verè reus est , debet solvere multam infictam ei à judice , & si bona illius addicantur fisco , non potest in conscientia aliquid de illis retinere.

P R O P O S I T I O II. Leges , quibus res publica statuit rerum divisionem , usucationes . & præscriptiones sunt absolutæ , & non conditionatæ , ligantque in conscientia in singulis casibus , in quibus observantur conditio- nes ad usucationem & præscriptionem requiri- fitæ per tempublicam.

Probatur Ratione. Leges statuæ in bonum publicum sunt absolutæ, obligantes in singulis casibus; quia nihil aliud requiritur ad legem absolutam: atqui leges de rerum divisione, de usucaptionibus & præscriptionibus sunt propter bonum commune, utilitas enim publica exigit res non esse communes, alias aut à nullo privato custodirentur, aut colebantur; exigit pariter possessionem per legitimam præscriptionem esse ratam & firmam, alias incerta semper essent rerum Dominia; ut dicitur l. 1. ff. *de usucaptionibus.* Alias nullus esset litium finis, ut dicitur l. *ultima* ff. *pro suo:* ergo leges quibus Respublica statuit rerum divisionem, usucaciones, & præscriptions sunt absolutæ, & obligantes in singulis casibus.

Nec obstat reperiri aliquos casus, in quibus per rerum divisionem, præscriptionem, usucaptionem, privati aliqui videantur injuriam pati; quia privatum illud incommodum per utilitatem publicam aliundè compensatur, unde natum illud axioma; *omnis lex habet aliquid de iniquo seu duro, quod publica utilitate compensatur.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. statutâ rerum divisione & certâ portione cuiuslibet concessâ, nullus privatus alterius portionem occupare potest; & si id faciat, reus furti est, quia aufert quod alterius est. Etsi enim bona ante divisionem sint communia, factâ tamen divisione non sunt communia, sed quælibet

portio ad eum , cui contigit , pertinet. Sicuti enim in convivio bene ordinato fercula omnia in communi proponuntur , portiones tamen ab aliis occupatas nemo debet ad se transferre , sine consensu eorum à quibus fuerunt occupatae.

C O N S E C T A R I U M I I . Qui per legitimam præscriptionem aliquid possidet , potest illud , tutâ conscientiâ retinere ; quia Respublica in illum transtulit Dominum per præscriptionem , ut fusius infra dicetur.

C O N S E C T A R I U M I I I . Transactâ legitimâ præscriptione prior Dominus non potest in conscientia rem præscriptam à posteriore possessore auferre ; quia transactâ præscriptione nullum jus habet ad eam rem , quæ ante præscriptionem ad illum pertinebat.

Nec obstat , quod ille , qui falsâ præsumptione damnatus est ad aliquam multam , possit occultè & sine scandalo sententiam judicis eludere ; quia lex præscriptionis non fundatur in præsumptione , sicuti lex infligens multam.

P R O P O S I T I O I I I . Leges , quibus Respublica ad vitandas fraudes dolosque præcavendos reddit personas inhabiles ad contrahendum , sunt absolutæ , obligantes in conscientia , redduntque irritos omnes solemnēs contractus , qui fiunt à personis declaratis inhabilibus ad contrahendum.

Probatur Ratione. Leges , quæ fiunt propter bonum publicum , sunt absolutæ , & tamdiu obligant , quandiu id exigit bonum publicum ; quia nihil aliud requiritur ad legem absolutam : atque leges , quæ ad vitan-

das fraudes dolosque præcavendos reddunt aliquas personas inhabiles ad contrahendum, sunt propter bonum publicum; utilitas enim publica exigit, ut privati, quos Respublica judicat inhabiles ad contrahendum, re ipsa nec in foro interno nec in foro externo, contrahete valeant: ergo leges illæ sunt absolutæ, & obligant in utroque foro.

Et sicut, inquit Silvius in 2. 2. q. 67. a. 2. lex Ecclesiastica vim habet in matrimonio, ita lex civilis in contractibus civilibus; sed lege Ecclesiasticâ declarante personas esse inhabiles ad contrahendum, v. g. quando contrahunt sine parocho & testibus, si tamen Matrimonium attentatum fuerit, nullum est in utroque foro Matrimonium illud: ergo similiiter legibus civilibus irritantibus contractus, declarando personas esse inhabiles ad contrahendum, si ipsi contractus sic attentati fuerint, nullum in utroque foro vigorem habent.

Consecutaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Ví Juris civilis nulli sunt in utroque foro illi contractus, qui sunt à personis declaratis inhabilibus ad contrahendum; quia nullus est major defectus in contractibus, quam inhabilitas ad contrahendum.

Sic nullus est contractus, quo pupillus vel aliquid donat, vel vendit; quia pupillus declaratur inhabilis ad transferendum in alias Dominum bonorum suorum.

Sic Testamentum religiosi est nullum; quia persona Religiosa declaratur inhabilis ad Testamentum condendum.

C O S E C T A R I U M II. Vi Juris Canonici nulla est in utroque foro ea obligatio, quæ initur ab ea persona, quæ declarata est inhabilis ad se obligandum tali modo; quia nullus est major defectus obligationis quam inhabilitas ad se obligandum. Sic vota Religionis facta ante decimum quintum annum compleatum sunt in utroque foro nulla; quia impubes declaratur inhabilis ad professionem Religiosam emitteandam.

P R O P O S I T I O IV. Leges, quibus Res publica ad vitandas fraudes dolosque præcavendos apponit certas solemnitates obligationibus & contractibus, qui fiunt à personis etiam habilibus ad contrahendum, videntur esse absolutæ & obligatæ in conscientia, ubicumque leges illæ vigorem habent. Ita tenent insignes Doctores, Covaruvias, Soto, Solonius, Vasques, Silvius, &c.

Probatur Ratione. Leges, quæ fiunt ob bonum publicum, sunt absolutæ, & obligantes in utroque foro; quia nihil aliud requiritur ad legem absolutam: atqui leges statuentes certas solemnitates ad vitandas fraudes, sunt ob bonum publicum; publica enim utilitas exigit, ut non solum puniantur fraudes, sed etiam ut præcaveantur: ergo prædictæ leges videntur esse absolutæ, & obligare in utroque foro; lex enim justa ex omni parte, obligat in utroque foro.

Dixi, quandiu leges illæ vigorem habent; nam si sint aliæ leges, vel Ecclesiasticæ, vel locales, quibus derogetur juri communi, tunc standum est legi particulari.

Sic licet per jus commune requirantur sepe,

rem testes in Testamento, tamen in favorem causæ piæ sufficiunt tres testes ad legatum pro causa pia.

Sic in territorio patrimonii Divi Petri ex constitutione Alexandri III. sufficiunt ad Testamentum tres testes; quia Papa quatenus princeps civilis voluit illam legem pro civibus sibi subjectis condere, nimirum pro Ostiensibus, inquit Cano. Ita eamdem Decretalem explicat Silvius.

Sic in civitate Tolosana sufficiunt tres testes ad verum Testamentum; quia talis est consuetudo illius urbis.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Vigore juris civilis nulli sunt illi contractus, qui fiunt à personis etiam habilibus ad contrahendum; si non observentur solemnitates à jure constitutæ; decet enim privatum hominem de rebus suis non disponere, nisi juxta leges Reipublicæ.

Sic solemnis donatio ingentis alicujus summae facta etiam à majore sine insinuatione ut dicunt, est nulla in utroque foro; lex enim jubet donationem ingentis summæ vigorem nullum habere sine insinuatione.

Sic Testamentum factum etiam à majore sine septem testibus nullum est; quia lex ita jubet. *Ex imperfecto Testamento*, inquit Justinianus, voluntatem teneri defuncti nisi inter solos liberos non volumus.

C O N S E C T A R I U M II. Vigore Juris Canonici nullæ sunt ex obligationes, quæ fiunt à personis etiam habilibus ad se obligandum,

32 MORALIS CHRISTIANA.
si non observentur solemnitates per jus Canonum requisitæ.

Sic professio Religiosa emissâ etiam ab eo, qui decimum quintum annum excessit, est nulla, si fiat ante completum integrè annum Novitiatus; quia Tridentinum exigit integrum annum Novitiatus.

Monitum circa prædictas propositiones.

Leges, quibus Respublica irritat contractus, vel declarando personas inhabiles ad contrahendum, vel apponendo certas solemnitates contractibus, non eximunt contrahentes ab obligatione naturali, si quam inierint, vel in ipso contractu civiliter invalido; vel ante, aut post contractum civiliter invalidum.

Probatur Ratione. Lex positiva, sive civilis, sive Ecclesiastica, legem naturalem non solvit, sed determinat non irritat, sed explicat, ut patet ex dictis, ubi de lege: ergo si contrahentes, etiam invalidè aliquam obligationem naturalem iniant, tenentur eam adimplere.

Sic, licet filius familias, vienatus-Consulti Macedoniani, non possit cogi à judice ad solvendum debita, tamen, inquit Justinianus, manet obligatio naturalis solvendi creditori, quod debetur.

Sic licet femina conjugata, vienatus-Consulti Velleiani, non possit cogi coram judice ad solvendum, quod mutuata est, tamen manet obligatio naturalis solvendi debita creditori.

CAPUT III.

*De acquirendo & de transferendo rerum
Dominio.*

Nota. 1^o. Rerum Dominium transferri & acquiri potest vel jure naturali , vel jure gentium , vel jure civili ; quia singuli homines triplici illo jure ducuntur : jus enim divinum & Ecclesiasticum cum jure naturali gentium , & civili ut plurimum concordant , ubi agitur de acquirendo & transferendo rerum Dominio. Quod si discordent , & unum jus per aliud determinetur , vel corrigatur , sistendum est juri , quod fortius ligat , ut dictum est in primo Tomo , ubi de lege .

Nota 2^o. Quod rerum Dominium transferatur . vel voluntate privatorum , vel autoritate Reipublicæ ; ideo ostendemus . 1^o. Quomodo privatus homo juxta jus naturale gentium , & civile , se gerere debeat in transferendo & acquirendo rerum Dominio . 2^o. Explicabimus quomodo jure gentium & jure civili Res publica transferant rerum Dominium contra , vel preter privatorum hominum consensum & conventionem .

ARTICULUS I.

Quomodo juxta jus naturale explicatum per ius civile & divinum se gerere debeat privatus homo in transferendo & acquirendo rerum Dominio.

PROPOSITIO unica. Attendendo ad jus naturale confirmatum per jus civile & divinum, illicita & nulla est ea, quæ per dolum & fraudem sit bonorum temporalium, vel traditio, vel acquisitio.

Probatur 1°. Ex veteri Testamento apud Jerem. 5. v. 26. Deus rejicit Judæos, quia, inquit, *inventi sunt in populo meo impii, INSIDIANTES quasi ancipes, laqueos ponentes & predicas ad capiendos viros.* Et ex Paulo ad Rom. 1. v. 29. Gentiles tradidit Deus in reprobum sensum, plenos contentionis & DOLO: ergo nulla & illicita est, quæ per dolum habetur bonorum acquisitio & traditio.

2°. Ex novo Testamento. *Præcepta nosci; ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne FRAUDEM FECERIS.* Marc. 10. v. 19. & Paulus 1. ad Thessal. 4. v. 6. *Ne quis supergrediatur neque CIRCUMVENIAT in negotio fratrem suum, quoniam vindicta est Dominus de iis omnibus.* Et quamvis aliqui textum istum Pauli de adulterio intelligent, tamen multi de fraude & dolo in negotiis intelligi volunt: ergo illicita & nulla est, quæ per fraudem habetur bonorum acquisitio & traditio.

3°. Ex jure civili. *Pacta, quæ contra leges,*

constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt,
nullam vim habere indubitati juris est. L. 6.
C. De Pactis: ergo, &c.

4^a. Ratione. 1a Ratio. Modus acquirendi
& transferendi Dominium introduci tantum
potuit vel jure naturali, vel jure gentium,
vel jure civili, ut patet: atqui triplex illud
ius fraudes & dolos prohibet, & nullos de-
clarat contractus per fraudem, apud omnes
quippe initos receptum est istud axioma; ne-
mini sua fraus patrocinatur: ergo & illicita &
nulla est acquisitio & traditio bonorum, quæ
fit fraudulenter.

2a Ratio. Illicitum, imo nullum haberet
debet, quod destruit bonos mores, jurique
adversatur. cap. fin extra de pactis: ergo cum
dolus & fraus mores corrumpant, & juri ad-
versentur, illicita & nulla erit, quæ per frau-
dem sit, bonorum acquisitio & traditio.

Consectariae hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Omnis occupa-
tio, omnis accessio, quibus jure gentium
acquiritur bonorum temporalium possessio,
item omnis usucatio, omnis præscriptio,
quibus jure civili acquiritur bonorum posses-
sio, est illicita & nulla, si interveniat mala fi-
des: quia ubi fraus & dolus interveniunt, non
potest validus esse titulus possidendi. Ideo di-
citur, quod possessor malæ fidei nullo tempore
non præscribit, & quod titulus falsus est titu-
lus nullus,

CONSECTARIUM II. Illud pactum nul-
lum est, in quo convenit inter contrahentes

se se mutuò pro cuiuslibet versutia fallere; quia ibi fraus interveoit. L. *Si unus ff. de Pactis.*

CONSECTARIUM III. Pactum illud nullum est, in quo pars decipiens non poterit conveniri actione doli, nec similiter furti, vel injuriarum; quia ibi fraus relinquitur impunita.

CONSECTARIUM IV. Pactum illud nullum est, in quo statuitur, ut filia dote sit contenta, & patris hæreditati renuntiet; quia ibi fraudatur filia. L. *Pactum dotale, C. de pactis conventis.*

CONSECTARIUM V. Pactum illud nullum est, in quo licet marito cum uxore alienare rem dotaalem vel donationem propter nuptias; quia præsumitur uxor decipi. L. *unica de Rei uxoriae cōione.*

CONSECTARIUM VI. Irritum est pactum, quo filii accipientes à parentibus infra portionem legitimæ debitæ, renuntiant juri exigendi legitimam sibi debitam; quia in tali renuntiatione semper præsumitur dolus.

CONSECTARIUM VII. Nullus est contractus inter duos voluntariè consentientes, si sit in præjudicium tertii non consentientis; quia nemo potest de re aliena invito Domino disponere:

Sic contractus depositi, quo latro deponit apud alium rem furto ablata, est nullus, non enim latroni, sed vero Domino reddenda est res furto ablata, licet depositum generaliter sit reddendum deponenti. L. 31 ff. de Poss.

Sic conventionis inita inter duos hæredes præsumptos circa expectatam hæreditatem sine consensu

consensu testatoris, est nulla. L. 30. C. de
Pac alias daretur occasio optandi mortem tes-
tatoris.

ARTICULUS II.

*Quomodo juxta jus civile explicatum per jus
canonicum se gerere debeat privatus homo in
transferenda & acquirendo rerum Dominio.*

PROPOSITIO unica. Attendendo ad *jus* *civile* *confirmatum* per *jus Canonicum*, nulla est ea bonorum temporalium solemnis traditio & acquisitio, quæ fit etiam absque dolo & fraude, si fiat per contractum, qui careat solemnitatibus à jure civili requisitis.

Probatur 1º. Ex jure Canonico cap. *Quia plerique*, de immunitate Eccles. dicitur quod qui per contractum, cui deficit solemnitas juris, aliquid possidet, tenetur ad restitutionem: ergo per contractum, qui nullus est juxta leges, nec acquiri, nec transferri potest rerum Dominium. Juxta *jus civile* *confirmatum* per Canones.

2º Ratione. 1. Ratio. Respublica ut potest sapiens omnium civium tutrix potuit naturali-
lem civium voluntatem cohibere in suis dis-
pensandis rebus; atque adeò modum illis præ-
scribere & providere, ut illi contractus decla-
rentur invalidi, qui his conditionibus præ-
muniti non fuerint, quas ipsa exigit: ergo per
contractum, qui nullus est juxta leges, nec
acquiri, nec transferri potest rerum Domi-
nium.

2. Ratio. Respublica, cui naturaliter com-
Tem. IV. D

petit in singulos homines autoritas , potuit constituere certas formulas & conditiones , sine quibus vel partes declarantur inhabiles ad contrahendum , vel contractus nullo modo validi habeantur , ut patet ex dictis : ergo per contractum , qui nullus est ; nec acquiri , nec transferri potest rerum Dominium. Etenim si privati homines possint certas conditiones statuere , quibus seclusis , contractus ipsorum sint invalidi , à fortiori Respublica idem poterit.

Consectaria bujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Qui contrahunt cum pupillo sine consensu tutoris , cum fœmina maritata sine consensu mariti circa bona dotalia , invalidè contrahunt ; quia ita leges determinant , & ita nulla est illa bonorum temporalium traditio vel acquisitio , etiam in foro interiori.

Sic qui facit Testamentum sine debitiss solemnitatibus , idem est ac si nullum fecisset testamentum , & si decebat , quasi ab intestato decedit , L. 21. *Hac consultissima , c. de Testam. non subscriptum à testibus , ac non signatum Testamentum , pro infecto haberī convenit.*

CONSECTARIUM II Qui contrahunt invalidè cum pupillo , cum fœmina conjugata , qui ineunt matrimonium nullum , qui condunt testamentum irritum , nihil possunt acquirere in utroque foro ex vi illius obligationis invalidæ ; contractus enim & obligationes in utroque foro invalidæ nec obessa possunt , nec prodefit.

Sic , si quid tibi offeratur à pupillo , à fo-
mina conjugata per contratum invalidum ,
teneris non acceptare , nisi aliunde id tibi de-
bitum esset ex obligatione naturali .

Sic , si invalidè matrimonium ineas , nec
obligaris comparti , nec compars tibi . Si inva-
lidam professionem emittas , nec obligaris
communitati Religiosæ , nec communitas
tibi .

Sic , si hæres sis ab intestato , non teneris sol-
vere legata scripta in testamento invalido ;
quia legatum invalido testamento adjunctum ,
nullum est , nisi sit ob causam piam ; accesso-
rium enim sequitur naturam principalis .

Sic , si tutor sis pupilli , ad quem ab intesta-
to pertineat aliqua hæreditas , et si conscius sis
testatorem voluisse transferre hæreditatem ad
alium quam ad pupillum , debes tamen eniti
ut hæreditas succedat in favorem pupilli ; tu-
tor enim tenetur sequi non voluntatem priva-
tam testatoris , sed voluntatem publicam legis .

ARCICULUS III.

*De non solemnni translatione & acquisitione Do-
minii , quæ fit vivâ voce , sive brevi manu ,
vel aliis hujusmodi rationibus absque instru-
mento publico .*

Propositiō unica . Quando fit alicujus
rei traditio , non solemnis , si fiat sine do-
lo , sine fraude , ille qui accepit , potest rem
traditam retinere , quamdiu à judice non ex-
turbabitur .

Probatur 1º. Jure Canon. nám caus. 13 q. 2.
D ij

Can. Ultima, sic habetur. Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet. Et cap. indicante: de Testamen. sic habetur. Cognovimus quod moriens uxor redempti concham argenteam nudis verbis jussie venumdari, & suis dari libertis, & scutellam argenteam cuidam monasterio reliquisse; in quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri: ergo translatio non solemnis quæ sit brevi manu suum vigorem habere debet.

¶ 2º. Ex jure civili, lib. 2. Instit. Tit. 13. §. ult. Quod si is, inquit Justin. à quo relictum dicitur, postquam negaverit, confiteatur quidem aliquid à se relictum esse, sed ad legis subtilitatem recurrat; omnino solvere cogendus est: ergo donum quod sit, sine civilis juris solemnitate, vigorem juris naturalis habere debet.

3º. Ex D. Antoni. 3. P. titul. 10. §. ult. cap. 3. ubi sic habetur Nota, inquit, quod cum quis sanus, vel infirmus, qui est sane mentis, ultimò disponit de bonis suis, de quibus potest disponere; per simplicem scripturam, vel per verba solum, non violentatus, vel circumvenitus, sed liberè sine notario & testibus debitiss, standum est ejus tali dispositioni in foro conscientiæ, & heredes, quibus hoc constat certitudinaleiter, tenentur ad observandum illud, etiam si prius per solemne Testamentum aliter disposuerat: ergo translatio non solemnis, vigorem suum habere debet in foro conscientiæ.

4º. Ratione. Jure naturæ, quilibet ita est rerum suarum Dominus, ut pro libito possit eas in aliud transferre, adeò ut juris solemnitates tantum observare teneatur cum de rebus suis disponit per aliquod publicum instru-

mentum: at qui in translatione, quæ sit vivâ voce, non intervenit publicum instrumentum; ergo tunc quilibet potest pro libito res suas dâre, absque solemnitatibus juris, sed solum brevi manu & vivâ voce; ergo hæc translatio suum debet vigorem juri naturæ.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Traditio rerum mobilium, qualia sunt jocalia, supellestilia, argentum, &c. quæ sine solemnitatibus juris, absque notatio, & testibus fieri solet, valida est, sistendo intra jus naturæ; quia jus civile, non potest nisi eos contractus irritos declarare, qui fieri solent cum solemnitatibus juris.

Sic, sistendo intra jus naturæ, valida est donatio, venditio, permutatio, quæ sic sine solemnitatibus juris, & ita verè mea est res mobilis, quæ mihi, vel vivâ voce, vel brevi, manu data est; justè pariter quasi meas possum habere res quascumque mobiles, quas vel peremptionem, vel per permutationem acquisivi; singuli enim illi modi acquirendi res mobiles solent fieri absque solemnitatibus juris.

C O N S E C T A R I U M II. Traditio rei immobilis, qualis est fundus. Traditio rei incorporalis, quale est jus, vel in re, vel ad rem, quæ non fieri solet nisi cum certis solemnitatibus juris, non videtur valida nisi observatae fuerint eæ solemnitates, quæ per leges præscribuntur. Jus enim civile irritos declarat eos contractus, qui juris legibus adiungantur.

Sic Testamentum carens debitis solemnitatibus, solet per judicem, nullum declarari.

ARTICULUS IV.

*Quid præstandum est ei, qui bona fide possidet,
qua eis obvenerunt per contractum solo
jure civili invalidum.*

PROPOSITIO unica. Qui bona fide possidet aliquid, quod ei obvenerit per contractum solo jure civili invalidum, si compellatur coram judice, 1º. Tenerit fateri veritatem, 2º. Tenetur subire sententiam judicis, 3º. Si à nullo compellatur coram judice, potest licetē retinere id, quod ab eo non exigitur, & quod ei bona fide obvenit.

1º. Tenetur fateri veritatem; quia nunquam mentiri licet, semper que illicitum est vel falso vel æquivocè jurare, ut diximus, ubi de juramento.

2º. Tenetur subire sententiam judicis. sententia enim iudicis non fundata in falsa præsumptione ligat in conscientia.

3º. Si non compellatur coram judice, potest retinere, quod ei bona fide obvenit; quia in dubio melior est conditio possidentis.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Qui apud se habet bona, que à pupillo, à foemina conjugata accepit vi contractus, solo civili jure invalidi, si sistat coram judice, tenetur sincere ve-

ritatem dicere, & si contractus declaretur nullus, tenetur sententiam subire, & quod acquisivit reddere; quia titulus, quo possidet, declaratur nullus: & proinde tam in foro interno quam externo tenetur sententiæ judicis obedire.

Item. Qui institutus est hæres per Testamentum, quod nullum sit ob solum defectum illarum solemnitatum, quæ à jure requiruntur, si bona testatoris apud se habeat, cum ab hæredibus ab intestato juridicè requiritur, non potest mentiri, nec falsò vel equivocè jurare, & postquam Testamentum nullum declaratum est, tenetur ea bona hæredibus ab intestato restituere, & nihil eorum bonorum potest occultare; quia, ut supponitur, non possidet illa bona nisi vigore Testamenti, quod declaratur nullum à judice. & ita tenetur tum in foro interno quam externo se subjicere sententiæ judicis.

CONSECTARIUM II. Qui habet apud se bona, quæ à pupillo vel à fœmina conjugata accepit per contractum, qui jure civili invalidus est. & nemo sit, qui ea bona juridicè requirat.

Item. Qui institutus est hæres per Testamentum, quod nullum sit ob solum defectum illarum solemnitatum, quæ à jure requiruntur, si bona testatoris habeat apud se, & nullus sit hæres ab intestato, qui cum juridicè requirat, & nullitatem Testamenti coram judice persequatur, puto quod possit illa bona tutâ conscientiâ retinere & quod non teneatur sponte offrere ea bona accepta vel à pupillo, vel à fœmina conjugata, vel à testatore.

1°. Quia sistendo intra jus naturæ justè p. fideo , quod voluntatiè datum est , & sine fraude accepi , & donatio valida jure naturæ non videtur vigorem suum amittere , donec per sententiam juridicam annulletur.

2°. Lex irritans contractus & Testamenta , quæ carent solemnitatibus juris , non ligat nisi intimata ; non censetur autem intimata nisi post declarationem juridicam.

ARTICULUS V.

De modo , secundum quem Res publica jure gentium transfert . rerum Dominium per occupationem & accessionem contra vel præter privatorum hominum conventionem & consensum.

Nota. Occupatio est titulus , quo rem , quæ nullius est , sed alicujus esse potest , occupando , nostram facimus : *Quod enim nullius est , id ratione naturali occupanti conceditur.*

Accessio est titulus quo res ideo nostra fit , quia rei , quam jam possidebamus , accedit : *Accessorium enim sequitur naturam p. incipialis.*

Propositio unica Tanta est Reipublicæ autoritas in bona exteriora ut res , quæ nostra non erat , ordinante Republicâ nostra fiat : vel per occupationem , vel accessionem , seu quod idem est , occupatio & accessio cum debitissimis conditionibus sunt sufficiens titulus acquirendi res , nedum coram hominibus , sed etiam coram Deo.

Probatur 1°. Ex jure civili , ex lib. 41. ff. ubi toto titulo primo statuitur , res , quæ nullius

funt, & quæ alicujus esse possunt, acquiri posse pluribus modis, præcipue occupatione & accessione.

2^o. Ratione. Ad Rempublicam spectat determinare modum, quo acquiri possunt ea, quæ nullius sunt, sed alicujus esse possunt; quia in hoc situm est altum, quod habet Respublica supra res corporales, dominium: at qui Respublica determinat, *occupationem & accessionem*, titulos esse legitimos acquirendi, ut patet ex Lib. 41. ff. Toto titulo primo: ergo, *occupatio & accessio*, sunt legitimi tituli acquirendi dominium rerum temporalium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Occupatio est iustus titulus acquirendi, modo præscriptæ observentur conditiones; & ita sequentes modi acquirendi sunt liciti, quia sunt species occupationis.

1^o. *Captivitas. Jure belli justi.* Per captivitatem nostros facimus ipsos hostes injustè resistentes, res hostium tum mobiles, tum immobiles, tum se moventes; quia si hostes occidere possumus, à fortiori eos mancipare, & bona eorum occupare jure belli: res mobiles & moventes se sunt primi occupantis, res immobiles sunt Principis.

II. *Venatio & pescatio non prohibita.* Per venationem licitam nostra facimus ea animalia, quæ occupamus, modo ea animalia ferre sint, qualia sunt non præcisè, quæ habent ferocem naturam, ut leones, ursi, &c. Sed etiam ea, quæ talem habent naturam, quæ

liberè vagantur , si sint bestie , vel liberè vogant , si sint aves , nec certà sede se continent : hujusmodi sunt lepores , cervi , &c. Aquilæ , perdices , coturnices , &c. Hujusmodi sunt pariter pisces liberis paludibus vagantes. Hæc omnia animalia sunt primi occupantis , vel illius qui ita ea aut vulnerat , aut coactat , ut brevi ea occupatus sit. Ita habes Lib. 41. ff. toto titulo 1.

Animalia vero domestica , qualia sunt oves , boves , gallinæ , anseres , anates , cuniculi in garena , columbæ in columbario , apes in alveis , pisces in privato stagno ; item animalia ferocia cicutata , ut sunt ursi & leones , imò aliquando , cervi mansueti , quandiu sunt sub tutela possessoris , quandiu solent abire , & ad idem domicilium reverti , tandem verum habent dominum , & ita furtum committit , qui ea occupat , animo detinendi , & sine animo ea reddendi vero Domino. Ita Justin. lib. 2. inst tit 1. § Gallinæ.

Dixi , venatio & piscatio licite , quia venatio & piscatio possunt esse variis titulis prohibitæ. 1° Titulo alti Domini , sic aliquando Principes & Dinastæ reservant sibi jus venandi & piscandi , vel ad delectationem , vel ad utilitatem ex venatione & pescatione provenientem. 2° Titulo publicæ utilitatis ; sic venatio & piscatio est interdicta eo tempore , quo fœcunda sunt animalia , ut non impeditur eorum multiplicatio , vel prohibetur exerceri venatio & piscatio cum his instrumentis , quibus nimis multa caperentur , ut tamdem desicerent. 3° Titulo damni illati vel Reipublicæ vel privatis possessoribus ; sic venatio pro-

hibetur in garenis privatorum , pescatio in stag-
nis privatorum , item & venatio columba-
rum , etenim hujusmodi venatione & pescatio-
ne & Respublica & privati damnum accipiunt
non mediocre.

III. *Inventio non prohibita.* Per inventio-
nem nostra facimus non homines hominum
que possessiones , ut in bello ; non animalia ;
quæ nullius sunt , ut in venatione ; sed res
inanimes , quæ nullius sunt , ut lapilli , the-
sauri , & res , quæ pro derelictis habentur à
suis possessoribus . Quia verò gravis agitatur
quæstio apud Casuistas circa istam materiam ,
ideò speciali Paragrapho eam explicabimus ,
sed prius agendum de accessione , per quam
acquirimus , quod accedit rebus , quas jam
possidemus .

C O N S E C T A R I U M II. Accessio est jus-
tus titulus acquirendi , modo observentur le-
ges à Republica præscriptæ . Et ita sequentes
modi acquirendi sunt liciti ; quia sunt species
accessionis vel naturalis vel industrialis .

Accessiones naturaliter factæ sunt hujusmodi.

I. *Alluvio.* Per alluvionem acquiritur id ,
quod flumen ex uno prædio detrahit , & alteri
adjicit , sive id fiat sensim , sive id fiat re-
pentè .

II. *Circumiuvio.* Per circumluvionem acqui-
ritur ea insula , quæ nascitur in flumine non
navigabili . Acquiritur , inquam , ab his , qui pro-
pe prædia possident , & hæc juxta latitudi-
nem cuiuscumque fundi . Insula verò , quæ in
maris enata est , fit primi occupantis ; quæ
verò enascitur in flumine navigabili , est Prin-
cipis .

III. *Alvei mutatio.* Alveus relictus per mutationem alvei acquiritur à possidentibus prædia prope rippam, pro modo latitudinis suorum prædiorum.

IV. *Fœtus.* Perfectum acquirimus ea, quæ ex nostris animalibus, etiam ab alienis impregnatis, nascuntur; quia fructus sequitur ventrem. Item acquirimus lapidinas, arenarias, fodinas ferri; quia sunt quasi fœtus accessorii fundi. Fodinae vero auri vel argenti sunt Principis; quia æquum non est, inquit Justin. §. *De rerum divisione*, ut res pretiosæ cedant fundo, & utilitas publica postulat, ut Rex Dominus sit illarum fodinatum.

Accessiones industriales sunt hujusmodi.

I. *Inædificatio.* Per inædificationem, quod in nostro fundo ædificatum est, nostrum efficitur; quia ædificium cedit solo. Sed attendendum est, an in fundo nostro, quis vel bonâ fide vel malâ fide ædificaverit, si ædificaverit bonâ fide, solvendæ ei sunt impensæ; minimè verò, si malâ fide ædificaverit.

II. *Intextura.* Per quam materia aliena etsi pretiosa intexta meo vestimento cedit vestimento.

III. *Implantatio.* Per quam planta etiam aliena in meo fundo consita, & radices agens, cedit fundo.

IV. *Satio.* Per quam sata, etiam aliena, sata in meo fundo, cedunt fundo.

V. *Scriptio.* Per quam litteræ qualescumque ab alio scriptæ, cedunt cartæ meæ: in favorem tamen picturæ, & propter excellētiā artis, pictura non cedit tabulæ, sed tabula picturæ. In prædictis casibus, si quis bona fide

fide intexturam , implantationem , stationem ,
scriptionem in alieno fecerit , debent ei solvi
impensæ , minime vero si mala fide fecerit

VI. *Specificatio* , id est , novæ speciei seu
corporis eductio , vel ex materia solum aliena ,
vel ex materia mea , simul & aliena ; ut dum
ex alieno metallo facio vas , ex alienis uvis
facio vinum , ex mea & aliena materia facio
vas , ex meis & alienis uvis facio vinum .

Specificatio est duplex , confusio & com-
mixtio .

Confusio est , cum liquida ejusdem vel di-
versæ speciei confunduntur , v. g. vinum & vi-
num , vinum & mel .

Commixtio est cum solida ejusdem vel di-
versæ speciei , ut frumentum & frumentum ,
vel frumentum & alia miscentur .

Si res facta possit reduci ad materiam pristinam , v. g. vas ex metallo ad metallum ;
materiæ Dominus , sit Dominus speciei factæ :
& artifex qui bona fide id fecit , potest ope-
raturum suarum mercedem exigere : si vero sci-
ret materiam esse alienam , perdit & speciem
& operas .

Si res facta non possit reduci ad pristinam
materiam , v. g. vinum reduci non potest ad
uvas , tunc artifex bonæ fidei , qui formam
induxit , est Dominus rei factæ : quia forma ,
inquit lex , quæ dat esse rei , est materiæ præ-
tantior , & Dominus materiæ habet actionem ,
quæ pretium materiæ repetat . Malæ fidei arti-
fex & speciem & operas debet perdere .

Accessio ex mixta ex naturali & indus-
triali est hujusmodi accessio naturalis & indus-
trialis , sive ea , quæ sit efficientia divinâ operante .

50 MORALIS CHRISTIANA.
industriā verò humanā cooperante, est unica,
scilicet fructuum *perceptionio*.

De fructuum autem perceptione ita jure
caustum est.

Si possessor bonæ fidei, sive titulo oneroso
ut emptionis, sive lucrativo ut donationis,
fundum possideat, omnes fructus ob cultu-
ram & curam percipit, & re nondum evictā à
Domino superveniente perceptor retinet, eā
evictā consumptos retinet tantum, extantes
restituit ff. L. 48. de acquire. ter. Dom.

Si possessor malæ fidei aliquid possideat,
nullos fructus facit suos, sed omnes cuius-
cumque generis perceptos, percipiendos,
extantes, consumptos, naturales, industria-
les, sive loccupletior factus, sive non, resti-
tuere cogiur aut estimationem, sive titulum
habeat, sive non leg. 45 ff de usuris De
his fusius, ubi de Restitutione. Jam ad Para-
graphum de rebus inventis.

§.

*De peccatis, quæ committi solent circa res
inventas.*

PROPOSITIO I. res inventas debemus
intueri non quasi nostras, sed quasi
alienas.

Probatur 1º. Scriptura Deut. 22. v. 2. & 3.
ubi sic habetur, & erunt inventa, scilicet
apud te, quandiu querat ea frater tuus, & reci-
piat . . . & de omni re fratris tui, quæ perie-
rit, si inveneris, eam ne negligas quasi alienam..

sed custodias, scilicet ut eam reddas. Cujus fidelitatis, exemplum egregium dedit nobis Jacob, istud præcipiens filiis suis: pecuniam, inquit, quoque duplēm ferre vobiscum; & illam, quam invenisti, in sacculis reportate, ne forte errore factum sit. Gen. 43 v. 12. apertè indicans, res inventas quasi alienas habendas esse.

2º. Ex Aug. sermone olim 19. jam. 178. estote inquit, fidetes inventores, & tunc iniquos vituperare raptiores; nam quod invenisti, & non reddidisti, rapuisti: ergo rem inventam debemus, non ut nostram, sed ut alterius, intueri.

3º. Jure Civili ff. leg. Numquam. De acquirendo rerum dominio, ubi sic habetur: donec, id est quandiu, probari potest Dominus rei inventæ, hæc in alterius potestatem transfire nequit.

4º. Ratione. Res inventa, antequam in manus veniat, nullo jure, nullo titulo nostra dici potest; cum nullum circa eam habeamus dominium: ergo antequam eam invenierimus, debemus, ut alienam intueri: ergo et si per inventionem in manus venerit, non possumus eam retinere, nisi vel per Reipublicæ legem, si ea res nullius sit, vel per consensum privati Domini, si ea res alicujus sit, ejus dominium acquiramus; quia sine furti crimine de re vel publici vel privati possessoris invito Domino disponere non possumus. De quo ita Cajet. Verbo Furtum. Inter aliena computantur inventa; tenetur enim inventor non sibi, sed Domino reddendam, accipere rem inventam, si bona conscientia accipere vult illam; alioquin furtum committit.

C O N S E C T A R I U M Unicum homo Christianus debet rem inventam accipere , non ut retineat , sed ut de ea juxta intentionem veri Domini vel publici vel privati disponat ; cum enim res inventa non ejus sit , sed alterius , de ea , juxta veri Domini intentionem , debet disponere , & proinde attentè considerare & examinare , an res inventa , vel ad publicum Dominum , id est Rempublicam , vel ad privatum aliquem Dominum pertineat , & de ea juxta rationalem veri Domini intentionem disponere .

P R O P O S I T I O II. Quoties res inventa talis est , ut ad nullum privatum hominem pertineat , & proinde Reipublicæ sit , toties inventor debet de ea juxta leges Reipublicæ , cuius est membrum , disponere .

Probatur Ratione . De re , quæ alterius est , non possumus , nisi juxta rationalem ejus intentionem disponere , si secùs faciamus , furtum committimus ; quia furtum est contrectatio rei alienæ invito Domino : ergo de rebus , quarum Respublica censetur habere Dominium , qualia sunt ea , quæ nullius sunt , non possumus disponere , nisi juxta leges Reipublicæ .

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. De rebus inventis , quæ jure Romano sunt solius inventoris . . . res inventæ , quæ nullius unquam fuerunt ; aut quæ , si olim fuerint alicujus , jam in nullius bonis sunt , aut quæ , si sint in bonis alicujus , pro derelictis habentur . Hæ

singulæ res sunt solius inventoris ; quia jure Romano eorum dominium transfertur ad inventorem. Sic gemmæ , Lapilli pretiosi in littore maris inventi , fiunt occupantis. Quod enim ante nullius est , inquit Justinianus , id naturali ratione occupanti conceditur. lib. 1. inst. tit. 1. §. item lapilli.

Sic thesauri , quorum non extat memoria , fiunt occupantis ; quia etsi Dominum habuerint , jam Dominum non habent ; & ita cum reperiuntur vel in fundo proprio , vel in loco sacro , vel publico , fiunt inventoris , lib. 2. inst. tit. 1. §. *Thesaurus* , sic res , quæ à vero Domino pro derelicta , idest , quam Dominus ita abjecit , ut in numero rerum suarum esse nolit , ut loquitur Just. lib. 2. inst. tit. de tecum divisione , hæc , inquam , rès tota est inventoris .

CONSECTARIUM II. De rebus inventis , quæ jure Romano partim sunt inventoris , partim alterius. Res , quæ casu inveniuntur in alieno fundo , ita se habent , ut dimidium pertineat ad inventorem , alterum verò dimidium ad Dominum fundi .

Sic , si extraneus fodiens in tuo fundo inveniat thesaurum , medietas ad ipsum pertinet , altera verò tui juris est .

Sic , si creditor in domo pignorata , conductor in domo locata , thesaurum inveniat , potest medietatem sibi retinere , & alteram medietatem Domino fundi debet reddere ; ita Adrianus naturalem æquitatem secuus determinavit. lib. 2. inst. tit. 1. §. *Thesaurus* .

Si quis vero dolo sciens thesaurum esse in alieno fundo , non præmonito Domino fundi

54 MORALIS CRISTIANA,
thesaurum inveniat, totus thesaurus est Do-
mini fundi; quia nemini sua fraus patroci-
natur.

Si quis per magiam thesaurum in suo fundo
inveniat, totus thesaurus addicitur fisco in
pœnam criminis. Si vero inveniatur in fun-
do alieno, medietas addicitur fisco, altera
medietas Domino fundi.

Sed aliter disponendum est de thesauris in-
ventis juxta jus Gallorum, cum enim thesau-
ri propriè nullius sint, possunt per leges
cujusque regni his, quibus lex jussit, ap-
propriari.

In Gallia juxta Dominum de Bignon, the-
saurus in alio fundo inventus, in tres partes
æquales est dividendus: ita ut altera pars per-
tineat ad inventorem, altera ad Dominum
fundi, tertia ad Dynastam, gallicè, *Seigneur*
baut justitier, vel ad Regem. Si vero thesau-
rus in proprio fundo fuerit inventus, media
pars est inventoris, alia Dynastæ, seu Regis.
Vide L. cui titulus. *Journal des audiences*, ad
annum 1633. demum oportet circa hanc rem
consuetudinem cujuslibet Provinciæ obser-
vare.

C O N S E C T A R I U M III. De rebus inven-
tis, quæ Dominum habent, sive cognitum, sive
incognitum. Res inventæ, quæ Dominum
habent, sive cognitum, sive incognitum,
non sunt inventoris, sed reddi debent vero
Domino, si inveniri potest, vel in piis causas
expendi, si inveniri non possit verus Do-
minus.

1°. Res illæ inventæ non sunt inventoris;
quia neque per legem, neque per Domini ve-

Iunctatem , earum dominium transfertur in inventorem ; non per legem , quia nulla est lex , quæ inventori appropriet tales res inventas : non per voluntatem Domini , cum Dominires perditas sedulò querant , & gratias agant , si reddantur . Demum quia juxta Aug. sermone olim 19. de verbis Apost. cap. 6. Deus , inquit , in lege sua dicit , *inventionem tanquam alienum esse reddendam.*

2º. Quando post sufficientem diligentiam non appareat verus rerum inventarum Dominus , res inventæ sunt erogandæ , vel pauperibus , vel in piis causas expendendæ ; quia , inquit Silvius in 22. q. 67. Res illæ revera Dominum habent ; quamvis ille nequeat inveniri : ergo sunt expendendæ secundum verisimilem Domini voluntatem : atqui meritò præsumitur eam esse Domini voluntatem , ut eæ res convertantur in misericordiæ opera , ut profint animæ , quæ corpori prodesse nequeunt : ergo in ea opera sunt convertenda. Ita jubet Sanctus Carolus Borromæus. P. 4. actorum Ecclesiæ Mediolanens. Si Dominus , inquit , diu requisitus non appareat , res inventa pauperibus , aut piis locis , erogetur.

Exemplum habes egregium apud Aug. ejusdam Grammatici , qui licet pauper , cum invenisset summam argenti in crumena , Dominum illius argenti summam diligenter quæsivit , & cum factis proclamationibus & affixis schedulis invenisset , noluit oblatam sibi exiguum summam recipere , sed nihil voluit sibi dari , ut totum cederet Domino. Serm. 21. de verbis Apost. & lib. 83. q. sed vixius tandem ille Grammaticus , quod offerebatur , ac

cepit, & continuò totum pauperibus erogavit, nec unum quidem solidum sibi retinuit.

CONSECTARIUM IV. De rebus vel in naufragio vel in incendio projectis. Bona, quæ in naufragio projiciuntur in aquam, vel in incendio extra incendium asportantur, non possunt ab his, qui eas res inveniunt, sine furti crimine retineri; etenim verus Dominus non habet eas pro derelictis, sed sub spe recuperationis exponit, & istiusmodi bona non de jure, sed de facto sunt extra potestatem Domini, atque ideo occupatione aut inventione acquiri non possunt: ideo Constantinus hanc legem statuit Cod. L. 11. tit. 5. de naufragiis si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad Dominos pertineat; fiscus meus se se non interponat, quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam lucuosa compendum sectetur. idem dici potest de bonis projectis ob incendium.

Si autem fiscus publicus naufragorum bona sua non facit, multo minus id fieri debet à privatis hominibus,

ARTICULUS V.

*De modo secundum quem Respublica contra vel
præter privatorum hominum consensum
transfert Dominium per usucaptionem
& præscriptionem.*

Nota 1º. Usucapio est acquisitionis Domini per continuationem possessionis temporis lege definiti. Usucapio est de mobiliis,

Præscriptio est exceptio, quā eliditur actio per silentium continuum temporis legē definiti. Præscriptio est de immobilibus.

Uſus jam invaluit, ut uſucapio & præscriptio eodem modo fere accipiuntur.

PROOOSITIO I. Tanta est Reipublicæ autoritas in bona singulorum hominum. ut invitis veris possessoribus, uſucapio & præscriptio cum debitis circumstantiis sint verus titulus & sufficiens acquirendi res, nedum coram hominibus, sed etiam coram Deo.

Probatur 1o. Ex jure Civili lib. 2. institut. 6. §. 1. statuitur quod non solum in Italia, sed etiam in omni terra, res mobiles per triennium, immobiles per decennium inter præsentes, & inter absentes viginti annis uſucapiantur. Et hoc 1. ne rerum Dominia in incerto sint 2. ut aliquis litium sit finis.

2o. Ex jure Canonico, cap. placuit, cap. Sanc-
torum, cap. de quarta. & demum toto titulo de præscriptione in Decretalibus, ubi statuitur quod præscriptio legitima sit verus titulus possidendi.

3o. Ex D. Th. quodlibet 12. art. 24. si quis præscribat bonâ fide, non tenetur ad restitutio-
nem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscrip-
tionem: quia lex potest aliquem pro peccato &
negligentia punire in re sua, & illam alicui dare
& concedere.

4o. Ex Scoto dist. 15. q. 1. præscriptio in im-
mobilibus, uſucapio in mobilibus est justa trans-
latio.

5o. Ex Gersonio, fundatur & jus præscriptio-
nis punientis, ne sint incerta dominia, negle-
ctos rerum propriarum, ac justè transferentis,

etiam apud Deum & conscientiam , tale dominium in bone fidei possessorem , & præscriptionem legitimum lib. de potes. Eccles. considerat in fine. Et in uno serm. sic pariter habet. Et hic fundatur rationabilibus præscriptionis & justa detentio rei , quæ prius fuit aliena ; justa inquit, ne dum in foro contentioso , sed conscientie.

6°. Ratione, Res publica , ut potest habens altum rerum dominium , potest usucaptionem & præscriptionem tamquam legitimum medium acquirendi res exteriores statuere ; ergo cum statuerit , ut constat lege 3. digest. de usucaptionibus. Et leg. ult. de præscriptionibus, debent haberit tanquam verus & legitimus titulus acquirendi.

PROPOSITIO II. Ad validam præscriptionem & usucaptionem , requiruntur sequentes conditiones istis versibus contentæ.

*Pura fides , justus titulus , res non vitiosa ,
Legitimum tempus , possessio continuata.*

§. I.

De bona fide requisita ad præscriptionem.

PROPOSITIO unica. Ad legitimam præscriptionem requiritur pura fides, id est , credulitas quæ quis sibi prudenter persuadet temeam , quam accipit , aut possidet , esse suam.

Probatur 1°. Ex Concilio Lateranen. 4. ubi sic habetur. Synodali judicio definitus , ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica quam Civilis. Ergo ad præscriptionem requiritur bona fides.

2°. Juxta regulas juris in 6. quæ à Doc-

teribus juris Civilis non rejiciuntur. *possessor*
mala fidei ullo tempore non praescit. Ergo
 ad præscriptionem requiritur bona fides.

3^o Ratione. Quicumque malâ fide ducitur,
 per legem juvari non debet; idè generalis
 hæc regula ab omnibus admittitur; *etmine sua*
fraus patrocinatur: ergo ad incipiendam & con-
summandam præscriptionem requiritur bona
fides.

Consectaria bujus Doctrinae.

Non præscribunt qui hic subjiciuntur.

1^o. Qui rem assequuntur malâ fide, scien-
 tes positivè res ad ipsos devenisse contra re-
 gulas juris, v. g. per furtum, per rapinam,
 per contractus manifestè injustos.

Imo si quis id, quod possidet, p[ro]p[ri]etate et sibi
 non licere per leges præscribere; et si errat,
 non legitimè præscribit. 1^o. quia non bona fide
 possidet. 2^o quia in jure erranti non procedit
 præscriptio. Ita habetur L. si fur. ff. de usucap.

2^o. Qui rem assequuntur dubiâ fide, si du-
 bia fides precedat omnem possessionem; v. g.
 si incipient possidere dubitantes, an res, quæ
 ad ipsos devenerunt, legitimè vel illegitimè
 devenerint; putâ si acceperint ab homine,
 quem latronem suspicabantur, si acceperint
 per contractus, quos injustos augurabantur:
 quia in dubio favendum est reo potius quam
 actori; qui autem possidere incipit, est veluti
 actor, & qui ante possidebat est veluti reus:
 ergo favendum est illi qui possidebat antea,
 non illi qui de novo possidere incipit. Si vero
 dubitatio superveniat possessioni, non tollit

bonam fidem ; nec impedit præscriptionem ; quia *in pari causa*, *metior est conditio possidentis* regul. 65. de regulis juris in 6. *tandiu enim bonæ fidei possessor dicitur*, *quandiu se possidere ignorat alienum*. Can. si virgo C. 34. q. 1.

3°. Qui rem assequuntur cum ignorantia etiam inculpabili juris clari , de quo oinnes conveniunt , v. g. qui rem assequitur per contractum communiter reprobatum , v. g. per contractum initum cum pupillo sine consensu tutoris , per contractum apertè usurarium. Ita habet lex *Juris ff.* de ignorantia juris & facti. *juris ignorantiam in usucacionibus negatur prodesse* , *facti vero ignorantiam prodesse constat*. Et leg. 31. ff. de usucacionibus. *Nunquam in usucacionibus juris error possessoribus prodest* , *ignorantia vero juris dubii non impedit præscriptionem*.

4°. Qui rem assequitur medio injusto , sed appetenter justo , v. g. per sententiam in quam judicis , quam ipse vel argento extortis vel falsis instrumentis procuravit , vel apertè injustam cognovit , qui rem emit dolorè ab homine , cui juridicè prohibetur alienatio , qualis est amens.

§. I I.

P R O P O S I T I O unica. Ad legitimam præscriptionem , infra quadraginta annos currentem , præter bonam fidem requiritur *justus titulus* , id est , justa possidendi quod nostrum non est cauila , & non sufficit titulus falsus.

Probatur 1°. Ex Bonifacio 8. cap. 1. de præscript.

præscript in 6, ubi sic habetur. *licet ei, qui rem præscribit Ecclesiasticam; si sibi non est contrarium jus commune, vel contra cum præsumptio non habatur, sufficiat bona fides: ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit; sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi: nisi ranti temporis alligetur præscriptio, cuius contraria memoria non existat.*

2º. Ex jure Civili. L. obligationum 44. ff. de obligatio & actio. ubi disertè ostenditur quod sola bona fides non sufficit ad præscriptionem sed requiritur justus titulus; quia sicuti ex temporis tractu non tollitur aliquod jus ita & non constituitur.

3º. Ratione. Rem sine titulo possidere licet non possumus: ergo neque præscribere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARUM I. Legitimè præscribunt qui cum bona fide & justo titulo rem determinidato tempore possident v. g. qui rem habent titulo solutionis, emptionis, transactionis, hereditatis, occupationis legati, dotti &c. quia hi tituli veri censentur imò qui cum bona fide sine titulo rem possident à tempore cuius memoria non extat v. g. à quadraginta annis & ultra, ut docet covarr vari. resol. lib. I. cap. I.

CONSECARUM II. Legitimè non præscribunt qui rem habent per falsum titulum quanto cumque tempore retinuerint; quia titulus falsus magis nocet quam prodest.

Sic qui rem asequitur titulo falso , v. g. latro non præscribit rem furto ablatam , usurarius rem usuris partam , mutuarius rem mutuo datam , depositarius rem deposito commissam . *His enim usucapio non competit , qui mala fide possident.* 2. instit de usucap.

Sic qui sunt incapaces acquitendi , v. g. Laici possunt ex concessione decimas ad tempus accipere , sed non præscribere jus exigendi decimas , quia non sunt capaces talis tituli . Religiosi non possunt præscribere dominium temporalium ; quia ex Trident. non habent capacitatem talis Domini . Servi non possunt sibi præscribere ; ex jure enim Civili quidquid acquirunt servi , Domino acquirunt.

§. III.

In quo explicatur hæc vox , res non vitiosa.

PROPOSITIO Unica. Ad legitimam præscriptionem requiritur , quod res quæ præscribitur capax sic præscriptionis.

Probatur Ratione. Præscriptio non viget nisi vigore legis : ergo res quæ per legem existimatur à præscriptione , non potest præscribi.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Res quæ hic subjiciuntur non præscribuntur.

1°. Res furto vel rapinâ ablatæ , etiam bonâ fide acceptæ aut acquisitæ. Furtum enim nequit esse titulus acquirendi.

2°. Publicæ functiones Ecclesiæ , Res publicæ ,

primitiae, decimationes. cap. *cansam.* De
præscriptionibus.

3°. Provinciæ, Parochiæ, Diœceses certis li-
mitibus distinctæ. Can. *licet,* & cap. *cum cansam.*
de probat.

4°. Immunitas à visitatione, à subjectione,
aut procuratione solvendà prælato, dum ab
eo visitantur cap. *cum ex officiis de præscripto.*

5°. Matrimonium illegitimum. cap. *nos.*
dibet, de consanguin, & affin.

6°. Votorum violatio quantumvis diurna.
cap. *sicut nobis;* de regularibus.

7°. Homo liber ut fiat servus, res Religiosa,
sacra, præscribi non possunt 1. *usucaptionum*
ff. de usucaptionibus.

§. I V.

De legitimo tempore præscriptionis.

PROPOSITIO. Unica ad legitimam
præscriptionem requiritur tempus à lege defi-
nitum.

Probatur Ratione. Præscriptio solo jure
positivo introducta est: ergo ad legem perti-
nere statuere tempus præscriptioni percurren-
dæ necessarium: quod quidem juxta varia-
tatem rerum, vel brevius vel diutius legibus
constitutum est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Diversæ sunt præscriptionum species, quas
hic sigillatim induco.

2a. Est triennalis pro rebus mobilibus. 2.
inst. de usucap.

- 2a. Est quadriennalis , ut cum res emuntur
à fisco l. i & toto titulo C. de quadra.
- 3a. Est Decennalis pro rebus immobilibus
& incorporalibus , utí sunt servitutes , & ea
qua in jure solo consistunt , & hoc inter præ-
sentes toto titulo C. de longo tempore præscript:
- 4a. Est vicennalis pro rebus immobilibus &
in corporalibus inter absentes. ibid.
- 5a. Est triginta annorum , & hoc pro rebus
immobilibus sine. titulo L. 8. C. de præscrip.
triginta ann.
- 6a. Est quadraginta annorum pro rebus Ec-
clesiasticis. Authent. quas actiones. C. de S. S.
Eccles. c. 4.
- 7a. Est centum annorum pro rebus Ecclesiæ
Romanæ & pro rebus regalibus. cap. ad
audientiam.

§. V.

De possessione continuata.

P R O P O S I T I O Unica. Ad præscriptionem
requiritur possessio continuata, idest sine inter-
ruptione perseverans.

Probatur. juxta leges Civiles sine posses-
sione certa non præscribitur : ergo possessio
debet esse perseverans & non interrupta.
Ideò dicunt Doctores , si possessio interrum-
patur ad nihil reducitur & priore n' hil com-
modante de novò est inchoanda.

Interrumpitur autem possessio , vel natura-
liter , quando scilicet possessor realiter possi-
dere desinit , vel civiliter , quando scilicet
possessor per citationem solemnum & litis
denuntiationem inhibetur possidere ; & quia

interrupcio, res est facti , ait D. Thomas , debet probari , vel per instrumenta , vel per testes singulares.

Consecaria hujus Doctrinæ.

Qui hic subjiciuntur non censemur præscribere.

Qui durante possessione non percurrit tempus utile , sed interrupitur possessio , vel quia verus Dominus interpellat possidentem , ut reddat rem suam , vel quia verus Dominus in iis est angustiis , ut nullatenus possit rem suam exigere , v. g.


2º. Qui durante possessione certò cognoscit rem non esse suam , sed alienam ; quia juxta jus Canonicum cap. fin. de præscriptione operaret , ut qui præscribit , in nulla temporis parte , rei habeat conscientiam alienæ.

3º- Si adhæreamus juri Canonico . qui bona fide incœpit præscriptionem , sed nondum elapsō tempore præscriptionis ei dubium vel suspicio aboritur num possideat alienum . is inquam legitimè non præscribit , ut colligitur cap. vigilanti de præscriptionibus , ubi dicitur : *cavendum est , ne male fidei possessores simus in prædiis alienis ; quoniam nulla antiqua dierum possessio juvat a' quem male fidei possessorem , nisi resipuerit , postquam se aliena noverit possidere ; cum veræ fidei possessor dici non possit*

Si adhæreamus soli juri Civili prædictus possessor legitimè præscribit ; quia , ut inquiunt , in pœnam seignitiei Respublica plenâ autoritate transfert dominium rerum in eos , qui bona fide incipiunt usucaptionem & præ-

criptionem. Dominus de Sainte Beuve censet quod ubi viget jus Romanum, possumus illud hac in re, in foro conscientiae sequi.

Monitum. Restitutio in integrum est unicum remedium pro his, qui bona sua perdidérunt per præscriptionem, concediturque à judice r. minoribus his, qui nondum vigesimum quintum annum expleverunt. 2. Ecclesiis & piis locis. 3. majoribus, si probent præscriptionem cum probabili sua ignorantia & sine suâ culpâ peractam esse.



TRACTATUS SECUNDUS.

DE VARIIS PACTIS & Contractibus, quibus voluntarie transfertur rerum Dominium,

PRO E M I U M.

SI consideremus negotiationem ut vulgo exerceri solet, speciem quamdam mali habere videtur. *Difficile enim est, inquit leo, inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum.* Epis. 92. ad Rustic. cap. 9. Ideò dicit Scriptura Ecclis. 25. v. 28. *difficile exuitur negotians à negligentia, sive ut Græcus textus habet à deceptione;* & non justificabitur *cavvo à peccatis labiorum.* Verumtamen si mereaturam consideremus in prima sui institutione, non iniqua, sed licita est que pactis & Contractibus fovetur negotiatio; immo ars illa fuit naturali necessitate.

Inducta , ut homines arctioribus inter se nexibus vincitentur. Cum enim non omnia quælibet tellus producat, commercio utili efficitur , ut ad extraneos deferamus quæ illi non habent , & ipsi vicissim ad nos refferant alia quibus indigemus , & ita ut optimè ait Justinianus *in iuri utilibus commutamus*. Nobis & aliis prosumus mutuis pactis & conventionibus ; sed cavendum maximè ne dum fovetur civilis societas dissocietur forte Christiana charitas , semperque menti Christianorum negotiantium obvium esse debet illud Isaiæ. Et erunt negotiationes ejus & merce de ejus sanctificate Domino. Isai. 23. v. 18. & illud Pauli ad Thessalos. 4. v. 6. ne quis supergrediatur , neque circumveniat in negotio fratrem suum quod quidem quo pacto fieri valeat, toto isto tractatu explicabimus .

CAPUT PRÆLIMINARE.

De Pactis , obligationibus , contractibus , & actionibus.

Vulgare est apud Doctores juris istud dictum scilicet, *pacta pariunt obligationes*, *Obligationes contractus , contractus verò actiones*. Ideò Congruus ordo postulat ut singula hæc in hoc præliminari capite breviter perstringamus, ut his semel explicatis, mens fiat, ad ea quæ dicenda sunt, paratior. Quocirca, sit.

ARTICULUS I.

De pactis.

Pactum generatim est duorum vel plurimum in idem placitum conventio de re aliqua danda vel facienda L. i. ff. de Pactis.

Pacta alia sunt publica, alia privata.

Pacta publica ea sunt, quæ Reipublicæ causâ fiunt, & fœdera numcupantur. Hujusmodi sunt conventiones quas inter se ineunt principes, vel de pace vel de bello.

Pacta privata ea sunt quæ de rebus privatorum fiunt, & hujusmodi sunt omnes conventiones, quæ fiunt à privatis hominibus.

Pacta alia sunt naturalia, alia civilia.

Pacta naturalia ea sunt, quæ ex æquitate naturali & usu communi gentium ortum, vires, & effectum habent. Hujusmodi sunt conventiones omnes quibus jus civile nullas conditiones apponit, sed eas libero hominum consensui determinandas relinquit quæsunt v. g. pactiones circa res exigui valoris & pretii, de minimis enim, ut vulgo dicitur, non curat prætor.

Pacta civilia ea sunt, quæ specialiter aliquâ lege vel edicto prætoris, vel constitutione principis confirmantur talia sunt pacta circa dotes constituendas, circa censum pecuniarium stabiliendum, & figendum, & alia

hujusmodi quæ non relinquentur arbitrio hominum, sed certis legibus determinantur.

Pacta alia sunt expressa, alia tacita.

Pacta expressa ea sunt, quæ constant consensu expresso, vel per verba; vel per scripta. L. 7. C. de pactis. hujusmodi sunt pacta quibus, vel verbis, vel scriptis nos obligamus.

Pacta tacita ea sunt quæ constant consensu, qui nec verbo nec scripto exprimitur, sed ex aliquo facto & conjectura colligitur. l. 2. & 18. C. de pac. hujusmodi est pactum illius qui adeundo hereditatem, censetur pacisci cum creditoribus se velle solvere debitas hereditatis.

ARTICULUS II.

De obligationibus.

Obligatio generatim est juris vinculum, quo quis facere vel solvere vel præstare aliquid tenetur. L. 5. ff. de obligationibus.

*Obligatio est triplex, naturalis, civilis,
& mixta ex civili. & naturali.*

Obligatio naturalis ea est, quæ ex naturali ratione causam habet, & quæ solo æquitatis vinculo nitur. Talis est omnis obligatio quam recta Ratio inspirat, v. g. ut stemus pactis promissis, contractibus, voluntariè initis, etiam jure civili non informatis ita habetur L. 95. §. naturalis ff. de solutionibus & liberationibus.

Obligatio naturalis obligat in *foro conscientiae*, sed non dat strictam actionem in *foro contentioso*, v. g. Reus sum coram Deo, si nudum pactum non observem, si promissis non stem, sed si pactum meum nec scriptis munitum sit, nec testibus confirmatum, stricta actione coram judice compelli non possum.

Obligatio civilis ea est, quæ oritur ex jure civili, vel ab eo confirmatur. Hujusmodi est omnis obligatio, que, vel à lege introducitur, vel autoritate judicis declaratur.

Obligatio civilis ligat in *conscientia*, sicuti legem civilem ligare diximus, & insuper dat actionem in *foro contentioso*. v. g. si lex aut *judex* me ad solvendam certam pecuniam quantitatem addixerit, teneor in *conscientia* solvere, & si non solvam possum compelli coram judice ut exequar id ad quod teneor ex obligatione civili.

Obligatio mixta ex naturali & civili ea est, quæ oritur ex jure naturali simul & civili. Talis est ea obligatio quam æquitas naturalis inspirat, & quam jus civile debitum confirmat, v. g. obligatio solvendi creditori. Obligatio mixta ex naturali & civili ligat in *foro conscientiae* quatenus naturalis; dat vero actionem in *foro externo* quatenus civilis. Obligatio autem mixta ut plurimum cum contractu conjungitur. Ideo sit

ARTICULUS III.

De Contractibus.

§ I.

Explicatur natura Contractus in communi & in particulari.

COntractus juxta Ulpianum est ultro ci-
troque obligatio seu conventio reciproca
duorum vel plurium, verbis, Nutu, aut scrip-
to declarata: in utroque pariens obligationem
naturalem & civilem.

*Contractus alias est innominatus, alias nomi-
natus.*

Contractus nominatus est ille, qui
habet proprium nomen, v. g. emptio, ven-
ditio, locatio, conductio, mutuum, &c.

Contractus innominatus est ille,
qui caret proprio nomine & hic ad quatuor
species omnino reducitur, quæ his verbis com-
muniter exprimuntur; *do*, ut *des.* *do*, ut *facias.*
facio, ut *des.* *facio*, ut *facias.*

Ut cognoscatur natura Contractuum deberet
attendi quot requirantur in Contractibus.
Tria autem in Contractibus solent reperiri.
Primo personæ contrahentes Secundò res cir-
ca quas fiunt Contractus. Tertiò consensus
contrahentium. v. g. ego vendo equum petro
decemnummis; Ego & Petrus sumus personæ
contrahentes; Equus & nummi sunt materia

Contractus. Consensus reciprocus , est id quod propriè facit Contractum; Putà in exemplo alato consensus ex parte mei vendentis , & consensus ex parte Petri ementis.

Pro rerum personarum & consensuum varietate, varii sunt Contractus quos hìc breviter subjicio.

§ II.

De Contractibus quibus transfertur Dominium rei.

Contractus quo gratis transfertur in aliud Dominium rei, vocatur *simplex donatio*. v. g. ego dono gratis Petro meum agrum , meum librum.

Contractus quo transfertur in alterum Dominium rei , non gratis , sed res pro re commutatur , vocatur *commutatio* seu *cambium*. v. g. ego trado Petro meum agrum & ille mihi tradit suam vineam. Ille Contractus vocatur *commutatio vineæ cum agro*.

Contractus quo transfertur in alterum Dominium vel possessio rei , non gratis , non res pro re , sed res sub certa pecuniae summa , vocatur *venditio* ex parte dantis rem , & *empio* ex parte dantis pecuniam. v. g ego trado meum agrum Petro ex causa venditionis , & ille pretii nomine dat mihi centum nummos.

§ III.

§ III.

De Contractibus in quibus transfertur non Dominium rei, sed ususfructus rei.

Contractus quo ususfructus rei transfertur gratis, vocatur simplex *donatio fructus*. v. g. ego dono Petro gratis fructus agri mei, quos ipse percipere poterit si velit.

Contractus quo transfertur ususfructus rei non gratis, sed res pro re, vocatur *commutatio*. v. g. ego tradico Petro fructus mei agri, & ille tradit mihi fructus suæ vineæ.

Contractus quo traditur ususfructus rei, non gratis, nec res pro re, sed pro pretio traditur certâ pecuniae summâ, vocatur *venditio fructuum*.

Contractus quo traditur ususfructus rei sub aliquâ conditione. v. g. sub hac conditione quod exhibebitur mihi obsequium personale, vocatur *feudum*, si vero tradatur sub hac conditione quod exhibebitur certa pensio, vocatur *emphyteusi*, seu censualis pensio.

Si Emphyteuta, vel feudarius rem illam quam in feudum vel emphyteusim accipit simili contractu tradat alteri, vocatur *subfeudum*, *subemphyteusis*.

§ IV.

De Contractibus in quibus transfertur solus usus rei.

Contractus quo solus usus rei traditur gratis, IV.

tis, vocatur *commodatum*, vel *preca i.m.* v. g. ego commode gratis librum Petro.

Si commodem pro determinato usu, & pro determinato tempore, dicitur *commodatum*; si verò commodem pro indeterminato usu, & tempore, dicitur *precarium*.

Contractus quo usus solus conceditur, non gratis, sed usus alterius rei exigitur, vocatur *reciprocum commodatum*, v. g. ego contendo Petro meum librum, & ille commodat mihi suum equum.

Contractus quo solus usus conceditur non gratis, sed pro certâ pecunia summâ, vocatur *locatio* ex parte dantis rem, & *conductio* ex parte dantis pecuniam. v. g. ego trado Petro meum equum utendum, & ille dat mihi pro usu illius quindecim ases quolibet die; ille *Contractus* dicitur *locatio* ex parte mei, & *conductio* ex parte Petri.

§ V.

De aliis Contractibus.

Depositum est *Contractus* quo traditur aliquid alteri ad custodiam, eâ conditione, ut *integrum*, & illæsum reddatur, nihilque pretii ex illâ curâ, custodiens, exigat.

Mandatum est *Contractus*, quo aliquod negotium alicui gerendum committitur, & gratis suscipitur.

Mutuum est *Contractus* quo traditur res quæ pondere, numero, & mensurâ constat. v. g. vinum, oleum, frumentum, pecunia numerata cum onere ut restituatur res ejusdem ge-

neris, qualitatis, & quantitatis.

Opignoratio est Contractus, quo debitor tradit creditori rem aliquam, vel mobilem, vel immobilem, quæ sit pro debito obligata, v. g. ego debitor Petri, trado Petro pro assecuratione debiti, agrum, supellestilia prætiosa &c.

Antichresis est Contractus, quo res immobilis frugifera traditur creditori, eâ conventione, ut ejus fructus percipiat donec solvatur debitum.

Fidei-jusso est Contractus, quo quis alienam obligationem, vel gratis, vel pro pretio suscipit implendam, si debitor principalis non solverit.

§. VI.

De Contractibus in quibus intervenit aliqua fors, seu periculum.

Societas est Contractus, quo duo vel plures ponunt res ad lucrandum idoneas. v. g. iste pecuniam, ille industriam, unus animal, alter laborem: eo onere ut pro rata parte rei apposita dividant lucrum, & damnum.

Sponsio est Contractus, quo duo vel plures de re aliquâ dubiâ certantes, sibi invicem aliquid spondent cessurum ei qui verum dixerit. v. g. certo tecum duodecim nummis urbem talem obcessam captum iri. Si urbs illa veniat in manus obsidentium, summa exposita ad me pertinet; si vero non veniat, ad alium pertinebit.

Ludus est Contractus, quo iudentes pacif-

cuntur, ut victori cedat quod uterque deposuit.

Affecuratio est Contractus, quo quis alienæ rei in se periculum suscipit, obligando se vel gratis vel pro pretio.

§ VII.

De quasi Contractibus. De maleficio & quasi maleficio.

Quasi Contractus est conventio per quam obligatio ex juris præsumptione inter ignorantes contrahitur.

Sic negotiorum gestor obligatur erga eum, cuius negotia gessit. Tutor obligatur erga pupilos. Adiens hereditatem obligatur erga legatarios. Qui rem ad plures pertinentem suscipit obligatur erga eos qui jus aliquod in illa re habent.

Maleficium est offensio contra jus scienter illata alteri, qualia sunt. v. g. furtum, rapina, damnum, injuria.

Quasi Maleficium est offensio contra jus, non scienter sed imprudenter illata alteri, quale est omne nocumentum quod per me vel per meos, non ex malitia, sed ex imprudentia infertur alteri.

Ex Contractibus aut quasi Contractibus omissis, & ex maleficiis, aut quasi maleficiis commissis oriuntur actiones. Ideo jam de actionibus agendum.

ARTICULUS IV.

De Actionibus.

Actio est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur.

Actio est multiplex. Alia est in rem, alia est in personam; alia in rem, & in personam, alia est juris civilis, alia est juris naturalis.

Actio in rem, ea est quā actor rem ab alio possessam suam esse intēdit. Hujusmodi est actio quā rem corporalem. v. g. agrum ab alio mihi usurpatum, peto mihi restitui; vel rem incorpoream. v. g. servitutem persequor, vel exigendo servitutem mihi deberi, vel negando me servitutem debere alteri.

Actio in personam, ea est quā actor intendit ut aduersarius sibi det aut faciat aliquid. Talis est actio quā quis petit ut ei deitur quod ex Contractu, aut quasi Contractu, ex maleficio, aut quasi maleficio, debitum esse contendit.

Actio mixta partim in rem, partim in personam, ea est, quā nedum res, sed aliquid à persona præstari exigitur, ut cum quis, petit ut is, qui bona familiæ, aut societatis possidet, permittat res familiæ aut societatis dividendi, ut quilibet pro parte sibi debitâ, quod ejus est, accipiat.

Actio juris civilis ea est, quæ nititur, vel Contractu, vel quasi Contractu, vel delicto, vel quasi delicto, & varia est juxta varias juris civilis subtilitates.

Actio juris naturalis solius, est ea quæ nudo pacto nititur quā petimus ut nuda etiam

pacta obseruentur. Hæc jure Pontificio introducta est, vigetque & accipitur in omniforo, ubi ex bono & æquo, & ex supremâ potestate judicatur. Ut docet Bartolus & Baldus in legem 7. ff. *de pactis*.

Patet ergo ex dictis, quod pacta inducant obligationes; obligationes verò Contractus; Contractus autem actiones. Ideoque videndum quo modo initii debeant, & pacta, & Contractus tām jure naturali quam civili; ideoque sit.

CAPUT II.

De his quæ requiruntur & sufficiunt, ut pacta sint valida, & Contractus sint pariter validi, tām jure naturali quam civili.

AD hoc ut Contractus & pacta valeant in utroque jure, quædam requiruntur ex parte personarum, quædam ex parte rerum, quædam ex parte modi contrahendi. Ex parte personarum requiritur quod personæ sint habiles ad paciscendum & contrahendum. Ex parte rerum exigitur, quod res quæ sunt materia conventionis & Contractus certis conditionibus muniantur. Modus verò contrahendi debet esse conformis legi, quæ singula, cum diversa, sint juxta diversum jus naturale & positivum, ideo caput istud in tres Sectiones dividemus. In primâ agemus de his quæ requiruntur & sufficiunt ad valorem pacti & Contractus, juxta jus solum naturale. In aliis verò expendemus, quæ requirantur & sufficient ut Pacta & Contractus valorem suum habeant in jure civili & positivo; cum autem Con-

tractus includat semper Pactum, & Pactum raro à Contractu sejungatur; ideo nomine CONTRACTUS, & Pactum & promissum, & Contractum, & demum cujuscumque generis conventionem exprimemus.

SECTIO I.

De his quæ requiruntur & sufficiunt ut Contractus sint validi solo jure naturæ.

ARTICULUS I.

De Contractibus solo jure naturæ validis, vel invalidis præcisè ex parte personarum contrahentium.

PROPOSITIO unica. Ut Contractus jure naturæ sit validus ex parte contrahentium, inducatque obligationem in foro conscientiæ, requiritur & sufficit quod contrahentes liberè agant, & consensu reciproco obligentur.

Probatur 1º. Scripturâ. Math. cap. 20. 1. Ubi Christus loquens de patre familiâs conduceente operarios in vineam suam aperte ostendit liberum consensum, & requiri, & sufficere ad pactionem, promissionem, & Contractum; sic enim habet; *conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* Et ut ostendat partes contrahentes rigore juris ad nihil ultra obligari, nisi ad id quod inter eos reciproco consensu obfirmatum est, obmurmuranti operario, quod ultimis idem daretur denarius cum primis, ita respondeat, *Amice non facio tibi injuriam: non ne ex-*

denario convenisti mecum. Tolle quod tuum est, vade. Ibid. v. 13. ergo ad validam conventio-
nem requiritur & sufficit liber consensus.

2°. Ex D. Thom. *Obligat autem, inquit, homo se homini ad aliquid per modum promissio-
nis, QUÆ EST RATIONIS ACTUS; ad
quam pertinet ordinare; sicut enim homo impe-
rando, vel deprecando ordinat quodammodo quid
sibi ab alio fiat; ita promittendo ordinat quid
ipse pro alio facere DEBEAT.* 2. 2. q. 88 art. 1.
in corp. Ubi sanctus Doctor duo ostendit. Pri-
mum quidem, quod promissio & proinde quæ-
cumque alia pactio obliget in conscientiâ,
Secundum verò quod ut promissio & conventio
sit obligatoria, requiritur & sufficit, quod sit
actus rationis, id est quod fiat deliberatè &
ibid. art 3. ad 1. Sic habet dicendum, inquit,
*quod secundum honestatem ex qualibet promissio-
ne, homo homini obligatur: & hec est obliga-
tio juris naturalis, sed ad hoc quod aliquis obli-
getur ex aliqua promissione, obligatione civili,
quædam alia requireuntur.* v. g. confirmatio ju-
ris civilis Ergo ut quis per conventionem,
promissionem & Contractum obligetur in fo-
ro conscientiæ, requiritur & sufficit quod li-
berè consentiat.

3°. Ex jure Canonico Ubi ex multis Ca-
nonibus colligitur quod nuda etiam pacta, mo-
do nullum vitium contineant, obligent in cons-
cientiâ, & quod in utroque foro non modo
ad excipiendum, sed etiam ad agendum sint
efficacia; sic enim habetur Can. 8. Puella 20.
q. 1. humana pacta non possunt impunè calcoli.
Et Can. 30. Eleutherius. 18. q. 2. Si apud te-
evidenti ratione consliterit. Quia . . . condicio

nes superius positæ convenerint , servari eas ex nostrâ autoritate præcipimus. Et Can. 66. quicunque. 12. q. 2. quodcumque commodum in renumerationem promiserint Episcopi , promissi solutionem eos exolvere oportebit . . & cap. Antigonus. De pactis . . dicitur *Pax servetur, pacta custodiantur.* Ergo si nuda pacta obligent in conscientia ad validam conventionem , requiritur & sufficit libertas.

4°. Ex jure civili. L. 52. ff. de obligationibus. Ubi sic habetur. *Obligamur , inquit lex , aut re , aut verbis , aut simul utroque , aut CONSENSU , aut lege , aut jure honorario , aut necessitate aut ex peccato.* Et §. 4. sic persequitur , *consentientes in aliquam rem ex consensu obligari necessario ex voluntate nostrâ videntur.* Et in lege 2. ejusdem tituli , sic habetur. *consensu fiunt obligationes in emptionibus , venditionibus , &c. . . . sufficit enim eos qui negotia gerunt consentire : ergo ex jure civili ad inducendam obligationem naturalem requiritur , & sufficit liber consensus.*

5°. Ratione. Ita se habent homines in suis pactis , promissis , & contractibus quibus ligantur erga alios homines , sicuti se habent in votis quibus ligantur erga Deum , quia utrobique intervenit obligatio , in voto quidem obligatio Religionis , in pactis vero et contractibus obligatio fidelitatis ; atqui in votis & requiritur , & sufficit deliberatus consensus ; votum enim est *promissio deliberata , &c.* ergo & in pactis . promissionibus & contractibus requiritur & sufficit consensus deliberatus.

Consecaria hujus Doctrinae.

§. I.

De contractibus invalidis jure naturæ ex parte personarum contrahentium.

C O N S E C T A R I U M I. Omnis contractus sine libero consensu initus , jure naturæ est nullus & invalidus. Et proinde in foro conscientiæ non est observandus. Atque ideo nec illo uti possumus , si nobis sit utilis , nec eo alii uti possunt , si sit nobis onerosus ; præcipua enim pactionis cuiuscumque conditio est quod sit libera. Sic enim habet jus civile L. 1. ff de pæctis §. 2. Pactio est duorum pluriumve in idem placitum consensus , inde natum , illud apud Juristas ; eleganter dicit Pedius , nullum esse contractum , nullam obligationem , que non habeat in se concessionem , sive re , sive verbis fiat.

Sic jure naturæ contrahere non possunt amentes , furiosi , phrenetici , & alii hujusmodi qui libero consensu se se obligare non possunt ; sic enim habet jus civile. L. 1. ff de obligationibus §. 12. furiosum , inquit , sive stipuletur sive promittat , nibil agere naturâ manifestum est.

Sic pariter contrahere non possunt infantes , qui nondum excesserunt primum septennium quia nondum intelligunt quid agant. Ut ibidem dicitur , & quis infans non multum à furioso distat , ut dicitur lib. 3. Institu. titul. 20. & quia hujusmodi ætatis nullum habent intellectum . ibid.

Sic contrahere vulgo nequeunt muti, & surdi à natura, nisi nutu & subscriptione exterioris manifestent se intelligere quid agant, ut dicitur L. 4. ff. *de pactis*.

CONSECTARIUM III. Omnis contractus violenter extortus, jure naturae nullus est & invalidus, est enim involuntarius, de quo ita D. Thom 1. 2. q. 6. a. 5. quod est, inquit, contra voluntatem, dicitur esse involuntarium. Unde violentia involuntarium causat. Ideo, constans est apud omnes Iuris peritos nullius vigoris esse eas omnes obligationes & conventiones quas non sponte sed ex violentia contrahimus aut spondemus. Ut habetur L. 22. ff. quod metus causá qui in carcerem quem deruſit, ut aiquid ei extorqueret: quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est.

Item, tutor si invitus recensus sit per vim: non valet, quod agitur neque enim praesentia corporis aut ad autoritatem confert, ut si somno aut morbo comiciali occupatus tacuisset. L. 1. ff. de autoritate & consensu tutorum.

CONSECTARIUM III. Omnis contractus qui sit ex metu, ex concupiscentia & demum ex quocumque affectu absorbente omnino usum rationis est jure naturae invalidus; quia ubi non est usus rationis; ibi non potest esse liber consensus. de hoc ita D. Thom 2. q. 6. a. 7. ad 3. dicendum, inquit: quod si concupiscentia totaliter auferre rationem, sicut contingit in illis qui propter concupiscentiam familiamenta sequeretur quod concupiscentia, metus & quilibet alius affectus voluntarium sollerent, & proinde contacterentur.

In illis casibus elicitus, jure naturae esset nullus;

Sic in foro conscientiæ non ocitanter, sed attentè examinandum est an pactiones, promissiones & conventiones, quæ fiunt ex affectibus carnalibus, ut plurimum contingit inter Amasios, & Amasias, examinendum, inquam, an carnales illi affectus rationem penitus absorberint, quo casu nullatenus ligant, nisi ad damnum illatum; quia non adfuit liber consensus. An verò illi affectus rationis usum reliquerint potestatemque agendi. Quo casu ut docet D. Thom. ibid. verè adest voluntarium, & proinde obligatio exquirendi quod promissum est.

C O N S E C T A R I U M IV. Omnis contractus qui fit errore dolo & ignorantia terminatis ad ipsam rei substantiam, est nullus jure naturæ. Quia error circa substantiam facit simpli-
citer involuntarium. Nihil enim potest esse volitum quin præcognitum; etenim ut ait jus civile. *non videntur qui errant, consentire ff. de Regulis juris L. 116.*

Sic nullus est contractus, quo quis emit à rustico gemmam suadendo illi quod vendat, non gemmam, sed vitrum; error enim est circa substantiam.

Sic nullus est contractus quo quis ducit Bertam, putans ducere Cajam; quia error est pariter circa substantiam.

Sic nullus est pariter contractus, si error versetur circa circumstantias, & accidentia, ita objectum immutantia, ut omnino impediant consensum, v. g. si vendas vinum, ita aqua

squā dilutum , quod numquam emisset emp-
tor si id rescivisset. Si loco pecoris sani ven-
das pecus scabiosum , quod numquam eme-
rem si id cognovissem. tunc enim error ille,
licet circa accidentia , impedit consensum &
proinde contractum.

M O N I T U M. Notandum maximē quod
qualitas quæ est accidentalis rei , potest esse
substantialis contractui; & proinde quod error
circa illam qualitatem reddit contractum in-
validum : quod contingit quoties illa quali-
tas ignorata est hujusmodi , quod si fuisset cog-
nita non initus fuisset contractus ; quia ut
ait D. Thom. error illius qualitatis redundat
in errorem substantiæ , & personæ.

Sic qui contrahit cum plebeio putans con-
trahere cum filio Regis invalide contrahit ;
quia error ille, et si error qualitatis, redundat
in personam : ut ait D. Thom. suplem. q.
st. a. 2. ad. 5.

Item qui contrahit cum servâ , quæ nequit
reddere debitum conjugale , putans contra-
herere cum libera , quæ potest reddere , cum
libet , debitum conjugale , invalide contra-
hit: error enim ille redundat in personam. D.
Thom. ibid.

§. II.

De contractibus jure naturæ validis ex parte personarum contrahentium.

C O N S E C T A R I U M I. Omnis contractus
libero plenè consensu elicitus, est validus jure
naturæ , & proinde in foro conscientiæ obse-

86 MORALIS CHRISTIANA.
vandus , sive nobis onerosus sit , sive utilis ;
quia deliberatus consensus sufficit ad inducen-
dam obligationem coram Deo . Hoc pacto
uti possumus si sit utile , & ei pariter state
debemus si sit onerosum juxta regulam 55
juris Canonici , *commodum qui sentit , onus*
sentire debet , & è contra.

Sic in foro conscientiæ , Non secus ac rebus
nostris , uti possumus è conventione quæ sine
dolo & fraude alii se nobis obligarunt ; verum
enim ius habemus circa ea quæ nobis voluntar-
io consensu obligata sunt .

Itaque si quid debeam Titio , & Titius mihi
obligatus sit conventione liberâ , eo pacto uti
possum , non quidem ut instituam actionem in
foco civili , sed ut exceptionem in eadem foco
opponam , Quâ dum Titius aliquid exigit à
me , ego vicissim exigam , id præstari à Titio
quod inter nos convenit . Ut enim ait jus
civile L. 7. ff de pactis §. 4. *nuda pactio obli-
gationem non parit , sed parit exceptionem.* Item
si Titius mihi debeat aliquid ex vi solius
pacti solo jure naturæ validi , & debitum jam
accepterim , possum in foro conscientiæ rem
acceptam retinere ; nam ut dicit Jus civile L.
10. ff. de obligationibus & actionib. Naturales
obligationes dant jus *ut soluta pecunia
repeti non possit.* Item si mihi Titius aliquid
ex pacto naturaliter valido debeat , Pro asecu-
ratione debiti , vel fidei jussorem possum exi-
gere , vel pignus retinete tamquam fidei jus-
sorem ut patet ff. L. 16. §. 3. de fidei , jussori-
bus . *fidei jussor , inquit jus , accipi potest , quo-*
ties est aliqua obligatio civilis vel naturalis cui
applicetur. Pignus pariter possum accipere si

non habeam fidei iusserem. *Ex quibus casibus, inquit jus, Naturalis obligatio constitit pignus perseverare constitit.* L. 14. ff. de pigno & hypote. Item si mihi Titius aliquid debeat, non ex gratitudine, sed ex justitia rigorosa, & sim in his circumstantiis ut rem debitam nequeam coram judice persequi, possum juxta eos qui habent compensationem ut licitam, possum, inquam, uti æquali compensatione. Ut enim habet jus civile ff. L. 6 de compensa. *Etiam quod naturæ debetur, venit in compensationem.* demum illud pactum solo jure naturæ validum ita renovari & in constitutum deduci poterit, ut in foro externo exigi valeat, ita enim habet jus Civile. L. 1. ff. de constituta pecunia. *Debitum ex quacumque causâ potest constitui.* Et L. 1. ff. de novationibus. *Quæcumque præcessit obligatio verbis novari potest... ut putâ si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit.*

Sic pariter in foro conscientiæ servari debent omnia pacta, omnes promissiones, omnes contractus, quibus solo jure naturali obligamus aliis, quamvis nobis aliunde onerosæ sint illæ conventiones; dicit enim scriptura. *Vir fidelis multum laudabitur.* & ut indicet nullam spem lucri posse nos à servandâ conventione dispensare, addit. *Qui autem festinat disvari, scilicet omittendo pacta & contractus: Non erit innocens.* Prov. 28. v. 20. & Lucæ 16. v. 10. iniquus habetur qui etiam in minimo fidelis non est. *Qui fidelis est, inquit, in minimo, & in majori fidelis erit, & qui in modico iniquus est: & in majori iniquus est.*

Itaque Standum fideliter his pactis , his conventionibus , his contractibus , qui sunt sine scripto , sine testibus , & demum absque ulla juris solemnitate , quibus . v. g. vel privatim , vel publicè vel in mercatibus , vel in nundinis , vel alibi venduntur , emuntur , commutantur res exigui valoris. Puta comestibilia , v. g. fructus , carnes , vinum , oleum &c. comparantur res usuales , v. g. libri , calami , &c. Nefas enim est homines conventionibus suis non stare , etiam circa hæc minima , de quibus nihil lex in particulari determinat ; sufficit enim quod homines intet se liberè consenserint. *Quid enim est* , inquit jus civile , tam congruum fidei humanæ , quam ea quæ inter ipsos placuerunt servare. L. I. ff de pactis.

C O N S E C T A R I U M I I. Sistendo intra jus naturæ , omnis contractus , etiam si involuntarius secundum quid , est validus , modo sit *absolutè voluntarius* , quia ad contractum validum jure naturæ , requiritur , & sufficit consensus *absolutè voluntarius*. Etenim qui *involuntariè secundum quid* , sed *voluntariè absolutè recipit baptismum* , vel ordines , validè suscipit utrumque Sacramentum . Ergo à pari qui *involuntariè secundum quid* sed *absolutè voluntariè contractum init* , validè contrahit jure naturæ

Sic , qui ex metu , vel justè , vel injustè in cesso contrahit , modo metus usum rationis non absorbeat , validè jure naturæ contrahit ; quia quod ex metu volumus , absolutè volumus. De hoc ita D. Thom. I. 2. q. 6. a. 6. *sed contra est* , inquit , *quod Gregorius Nicæ-*

nus dicit, & etiam Philosophus, quod hujusmodi que per meum aguntur, sunt magis voluntaria quam involuntaria. sunt enim voluntaria simpliciter, & involuntaria secundum quid. sicut projectio mercium in mare si voluntaria tempore tempestatis propter timorem periculi.

Sic etiam, qui ex fraude, dolo, ignorantia, & errore terminatis, non ad substantiam rei, sed ad accidentia, & relinquenteribus usum libertatis contrahit, jure naturæ validè contrahit. Ad valorem enim contractus sufficit, quod fiat cum deliberato consensu; sit autem contractus cum deliberato consensu, quoties dolus, error, & ignorantia, non ad substantiam rei, sed ad accidentia rem parum immutantia, terminantur. Æque, enim, interveniret consensus, ut supponimus, sive ad esset error sive abslet. Itaque validus est contractus qui sit ex errore & dolo & ignorantia terminatis ad accidentia, quia ille error non facit involuntarium simpliciter, sed involuntarium secundum quid. & ita validè contrahit qui ducit Bertam quam putat nobilem & divitem, licet ea nec nobilis sit nec dives: error enim ille est circa accidentia, validè etiam contrahit qui emit vinum Gallicum putans emere hispanicum, quia error pariter est certa accidentia de hoc latè scribit Gratianus. 19. q. 1. Can. quod. ubi. Sic habetur. Verum est, quod non omnis error consensum excludit: sed error alius est persona, alius fortuna, alius conditionis, alius qualitatis. Error persona est, quando hic putatur esse Virgilius, & ipse est Plato. Error fortuna, quando hic putatur esse dives, qui est pau-

per, vel è converso, Error conditionis, quando putatur esse liber, qui est servus. Error qualitatis quando putatur esse bonus, qui malus est. Error fortunæ & qualitatis, conjugij, consensum non excludit. Error verò personæ, & conditionis, conjugij consensum non admittit.

C O N S E C T A R I U M III. Infantes, adulati, pupilli, puberes, minores, &c. qui jure civili vulgo habentur inhabiles ad contrahendum ob defectum libertatis in eis vulgo præsumptum, sistendo intra jus naturæ, validè contrahunt modo actu verè libero consentiant, tum quia ad contractum jure naturæ validum requiritur, & sufficit consensus plenè liber, tum quia leges quæ prædictas personas inhabiles ad contrahendum determinant, ut pote fundatas in præsumptione, nullum vigor em habent nisi cum revera adest præsumptio in qua fundantur, scilicet cum abest libertas ad contrahendum sufficiens.

Quando autem & quomodo, pactis & conventionibus, in foro conscientiæ erga homines se se obligare valeant infantes, adulti, explicat D. Thomas, dum determinat quando & quomodo se se votis erga Deum obligare possunt; eadem enim est utrobique obligatio; eo solo discrimine, quod votum nexum Religionis inducat, conventio verò nexum fidelitatis. Sic autem loquitur sanctus Doctor 2. 2. q. 88. a. 9. in corp. est ergo, inquit, dicendum, quod si puer vel puella ante puberatis annos nondum habeat usum rationis, nullo modo potest se voto obligare. Si verò ante pubertatis annos attingit usum rationis, potest quidem quantum in ipso est se obligare, sed votum ejus

potest irritari per parentes quorum curæ remanet adhuc subjectus. Ita & potest se pactis , & conventionibus obligare, quæ à parentibus irritari quidem possunt ; sed sicuti vota non irritata à parentibus ligant puerum erga Deum , ita & pacta non irritata ligant eum erga eos quibus sese obligavit , modò aliæ conditiones ad validum contractum necessariæ observentur.

Quando autem & quomodo, pactis & conventionibus in foro conscientiæ , pupilli , & minores , obligari valeant, possumus colligere ex variis juris civilis textibus , quibus constat contractus à pupillis & minoribus initios , quamvis invalidos jure civili , obligationem tamen quamdam naturalem pupillis & minoribus imponere in duobus præcipue casibus, scilicet 1º. Quando pupilli , & minores illos contractus pleno consensu inierunt , vel re obligati sunt. 2º. Quando pupilli & minores ex illis contractibus ditiones facti sunt. In primo enim casu oportet ut conventionem liberè initam, quantum in ipsis est observent ; in secundo vero casu oportet ut si velint contractum rescindì, id in quo facti sunt per illum contractum ditiones restituant.

De primo autem casu sic habes. L. 52. de obligationibus & act. *Nudus consensus sufficit obligationi.* §. 9. & rursus pacti conventionisque fides servanda L. 7 C. de pactis. Quod adeò verum , quod si pupillus dolo aliquid egerit apud judicem conveniri potest. Ut expressè dicitur , ff. depositi vel contra. L. 1. §. 15. Sic enim habet lex. *An in pupillum , apud quem sine tutoris autoritate depositum est , depo-*

92 MORALIS CHRISTIANA.

siti actio detur, queritur, sed probari oportet, si apud doli mali jam capacem deposueris, agi posse, si dolum commisit. Si vero re obligatus fuerit, non erit necessaria tutoris auctoritas ut habetur L. 46. ff de obligationibus & actionibus. Furiosus, & pupillus, inquit jus, ubi ex re actio venit, obligantur, etiam sine curatore vel tutoris auctoritate, veluti si communem fundum habeo cum his, & aliquid in eum impendero, vel damnum in eo pupillus dederit, nam iudicio cummuni dividendo obligabuntur.

De secundo vero casu sic habes in regula juris 206. jure naturae aequum est, neminem cum alterius detrimento. & injuriā fieri locupletiorem. Et quamvis ea quæ pupillus agit, sine autoritate tutoris, & minor sine autoritate curatoris jure civili invalida habeantur, tamen id in quo locupletiores facti restituendum est & ob id coram judice conveniri possunt. *Pupillus, inquit jus, conveniri potest in id in quo factus est maior.* L. 3. ff. de negotiis gestis. Et rursus L. 5. ff. de autoritate à consensu tutorum. *Pupillus vendendo sine tutoris auctoritate non obligatur, sed nec in emendo nisi in quantum locupletior factus est.*

ARTICULUS II.

De contractibus solo jure naturae validis, vel invalidis præcisè ex parte rerum quæ sunt materia contractus,

PROPOSITIONE unica. Ut contractus sit solo jure naturae validus ex parte rerum quæ futuræ sunt materia contractus, ex res de-

bent esse primò in commercio hominum. Secundò in potestate contrahentium. Tertio debent ad rigidam æqualitatem reduci.

Probatur. 1º. Res quas contractibus subjicimus debent esse in commercio hominum, ut earum dominium possimus ipsi aquitare vel eas ad alios ipsi valeamus transferre. Non enim ob aliud finem fiunt contractus. Ideò res communes quarum usus communis est omnibus hominibus proprietas nullius ut aer, aqua, profluens, Mare, &c. Res publicæ quarum usus communis est omnibus, proprietas verò Republicæ, ut viæ, flumina, &c. Res universitatis; quæ ad civitatem aliquam pertinent, & usibus populi destinatur; ut forum, stadia, &c. Res quæ nullius sunt, nec esse possunt, ut sunt *Res Deo sacræ*, Materia esse non possunt eorum contractuum, qui per privatos homines inaeuntur.

2º. Res quas contractibus subjicimus debent esse in nostrâ potestate, nemo enim potest in aliud transferre plus juris, quam habeat, ideo ait *Just. lib. 3. instit. titul. 20. res quæ dominio nostro subjicitur in stipulationem diduci potest sive mobilis sive soli*, minimè verò ea quæ nostri juris non est 3º. Res quæ sunt materia contractus ad rigidam, quantum fieri potest, debent æqualitatem reduci; ut à contrahentibus servetur justitia, Quæ unicuique reddit quod suum est.

cunctaria hujus Doctrinae.

§. I.

De contractibus qui jure naturæ non sunt validi præcisè ex parte rerum.

CONSECTARIUM I. Nullus est contractus, in quo res quæ non sunt in commercio hominum contractui subjiciuntur. Res enim contractui estenus subjicitur, quatenus est in commercio hominum. Ut habes de verb. oblig. L. 83. ff. §. 4 si subjiciam contractui, *sacram*, vel *Religiosam rem*, vel *usibus publicis in perpetuum relietam*, ut *forum*, & *basilikam*, aut *hominem liberum*, *inutiliter stipulator*. Ideò jure naturæ nulli sunt contractus Simoniaci, quibus venduntur, aut emuntur res spirituales, aut spiritualibus annexæ. Quia non sunt in commercio hominum. Nulla pariter est conventio quâ emitur à cliente & venditur à judice sententia justa, Vel iusta; quia actus judicialis non est in commercio hominum ut emi possit aut vendi.

CONSECTARIUM II. Invalidæ sunt jure naturæ illæ omnes conventiones quibus subjicimus contractui res, quæ sunt quidem in commercio hominum, sed quæ non sunt in nostra potestate, nisi interveniat consensus & approbatio illius, sub cuius potestate ex res sunt; obligare quippe non potes quod tuum non est.

Sic servi, idest *mancipia*, quoquo modo servi facti sint; sive jure belli, quia capti sunt

in bello , sive jure emptionis , quia se ipsos vendiderunt , sive jure nativitatis , quia ex matre serva nati sunt ; Hi , inquam , jure naturæ contrahere non possunt , contractu quo de se ipsis , vel de rebus ad ipsis spectantes disponant , quia & ipsi , & ea quæ habent sui juris non sunt , sed dominorum . . ut docet Justinus lib. 1. instit. titul. 7. *in potestate* , inquit , *dominorum sunt servi*.

Sic Monachi & moniales non possunt contrahere validè jure naturæ , neque contractu quo suam personam obligent , v. g. vendendo se vel locando suas operas , &c. Quia per votum obedientiæ , non sunt sui juris , sed communictatis , neque contractu quo res temporales vel acquirant , vel ad alios transferant , nisi id faciant nomine communictatis ; quia per votum paupertatis incapaces sunt , & dominii sibi acquirendi , & dominii in alios transferendi cum nihil possint habere proprium . ut habetur in Trid. ses. 25. cap. 2. de reform.

Sic filii Familias non dum emancipati , id est , quamdiu sunt sub potestate patris , jure naturæ non possunt contrahere circa ea quæ sunt sub potestate patris , v. g. Filius non potest aliquid in detrimentum patris stipulari : putà vendere bona patris ; debita nomine Patris mutuo accipiendo contrahere.

Sic uxor non potest bona mariti . nec vice versa . maritus bona uxoris contractu jure naturæ valido alienare , quia neuter habet bonorum alterius dominium .

Sic demum generaliter nullus potest de bonis quorum non est dominus , contractu jure naturæ valido , disponere .

CONSECTARIUM III. Illiciti sunt semper jure naturæ , & aliquando invalidi omnes contractus in quibus res non reducuntur, quantum fieri potest, ad rigidam æqualitatem. de quo ita D. Thomas; lex divina , inquit, nihil impunitum relinquit , quod sit virtutē contrarium : unde secundum divinam legem illicitum reputatur , si in emptione , venditione , & in aliis contractibus , non sit æqualitas justitie observata , & tenetur ille qui plus habet recompenſare, si sit notabile dampnum , quod ideo dico ; quia justum pretium rerum non est punctualiter determinatum , sed magis in quādam æstimatione consistit ; ita quod modica additio vel minūtio non videtur tollere æqualitatem justitiae.

Sic emptio , venditio , mutuum , societas , &c. & demum omnis contractus in quo non servatur æqualitas , est jure naturæ illicitus. ut dicetur agendo de quolibet contractu in particulari.

MONITUM. Si tanta esset inæqualitas ut pars læsa præsumeretur non consensisse contractui , tunc inæqualitas ob defectum consensū reddebet contractum , non solum illicitum , sed etiam invalidum.

§. II.

De contractibus qui ex parte rerum præcisè validi sunt jure naturæ.

CONSECTARIUM I. Validi sunt jure naturæ illi omnes contractus in quibus , nostris conventionibus , subjicimus ea quæ sunt in commercio hominum posita. Hujusmodi sunt primo

Primo Res corporales quæ tangi possunt; ut sunt 1º. Res mobiles, puta aurum, vestis. 2º. Res immobiles, puta fundus vel pensio annua fundi. 3º. Res se moventes, ut animalia.

Secundo Res incorpores quæ tangi possunt, quæque in jure consistunt, ut hereditas, obligatio, servitutes.

Hec enim omnia, & conventionibus acquisiti & in alios transferri possunt.

C O N S E C T A R I U M II. Validi sunt jure naturæ illi Contractus, quibus res in commercio hominum positas, quæque sunt in nostra potestate legitime conventioni subjiciuntur. Licet etiam simus sub potestate alterius, modo illi cui subjiciuntur non noceamus.

Sic servi stipulari possunt circa factum quod præcisè suam personam respiciat, si factum illud nihil Domino noceat, v. g. mancipium alicujus artis peritum potest promittere se illius artis præcepta traditurum; licet enim obligationem civilem sibi imponere nequeat, potest tamen naturalem obligationem contrahere. Ut habetur L 32. ff. De regulis juris. Quod attinet, inquit regula, ad jus civile, servi pro nullis habentur; non tamen ex jure naturali: quia, quod ad jus naturale attinet, omnes homines aequales sunt.

Sic Monachi Monialesve, licet nequeant, neque personam suam aliis tradere, neque operas suas locare, possunt tamen de actibus suis interiorib[us] stipulari v. g. preces divinas alicui promittere, possunt de fama sibi injuste ablatâ restitutionem exigere, vel eam, si per hoc non noceant communitati, condonare. Neutri enim iuxi per vota sua renuntiarunt.

Sic pupillus & minor, sine consensu eorum quibus subjiciuntur possunt de rebus suis contrahere, modo conditionem suam meliorē faciant; Quia, inquit jus, *meliorem suam conditionem facere ei*, id est pupillo, etiam sine tutoris autoritate concessum est. L. 28. ff. de p̄diis.

Sic filius familiās potest sine consensu patris de rebus suis castrēsib⁹, aut quasi castrēsib⁹ absolute disponere; quia eorum habet dominium.

Potest & se alteri obligare, modò id non sit in præjudicium patris vel alterius, ut habetur L. 39. ff. de obligationibus & actionibus: potest ergo alteri locare suas operas quando pater his non indiget, quia pietatem liberi parentibus, non operas debent. L. 10. ff. de obsequiis parentibus & patronis.

Potest aliò profisci ut aliquam artem adiscat, potest de sua vocatione, vel ad statum religiosum, vel ad statum clericalem deliberare, & voto solemni se astringere. Ut docet D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 9. in corp. Post annos autem pubertatis, inquit, possunt jam se votio religionis obligare, vel simplici vel solemni, absque voluntate parentum.

Sic uxor sine consensu mariti potest de bonis paraphernalibus pro libito disponere; quia eorum habet dominium.

Sic demum quilibet homo potest validè pacta iniuste circa ea quæ sub ejus sunt dominio & potestate.

CONSECTARIUM III. Licitū sunt omnes illi Contractus, quibus res in commercio hominum positas, & nostræ potestati subjectas, legitimæ conventioni subjicimus, mo-

do æqualitatem, vel absolutam, vel proportionatam observemus.

Sic licet in commutationibus, res unius generis cum aliis alterius generis commutamus. v. g. vinum cum oleo, frumentum cum vestibus, &c.

Sic licet in emptionibus, res cujuscumque generis, pretio æstimabiles, cum certa pecunia summa comparamus.

ARTICULUS III.

De Contractibus solo jure naturæ validis vel invalidis ex parte modi contrahendi.

PR^OPOSITIO unica. Ut Contractus ex parte modi contrahendi sit jure naturali validus, requiritur & sufficit quod uterque contrahentium in sua conventione nullas conditiones apponat legi naturali repugnantes,

Probatur 1^o. Ex jure Canonico. cap. *Antigonius*, de pactis Ubi sic habetur, universi dixerunt pax servetur, pacta custodiantur. Ubi glossa hæc addit, pacta enim, quæ neque dolo, neque adversus leges: neque quibus fraus alicui fiat ut legitima observanda sunt. Ergo ut Contractus legitimi habeantur requiritur, & sufficit quod nullas conditiones legi contrarias contineant.

2^o. Ex jure civili. L 7. ff. De Pact. §. 7. ubi sic habetur. Ait prætor; pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, plebis- citas, Senatus-Consulta, edicta principum: neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt servabo. Ergo ad validum Contractum requiritur &

sufficit, ut non sit contra legem naturalem; si consideretur prout est obligatio naturalis, c*vilem* prout est obligatio civilis.

3^a Ratione. Contractus vim habet legis quam sibi contrahentes reciproco consensu imponunt, juxta istam regulam civilis juris. *Legem enim Contractus dedit.* L. 23. st. Et juxta istam regulam juris Canonici. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.* Reg. 85. in 6. Atqui ut lex positiva sit justa & valida requiritur, & sufficit quod nihil jubeat contra legem naturalem, aliás ut dicit Aug. lib. 1. de lib. arbit. *Lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.* Ergo ut Contractus sit validus requiritur & sufficit quod nihil contineat legi naturali contrarium, seu oportet ut contrahentes nullas apponant conditiones iuri naturali repugnantes.

Consecaria hujus Doctrinæ.

§. I.

De Contractibus jure naturali invalidis ex parte modi contrahendi.

C O N S E C T A R I U M I. Nullæ sunt conventiones quibus violatur jus naturale in decalogo contentum. v. g. conventiones quibus homines se se obligant ad pejerandum, blasphemandum, occidendum, furandum, fornicandum, &c. Nullum enim potest esse vinculum iniquitatis; nulla autem potest esse major iniquitas, quam ea quæ contra legem æternam committitur: *injusta est ergo, & omnino*

invalida infelix illa societas quā initum cum
Deo pactum infringimus, quod flebiliter his
verbis luget Isaías. cap. 34. v. 5. *Et terra,*
inquit, infecta est ab habitatoribus suis: quia
transgressi sunt leges, mutaverunt jus & dissipave-
runt fædus sempiternum.

CONSECTARIUM II. Nullæ sunt pariter
hæ conventiones quibus nocetur Reipublicæ;
v.g. qualia sunt pacta quibus tempore belli mi-
nistrantur arma hostibus, victualia eis vendun-
tur, aut alia in eorum gratiam sunt, quæ Rei-
publicæ nocere possunt. Contractus enim in
bonum publicum instituti sunt ergo toties sunt
nulli, quoties contra publicam utilitatem ver-
gere possunt, quod expresse docet jus civile.
C. De Pactis. L. 6. *pacta, inquit, quæ contra*
leges, constitutionesque, vel contra bonos mores
sunt, nullam vim habere indubitate juris est.

CONSECTARIUM III. Nullæ habendæ
sunt pactiones illæ, quibus contra leges ali-
quid turpiter, vel datur vel accipitur. Ut
sunt pactiones symoniacæ contra Religionem,
de emendâ, vel vendendâ re spirituali, vel
spirituali annexa. Pactiones iniquæ contra juf-
titiam, quibus de emendâ vel vendendâ justi-
tiâ convenit inter judicem & alterum ex litig-
antibus. Nullæ etiam habendæ sunt scelerato-
rum illorum hominum pactiones, quibus jus
sibi ipsis dicentes sicarios adigunt ad occi-
dendos eos à quibus injuriam, vel acceperunt,
vel accepisse imaginantur; quibus conducunt
homines qui inimicorum domos comburant,
aut eorum bona labefactent. Contractus enim
invalidè omnino sunt cum non ad fovendam
utilem hominum societatem incuntur. Omnia,

102 MORALIS CHRISTIANA:
enim, quæ contra bonos mores, vel in pœnatum,
vel in stipulationem deducuntur, nullius momen-
ti sunt. C. de inutilibus stipulationibus. L. 4.
Imo generaliter traditur verum in honestarum nut-
lam esse societatem. L. 57. ff. Pro socio.

CONSECTARIUM IV. Nullius vigoris
sunt ex conventiones, quibus nocetur Ecclesiæ.
v. g. pacta quibus suppetiæ feruntur infidelib-
us, hereticis, schismaticis, &c. In detri-
mentum Religionis; etenim ut Contractus va-
lidi sint, primò in bonum privatorum, deinde
in bonum Reipublicæ, tandem in bonum Re-
ligionis ordinari debent. Eò forte spectat Scrip-
tura dum intendens non solum privatam Ju-
dæorum utilitatem, sed insuper publicum to-
tius Sinagogæ bonum. Istud frequenter Ju-
daico populo inculcat. Non inibis, inquit,
cum eis, id est gentibus, fœdus, nec misere-
beris earum. Saltem jus Canonicum eas con-
ventiones expressè, & damnat, & invalidas de-
clarat. Fuxta legitimas, inquit, sanctiones, pac-
tum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis, de ju-
re vel de facto, nullam obligationem inducit.
cap. Passionis. De pactis.

CONSECTARIUM V. Rejiciendæ sunt,
ut nullæ, omnes illæ conventiones, quibus ap-
ponitur conditio quæ est, vel contra honesta-
tem, vel contra substantiam Contractus qui
initur. Sic qui apponenter hanc conditionem in-
honestam sponsalibus: Volo te in uxorem, mo-
dò filios nasci numquam permittas, invalide
contraheret. Item qui apponenter hanc condi-
tionem contra naturam matrimonii: Volo te
in uxorem ad certum tempus, & non ad ro-
tam vitam, sicut & qui donaret cā conditio-

ne ut non fieret ejus cui donatur. *Donari enim non potest nisi quod ejus sit cui detur.* L. 9. ff. §. 3. *De donationibus.* Hujusmodi enim conditiones pugnant contra naturam Contrac-
tus qui initur.

C O N S E C T A R I U M VI. Demum juxta
jus Canonicum, toto titulo de Pactis, pacifici
validè non possumus, quoties *Periculum ani-
me initur, tu pitudo viii incurritur, Ecclesie
damnum infertur:* tunc enim pactum legi
naturali adversatur.

Sic nullæ sunt pactiones, quibus Benefi-
cium pro pecunia resignatur, quia committi-
tur simonia. cap. *Cum pridem. De pactis.* Nul-
lae pariter sunt eæ pactiones, quibus provi-
detur de succedendo post mortem Prælati in
ipsius Ecclesia. cap. *Accepimus. De Pactis.*
invalidæ etiam sunt eæ conventiones, quibus
de rebus quibuscumque spiritibalibus obtainen-
dis cavyetur; vitanda enim est omnis de rebus
spiritualibus conventione. cap. *Pactiones. De Pac-
tis.* Invalidæ autem sunt prædictæ pactiones,
quippe per eas *periculum animæ infertur.*

Sic nullæ pariter sunt pactiones, quibus
quis promittit se crimen aliquod commissu-
rum, aut de crimine commisso non acturum.
Can. 8. *unusquisque 2. 2. q. 4. Quia tunc tur-
pitudo viii incurritur.*

Sic nullæ sunt conventiones, cum quid
Ecclesiæ redditibus detrahitur, vel ei grava-
men adjicitur. cap. *Plerique. De Pactis.* Et Can.
42. *Si quis Laicus. 16. q. 1. Tunc enim dam-
num Ecclesiæ infertur.*

§. II.

*De Contractibus jure naturæ validis ex parte
modi contrahendi.*

CONSECTARIUM unicum. Toties validè jure naturæ contrahimus, quoties absque dolo, fraude de re ex suo genere bona vel indifferenti, quæ sit in commercio hominum, & in nostrâ potestate pactum inimus; quia tunc in nullo legem naturalem infringimus; quin è contra civilem societatem utiliter foremus.

Sic validè res bonas, vel indifferentes promittimus, vel nobis promitti curamus.

SECTIO SECUNDA.

Ejusdem capituli.

In qua determinatur an Contractus, qui ex vi juris naturalis sunt invalidi, possint per jus positivum civile fieri validi, & an illi Contractus, qui sunt jure naturæ validi, fiant aliquando per jus civile positivum invalidi.

ARTICULUS I.

An Contractus jure naturæ invalidi possint per jus civile positivum fieri invalidi.

PROPOSITIO unica. Contractus jure naturæ invalidi & nulli, numquam possunt fieri validi per jus positivum civile.

Probarur 1°. Autoritate juris civilis; sic enim habetur, L. 29. ff. de regul's juris. Quod

initio viiosum est, tractu temporis convalescere non potest; quod locum maximè habere debet in his, quæ ex vi legis naturalis sunt vitiosæ: ergo Contractus jure naturæ invalidi, non possunt per jus positivum civile fieri validi.

2°. Ex. D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 10. *Jus, inquit, divinum, quod est ex gratiâ, non tollit jus humanum, quod est ex naturali ratione. At qui ut patet ex dictis; ratio humana suggerit aliquos Contractus esse jure naturali invalidos; ergo invaliditatem ab illis Contractibus jus divinum non potest tollere; à fortiori id non poterit jus positivum civile.*

3°. Ratione desumptâ ex D. Thom. 1. 2. q. 94. a. 5. *Jus naturale potest concipi ut mutabile dupliciter, primò per additionem, secundò per subtractionem; per additionem quidem, eo sensu quod legi naturali superad-datur alia lex, v. g. Mosaica, Evangelica, vel civilis; per subtractionem verò quod legi na-turali detrahatur aliquid, putâ ut id quod lege naturali prohibitum est, non amplius sit prohibitum, aut ut id quod eâdem lege est imperatum, non sit amplius imperatum: atqui lex naturalis potest quidem mutari per addi-tionem, quia re vera legi naturali super ad-duntur leges positivæ; sed mutari nequaquam potest per detractionem; quia quod per legem naturalem declaratur intrinsecè malum, non potest per aliam legem declarari bonum, nec pariter quod per legem naturalem declaratur virtuosum, per aliam legem vitiosum decla-rari potest; ergo lex naturalis non potest per legem positivam mutari: ergo Contractus, qui ex vi juris naturalis sunt invalidi, non*

106 MORALIS CHRISTIANA.
possunt fieri validi per jus positivum ci-
vile.

4°. Ratione desumptâ ex jure civili. Contractus sunt jura naturalia, quæ sibi contrahentes reciproco consensu declarant, seu ut dicunt *intimant*. Sed ex Justiniano. *Naturalia jura*, quæ apud omnes gentes peræque obseruantur; *divinâ quâdam providentia constituta*, semper firma, atque immutabilia permanent. Lib. 1. Inst. tit. 2. Ergo ea jura semper manent; ergo Contractus qui jure naturali sunt invalidi, non possunt fieri validi per jus positivum civile.

Consectariabujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Omnes illi Contractus, qui jure naturæ sunt invalidi ex parte personarum. v. g. ob defectum consensûs, nequaquam possunt per jus civile fieri validi; licet enim jus civile possit restringere consensum contrahentium apponendo certas conditiones, ob publicam utilitatem, necessarias, non tamen potest supplere internum consensum: est enim actio libera, cuius soli contrahentes sunt Domini.

Sic si nobis constet defuisse consensum in parte nobiscum contrahente, non possumus uti Contractu ab illâ inito quamvis jus civile Contractum illum approbet. v. g. non possumus rem involuntariè donatam retinere, quamvis illa donatio fuisset, publicâ, ut vocant, insinuatione munita.

CONSECTARIUM II. Omnes illi Contractus, qui sunt invalidi jure naturæ ex par-

te rerum; vel quia eæ res quas facimus materiam nostrorum contractuum non sunt in commercio hominum, vel quia non sunt in potestate nostra, vel quia sunt in longè dissipati inæqualitate; hi, inquam, Contractus numquam possunt per jus civile fieri validi: Jus enim civile potest quidem determinare res ut sint vel non sint materia Contractuum; sed ubi accessit hæc determinatio, non potest efficere, ut id quod non erat materia Contractus, dum inita est conventio, fiat materia Contractus post initam conventionem.

Sic si constet nobis simoniacam fuisse resignationem ejus Beneficii, quod nobis judices ascriperunt, Beneficium illud retinere non possumus; quia Beneficium Ecclesiasticum non potest simoniacè obtineri.

Sic pariter, si nobis constet rem nobis venditam non fuisse in potestate illius, qui eam nobis vendidit, non potest à nobis retineri, quamvis jus civile eam venditionem validam declareret.

Sic pariter non possumus in emptione vel venditione non reducere rem ad justum pretium, quamvis jus civile non rescindat emptionem & venditionem, nisi quando est infra vel supra dimidium justi pretii: jus enim civile non potest efficere, id justum esse quod ab intrinseco injustum est; ut fusè dicemus, ubi de venditione.

C O N S E C T A R I U M III. Omnes illi Contractus qui sunt invalidi jure naturæ ex parte modi contrahendi, quia scilicet modus ille contrahendi est deformatis legi naturali, non possunt fieri validi per jus civile positivum,

108 MORALIS CHRISTIANA.
jus enim civile non potest rectum efficere
quod jus naturale iniquum declarat.

Sic quamvis jus civile usurpas ex vi mutui
declararet licitas, non tamen liceret usurpas
injustè acceptas retinere.

ARTICULUS II.

*An Contractus qui sunt jure naturali validi
possent per jus civile declarari in certis
circumstantiis invalidi.*

PROPOSITIO unica. Contractus jure
naturali validi, delati ad forum contentio-
sum, declarantur aliquando per jus civile po-
sitivum invalidi.

Probatur Ratione. Ut Contractus humani
sint jure civili validi requiritur, prīmō quod
habeant eas conditiones, quas requirit jus
naturale, & insuper quod habeant alias
solemnitates, quas exigit jus civile; quia
plura requiruntur ad validitatem Contractus
civilis, quam ad validitatem obligationis pu-
rè naturalis: ergo quoties Contractus jure
solum naturali validi carebunt hujusmodi so-
lemnitatibus, declarabuntur invalidi per jus
civile.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Contractus impro-
priè dictus, qualis est donatio, testamen-
tum, quamvis validus jure naturæ, poterit
tamen declarari invalidus, si careat solem-
nitatibus jure civili requisitis.

Sic

Sic ut donatio sit valida jure naturæ , sufficit , quod fiat liberè , & sit de re quæ sit in nostra potestate , & in commercio hominum Posita ; attamen eadem donatio declarabitur nulla, invalida per jus civile & si res donata quingentos aureos excedat & non fuerit insinuata. Ut dicemus infra de donatione.

Sic ut testamentum sit validum jure naturæ sufficit , quod fiat liberè , & de re quæ sit in nostra potestate ; attamen idem testamentum quantumvis liberum, declarabitur nullum per jus civile , si fiat absque certo numero testium , & absque aliis solemnitatibus per jura requisitis. Ut dicemus infra de testamentis.

C O N S E C T A R I U M I I. Contractus propriè dictus , qualiscumque sit, validus est jure naturæ , modò interveniat verus consensus & versetur circa res quæ conventionibus nostris subjici possint ; jure vero civili non censetur validus , nisi adsint certæ conditiones jure civili requisitæ.

Sic contractus qui *re* perficiuntur v. g. mutuum , commodatum , depositum , pignus quamvis ex solo consensu sint validi jure naturæ ; non censebuntur tamen perfecti juxta jus civile, nisi, præter consensum, interveniat actualis rei traditio.

Sic contractus *innominati* , qui verbis perficiuntur, quales sunt *do ut des* , &c. licet jure naturæ solo consensu sint validi , tamen per jus civile declarabuntur invalidi , nisi intervenierit certa verborum solemnitas.

Sic contractus qui solo *consensu* perficiuntur, etiam juxta jus civile, ut *emptio* & *ven-*

118 MORALIS CRISTIANA.
ditio , locatio & conductio, societas & mandatum , non censemur completi , nisi , præter consensum , interveniat publica aliqua solemnitas.

SECTIO TERTIA.

Quæ & quanta sit authoritas legis civilis , circa contractus jure naturæ validos.

ARTICULUS I.

AN lex civilis , quâ contractus jure naturæ validi , declarantur invalidi , obligat in conscientiâ.

PROPOSITIO unica. Lex civilis , quâ , vel ob bonum publicum , vel ob privatorum utilitatem , contractus jure naturæ validi declarantur invalidi , obligat in conscientiâ.

Probatur. 1°. Scripturâ. Per me reges regnant , & legum conditores justa decernunt Prov. 8. v. 15. ergo , si parendum sit legi civili , justum decernenti , parendum est eidem legi , quando ob publicum bonum & privatorum utilitatem , declarat invalidos eos contractus , qui , si vigorem suum haberent in singulis casibus , vel bono publico , vel privatorum utilitati nocerent ; tales autem sunt contractus , quos . etsi jure naturæ validos , lex civilis declarat aliquando invalidos : putâ , v. g. contractus , qui fiunt ex gravi metu , injustè incusso , &c.

2°. Ex D. Tho. 12. q. 100. a. 2. in c. *lex humana* , inquit , ordinatur ad *communitatem civilem* , *quæ est hominum ad invicm* , atqui ,

ut dicit D. Tho. ibidem, homines ordinantur ad invicem per exteriōres actus, quales sunt contractus, quibus homines sibi invicem communicant; hujusmodi autem communicatio pertinet ad rationem justitiae, quae maximè viget in contractibus, & ideo lex humana non proponit præcepta, nisi de actibus justitiae. Atqui juxta eundem D. Tho. parendum est præceptis à lege humanâ impositis. Ergo parendum est his præceptis, quae lex civilis circà contractus dirigendos statuit.

3^o Ratione. Ia Ratio. Ex dictis in primo tomo, ubi de lege. Lex naturalis, ut potè vaga, est observanda juxta modum, secundum quem determinatur per legem positivam; modò illa determinatio nihil mali contineat; lex enim naturalis, quasi determinatur & applicatur per legem positivam; sic lex naturalis observabatur olim à iudeis juxta determinationem legis Mosaicæ; modò observatur Christianis, juxta determinationem legis Evangelicæ, viget demum apud singulos populos, juxta rectam determinationem illius Republicæ, cujus sunt membra Atqui determinatio, quā jus civile restringit stipulantes ad certos limites & modos contrahendi, est recta, cum sit propter bonum publicum, & propter privatorum utilitatem, putà quando icritat contractus, ex vi, metuvè injusto initios & alia hujusmodi: ergo ea determinatio est in foro conscientiæ observanda. Ergo ut nulli habendi sunt illi contractus, quos jus civile declarat invalidos; quamvis semper non omnium, quae lex jabet circà contractus, ratio reddi possit.

2a. Ratio. Quandò præcepta exterius op-
posita concurrunt, & simul observari non pos-
sunt, illi præcepto insistendum est, quod
majus bonum inducit, quia lex censetur
semper inclinare ad majus bonum. Atqui ma-
jus bonum est, ut ea facultas vaga, quam
habent homines contrahendi pro libito, restrin-
gatur per legem, juxta utilitatem publicam,
quam ut liberæ nostræ determinationi relin-
quantur, v. g. melius est, ut homo matrimo-
nium contrahat secundùm leges sapienter ins-
titutas, quam secundùm privatam suam li-
bidinem; melius est ut de bonis suis dispo-
nat juxta præscriptum Reipublicæ, quam
juxta privatum affectum. Ergo observanda est
potius ea lex, quâ contractus restringuntur ad
certos limites, quam ea licentia, quâ vago
nostro arbitrio relinquerentur.

3a. Ratio. Lex quælibet inferior ligat juxta
modum, secundùm quem determinatur à
superiori, v. g., lex æconomica ligat juxta
modum civitatis, in quâ est familia, lex civi-
tatis ligat juxta præscriptum regni, in quo est
civitas. Ergo lex arbitraria, quam sibi contra-
hentes reciproquo consensu imponunt, non
ligat nisi juxta determinationem legis civilis,
cui ambo contrahentes subjiciuntur. Ergo
contractus, licet naturali jure validi, pote-
runt esse invalidi, si per jus civile decla-
rentur invalidi.

Consecutum unicum.

Dum examinantur contractus jure naturæ
validi, attendendum est in foro conscientiæ,

non solum quid lex naturalis jubeat, sed insuper inspiciendum quid lex civilis prescribat, ut utriusque legis statuta observentur; sicuti enim in observantiâ sabathi inquirimus, non solum quid lex naturalis inspiret, sed etiam quid lex positiva jubeat; ita in celebrazione contractuum videndum non solum, quod lex naturalis præcipit, sed etiam id quod lex civilis circa contractus, aut vetat, aut prescribit.

Sic videndum, quinam sint contractus jure naturae validi, quos lex civilis approbat, quinam vero sint, quos improbat, quinam sint illi contractus, quos jus civile irritat, quinam vero sint, quos irritandos declarat, rursus quinam sint illi contractus, quos lex civilis nullos absolutè efficit, quinam vero sint illi, quos ex sola presumptione, ut nullos habendos judicat: quæ singula sequentibus Paragraphis expendentur.

§ I.

De contractibus jure naturae validis quos jus civile approbat & in suo vigore naturali relinquit.

PROPOSITIO unica. Jus civile non irritat, sed in suo robore naturali relinquit omnes contractus minus solemnes, absque metu, dolo, & fraude initos.

Probatur. Jus civile nihil circa praedictos contractus decernit. Ergo relinquit illos in suo robore naturali.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECARIUM I. Modò observata sue.
rit lex naturalis , ut validi habendi sunt
omnes illi contractus minùs solemnes , qui-
bus jus civile nulos apposuit limites , &
pro quibus nullas conditiones præscripsit :
tunc enim jus civile censetur approbare om-
nes hujusmodi conventiones juri naturali
conformes.

Sic valida est , v. g. donatio rei mobilis ,
putà pecuniax , supellectilis & facta , ut dicunt ,
de manu ad manum , quia jus civile non res-
tringit , nisi solemiores donationes , quæ
sunt coram notario , tabellione , &c.

Sic valida est promissio , etiam absque
scripto , quæ sit infrà centum libras , quia
lex declarat invalidas eas solùm promissiones ,
quæ sunt , sine scripto , suprà centum li-
bras.

Sic demùm validi sunt omnes contractus
minùs solemnes , qui fieri solent sine scripto ,
sine notario , sine testibus , modò nihil ha-
beant contrarium legi naturæ ; quia hujus-
modi contractibus lex civilis nullas conditio-
nes apponit , eosque ita relinquit in contra-
hentium arbitrio , ut si in summa minima
interveniret lexio , non exciperet quærelam
illius , qui paterer in integrum restitui L. 3.
ff. de in integrum restitutio[n]ibus .

CONSECARIUM II. In resolvendis
casibus , qui eos contractus respiciunt , quos
ineunt homines absque ulla juris solemnitate ,
in mercalibus , in numdinis , quos pariter

vulgo ineunt rustici locando suas operas , quod in eunt etiam mercatores in emendis , vendendisque mercibus ; & demum quos singuli iniunx sine notariorum Tabellionumve adiutorio , non debemus ad juris civilis praescripta recurrere ; sed solum observare , an intervenient conditiones Jure naturali requisiæ ; & debemus de illis contractibus Præcise secundum jus naturale judicare .

§. II.

De contractibus ob vim & metum , secundum quid involuntariis , qui jure civili reprehēbatur .

P R O P O S I T I O unica . Contractus ; initii ex metu , non levi , vel reverentiali , sed gravi & injustè incusso , quamvis jure naturali sint validi , sunt tamen jure civili , vel irriti , vel irritandi .

Probatur . 1º . Ex jure civili . Ait prætor , quod metus causâ gestum est , ratum non habebbo . leg . 1 . ff . quod metus causâ & rursus si liberum esset , noluissem ; tamen coactus volui ; sed per prætorem restituendus sum . L . 21 . ff . quod metus causâ § . 5 . ergo quod sit ex metu gravi & injustè incusso , reddit contractum , vel irritum , vel irritandum .

2º . Ratione . Leges debent malorum malitiam punire , & pusillorum timiditatem juvare . ut dicit jus civile , & hoc quidem justè , ne vel illis malitia sua sit lucrosa , vel istis simplicitas sit damnosâ ff . L . 1 . de dolo malo ergo optime legibus cautum est , ut contractus ex

metu gravi & injustè incusso initi, vel de facto irritentur, vei irritandi declarentur.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Contractus ex metu levi etiàm injustè incusso, non redditur vel irritus, vel irritandus; quia jus civile judicat hujusmodi metum nihil nocere libertati. De quo ità habetur, L. 5. & 6. ff. quod meius causâ. Metum accipiendum labeo dicit, non quemlibet timorem, sed majoris malitias. Metum autem non vani hominis, sed qui meritò & in hominem constantissimum cadat, ad hoc edicium portinere dicemus.

C O N S E C T A R I U M II. Contractus ex metu reverentiali, etiam injustè incusso, non redditur vel irritus, vel irritandus, quia metus ille; nisi ad sit violentia, non præsumitur nocere libertati. De quo ità jus ciyile ad metum arguendum ... Senatoria dignitas adversarii sui sola non est idonea. L. 6. C. de his quæ vi metu tè causâ. Quod enim publicè fit, non videtur timore extortum; cum, inquit lex, potuerit jus publicum invocare, & adire aliquem potestate præditum, qui utique vim eum pati, prohibuisset. L. 23. ff. quod meius causâ.

C O N S E C T A R I U M III. Contractus, qui ex metu vel levî, vel reverentiali, vel etiàm gravi, sed justè incusso initur, non redditur vel irritus vel irritandus, quia tunc nulla injuria fit parti, cui metus incutitur; ut habetur, L. 3. ff. quad meius cauâ. §. 1.... vim, inquit, accipimus atrocem, & eam, quæ

adversus bonos mores fiat : non eam , quam magistratus recte intulit , scilicet , jure licito , & jure honoris quem sustinet.

Sic validus est contractus , etiam jure civili , qui initur ex metu incusso a judice minitante mortem defloratori , nisi virginem defloratam a se in uxorem ducat.

CONSECTARIUM IV. Solus metus gravis & injuste incussum efficit contractum , aliquando irritum , aliquando irritandum ; ut habetur . ff. toto titulo , quod metus causâ.

MONITUM. Quinam contractus ex metu injuste incusso initi , sint irriti ipso facto ; quinam verò irritandi , colligere poteris ex versibus sequentibus.

Tutor , judicium , dos , sacrum , copula , votum.

Hæc ex vi factâ de jure scias fore nulla.

Cætera jus patitur , sed postea restitutetur.

Explicantur praedicta carmina.

Hæc vox , tutor , significat quod authoritas tutoris per metum extorta , reddat contractum ipso jure nullum , ut habetur . L. 1. ff. de autoritate tutorum . Tutor , inquit , si invitus retenuis sit per vim , non valet , quod agitur.

Hæc vox ; judicium , significat quod iurisdictio ex metu protogata ; reddit nullum id , quod ex tali iurisdictione fit , ut habetur , de judiciis , ff. L. 2. si cum restitisset , inquit , quivis ex litigatoribus , viribus præturæ compulsus est , nulla iurisdictio est.

Hæc vox , dos , significat quod contractus dotis vi promissæ vel solutæ est nullus.

Ità habetur, L. 21. quod metûs causâ. Si dos, inquit, metu promissa sit, non puto nasci obligationem; Quia est verissimum, nec talem promissionem dotis ullam esse.

Hæc vox, *sacrum*, significat, quod traditio rei Ecclesiasticæ vi metuvè exorta, nulla sit; & juramentum de rebus Ecclesiæ non repetendis, nullum est. cap. pervenit De jure jvrandō; ubi afferitur ipsum Episcopum nullius juramenti vinculi super hoc poss' constringi.

Hæc vox, *copula*, significat quod contractus matrimonii imò & sponsaliorum, juxta multos, si vi & metu fiant, ipso jure sunt nulli. Ut pate ex cap. requisivit. De sponsalibus. Ubi sic habetur, cum libera debeant esse maritonia, monenda est potius mulier, quam cogenda, cum coactiones, difficiles soleant exitus frequenter habere.

Hæc vox, *votum*, significat quod professio in Religione approbata, si vi metuvè injustè incusso fiat, est ipso jure nulla? ut habetur cap. perlatum. De iis quæ vi metuvè causâ fuent. Ubi decernitur. Quod si quis timore mortis, postea ratum non habens, Religionem profiteatur, exire & matrimonium contrahere potest. Ita in argumento capitilis

Hæc voces cætera jus patitur, &c. denotant. Quod alii Contractus ex vi metuve initi non sint de facto irriti, sed solùm irritandi. Quod ut pateat, sit

§. III.

De Contractibus ex præsumptione dolii vel mensinis, qui per jus civile declarantur nulli.

PROPOSITIO unica. Quoties contra-hentes, vel dolo, metu decepti sunt, aut præsumuntur decepti, toties per jus civile rescinduntur Contractus; & pars contrahens, quæ aut decepta est, aut decepta præsumitur, per sententiam judicis restituitur in integrum, id est in priorem statum.

Probatur. 1^o. Ex jure civili. L. 1. ff. de in integrum restitutionibus, ubi sic habetur; utilitas hujus tituli non eger commendatione, ipse enim se ostendit. Nam sub hoc titulo, plurimariam prætor hominibus, vel lapsis, vel circumscripiis subvenit: sive metu, sive calliditate, sive atate, sive absentia inciderunt in captiō-nem. Ergo jus civile in integrum restituit eos, qui decepti sunt, vel qui præsumuntur decepti. Relinquendo conscientiæ cuiuslibet examinandum, an reverā deceptus sit, nec-ne.

2^o. Ratione. Æquitas naturalis postulat, ut, quantum fieri potest, deceptions à quocumque contractu amoveantur, quod si aut casu aut malitiā acciderint, reparentur. Atqui illud sit per restitutionem in integrum. Ergo optimo jure civilis statuit restitu-tiones in integrum.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Quandò reversā in contractibus intervenit , aut vis, aut metus, aut deceptio ; pars decipiens debet in conscientiā prævenire sententiam judicis , partemque deceptam in integrum restituere , & damnum illatum reparare ; quia , ut dicit D. Tho. dare occasionem damni , semper est peccatum. Deindè nemini sua fraus debet patrociniari. Demum Ratio & æquitas naturæ postulat, ut ipismet his , quos decepimus , succurramus. Sic latro , qui metu mortis extortis pecuniam , non potest eam retinere, sed antè sententiam judicis debet eam reddere. Sic qui dolo, aut fraude , aut metu alium impulit ad contractum , quo , vel resignatum est Beneficium Ecclesiasticum , vel venditus est fundus , vel donatum est aliquid , &c. debet ipse sibi jus dicere , & præveniendo sententiam judecis partem contrahentem , quæ aut decepta est aut coacta , in integrum restituere.

C O N S E C T A R I U M II. Quandò reverā in contractibus non intercessit vis , metus, aut deceptio , sed solūm præsumptio deceptionis , aut coactionis , tunc pars , quæ decepta aut coacta præsumitur , uti non potest, in foro conscientiæ Beneficio restitutionis in integrum ; qniā lex civilis non dat hujusmodi Beneficium , nisi supposita deceptione ut ; habetur , L. 3. ff. de *in integrum restitutionibus , omnes , inquit , in integrum restitutiones , causâ cognitâ à præstore a promittuntur : scilicet,*

cet, ut iustitiam eorum causarum examinet, an verè sint, quarum nomine singulis subvenit. Deinde Contractus ille est validus, jure naturæ, & haberetur ut validus jure civili, si cognosceretur talis, qualis est: ergo in foro conscientiæ est observandus; demum numquā licet mentiri, præcipue in instrumentis publicis. Ergò non licet, coram judice, persequi deceptionem, aut coactionem, cùm reverā nulla intercessit deceptio aut coactio.

Sic pupilli, qui sunt sub potestate tutoris, minores, qui sunt sub potestate curatoris, uxores, quæ sunt sub potestate mariti, si sine dolo, fraude, aut coactione contraxerint, non possunt, in foro conscientiæ, partes, cum quibus contraxerunt coram judice compellere; si verò id contrā æquitatem naturali faciant, ad compensationem damni illati tenebuntur.

Quomodo verò partes iniquè compulsaे se gerere debeant, sequentibus Consectariis videbitur.

C O N S E C T A R I U M III. Quandò conventiones sunt jure naturali validæ; & ex sola præsumptione doli, vel fraudis, vel coactionis, declarari solent invalidæ; eadem pacta in foro conscientiæ vigent, donec accesserit sententia judicis, irritantis ea pacta, & ea nulla declarantis, & partem, quæ præsumitur decepta, in integrum restituens.
 1º. Quia jus naturale suum semper retinet vigorem, donec aliter per jus positivum explicetur. 2º. Quia lex positiva infligens pœnam non ligat, nisi post juridicam sententiam, secundum formam juris, prolatam & intimatam.

Sic possum retinere in conscientiâ , quod mihi sponte , & consensu plenè libero datum est mihi à pupillo proximo pubertati , à minore , à muliere conjugatâ , donec judex eam donationem irritam declaraverit.

Sic possum retinere in conscientiâ , quod à pupillo , minore , muliere conjugatâ plenè consentientibus , consecutus sum contractu utrimque oneroso , v. g. emptione , commutatione , ludo non prohibito , &c.

C O N S E C T A R I U M IV. Quandò pacta , v. g. promissiones , Contractus , valida sunt jure naturæ , sed ex falsâ præsumptione doli , fraudis , aut coactionis per sententiam iuridicè prolatam & intimatam , declarata sunt nulla , tunc , ad vitandum scandalum , rescindenda sunt illa pacta ; dissolvendæ conventiones , & rescindendi Contractus , quia tunc maximè observare oportet illud D. Pauli , *ut quid non magis injuriam patimini.* Pars , quæ mentita est , dolum , vel fraudem , vel coactionem , tenebitur in foro conscientiæ damnum omne reparare , quod suo mendacio causavit ; & pars , quæ iniquè compulsa est coram judice poterit in foro interno exigere damnum omne ; quod patitur , & in foro externo postulare id , in quo pars altera contrahens ditior , facta est , ut suprà diximus.

§. IV.

De Contractibus omnino voluntariis , qui declarantur nulli per jus civile.

P R O P O S I T I O unica. Contractus , qui

apud homines solent fieri cùm solemniori apparatu , quamvis sint jure naturæ validi , tamen jure civili declarantur invalidi , si careant solemnitatibus , per legem civilem requisitis.

Probatur 1°. Ex jure civili. L. 29 ff. *De Pactis*. Ubi sic habetur. *Contra juris civilis regulas pacta conventa rata non habentur.*

2°. Ratione. Ad legem civilem pertinet corrigitere non solum Contractus secundùm quid involuntarios , qui dolo , vel metu extorquentur ; sed etiam Contractus plenè voluntarios , qui consensu quidem plenè libero , sed non satis prudenti ineuntur : debet enim lex omnibus , quantum fieri potest , providere. Atque omnibus providetur declarando invalidos aliquos solemniores Contractus , qui Reipublicæ nocerent , si in singulis casibus observarentur pro libito contrahentium : ut patet ex matrimoniis clandestinè initis , ex Testamentis sine testibus factis ; ergo optimo jure lex civilis declarat Contractus solemniores , etiam si plenè voluntarios omnino invalidos;

Hoc autem facit jus civile duplixi viâ. Primo quidem declarando personas aliquas inhabiles ad contrahendum. Secundo exigendo aliquas solemnitates , quibus cessantibus , Contractus quantumvis liberi sint , nulli & invalidi habeantur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Nulli sunt Contractus illi qui ineuntur à personis , quæ per ius civile declaratæ sunt inhabiles ad contrahendum ; aullus enim est major defectus

quam inhabilitas : de hoc ita loquitur Jus Civil. L. 5. C. De legibus : nullum enim , inquit, pactum , nullam conventionem , nullum Contratum inter eos videri volumus subsecutum , qui contrahunt , lege contrahere prohibente.

Sic validi sunt Contractus nuptiarum initi ab his , qui secundum jura sunt habiles ad contrahendum , v. g. ab his , qui sunt sui juris ; invalidi verò , si incantur ab his , qui sunt incapaces contrahendi , v. g. ab his , qui sunt juris alieni , quique sine consensu eorum , quibus subsunt , attentant nuptias contrahere : de quo ita Justinianus. Lib. 1. Inst. tit. 10. de Nuptiis. *Justas autem , inquit , nuptias inter se cives Romani contrahunt , qui secundum praecpta legum coēunt , masculi quidem puberes , fœminæ autem viri potentes , sive patres familiarium sint , sive filii familiarum , dum tamen & filii familiarum sint consensum habeant parentum , quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere , & civilis & naturalis ratio suadet : in tantum ut jussus parentis præcedere debeat.*

Sic nullæ sunt donationes , nulla Testamenta eorum , qui declarati sunt inhabiles , tum ad donandum , tum ad testandum : Non enim , inquit , Justinianus. Lib. 2. Inst. tit. 12. *Omnibus licet facere Testamentum . . . Ii enim , qui alieno juri subjecti sunt , Testamenti faciendo jus non habent . . . De hoc fusius infra , ubi de donatione & testamentis.*

Sic jure Canonico nulla sunt vota solemnia ante decinum sextum annum & expletum integrè annum Noviciatus elicita ; quia ante illud tempus homo declaratur inhabilis ad professionem Religiosam. Trident. ses. 25. cap. 15. *De regularibus.*

CONSECTARIUM II. Contractus solemniores initi à personis , etiam habilibus ad contrahendum sunt nulli, si careant solemnitatibus jure civili requisiis; quia jus civile potest illas conditiones Contractibus apponere , qui libet enim, ut pote pars Reipublicæ, debet subjici legibus Reipublicæ. De quo ita jus civile.

L. 5. C. De legibus & constitutionibus. Quæ lege fieri prohibentur , si fuerint facta , non solum inutilia , sed & pro infectis etiam habeantur . . . Sed & si quod fuerit subsecutum ex eo , vel ob id , quod interdicente lege factum est : illud quoque crassum atque inutile est præcipimus.

Sic Testamentum non subscriptum pro infecto habetur. L. 21. C. de Testamentis. De quo plura ubi de Testamentis-

Sic Contractus coram Notario ineundi nulli sunt, si non sint subscripti à Notario, à testibus & à contrahentibus si sciant scribere, de quo ita jus civile L. 17. C. Defide instrumentorum, &c. Contractus , inquit , venditionum & permutationum , vel donationum , &c . . . Quas tamen in scriptis fieri placuit . . . Non aliter vires habere sancimus , nisi instrumenta in mundum recepta , subscriptionibusque partium confirmata , eis per tabellionem conscribantur , etiam ab ipso completa , & postremò à partibus absoluta sint.

Sic promissio , ultra centum libras , scripto non obfirmata , nullius est vigoris. Ut patet ex edicto Molinensi art. 54.

MONITUM. Sunt insignes Theologi , qui docent quod leges civiles , quæ irritant eos Contractus , qui sunt plenè voluntarii non obligent in foro interno ; sed solum in foro

externo & proinde quod per illos Contractus naturaliter validos, & civiliter solum invalidos, verè coram Deo transferatur & acquiratur rerum Dominium; atque ideo quod hereditas obtenta per Testamentum naturaliter validum & iuris nullum, possit tutò in conscientia retineri, & quod res data per donationem naturali jure validam, sed jure civili irritam, possit pariter absque scrupulo retineri; quia inquinnt, quilibet ita est Dominus rerum suarum, ut de eis valeat pro libito disponere. Hæc sententia ex dictis modò, & ex dictis ubi de rerum Dominio videtur parum probabilis; ut tamen sequamur non solum, id quod est magis probabile, sed etiam quod est magis tutum, hac cautione possemus uti.

Quoties. Lex civilis irritans Contractum jure naturali validum nobis lucrum assert. & damnum alteri infert; aut nobis infert damnum & alteri lucrum; toties possemus cum eo cum quo potest esse contentio, ex æquo & bono judicio prudentis & studiti Theologi componere: ut sic uterque tutus esset in conscientia. v. g. defertur mihi hereditas ab intestato, quam testator verè & sincerè volebat dare Titio, & de facto dedit, sed per Testamentum nullum jure civili Titio defertur hereditas jure naturali, mihi defertur jure civili; ut uterque nostrum tutus sit in conscientia, eligatur Theologus qui rem serio examinet, & utrique partem hereditatis, juxta ius cuiilibet conveniens, dividat. **Quod** dixi de Testamento de aliis Contractibus dictum puta.

CAPUT III.

Quam obligationem in fero conscientiae Contractus inducant.

VIdimus hactenus, quæ requirantur & sufficiant, ut Contractus sint in utroque iure, scilicet naturali & civili, validi; videntum modò quam obligationem induant.

ARTICULUS I.

De obligatione inducta per Contractus.

PROPOSITIO unica. Contractus ultrò citroque acceptatus, & ex integro completus, vim habet legis, quam sibimet ipsis imponunt contrahentes, cosque obligat in conscientia.

Probatur 1º. Scripturâ. Divus Paulus scribens ad Colossenses, & loquens de mutua conventione quæ intervenit inter servos & Dominos, & proinde de quocumque alio Contractu, sic habet. *Qui enim injuriam facit, non stando, scilicet, justis conventionibus, recipiet id quod iniquè gessit: & non est personarum acceptio apud Deum.* Ad Colos. 3. v. 25. Ergo cum illi, qui non stant conventionibus, iniquè agant, & puniendi sint; consequens est quod Contractus obligent in conscientia.

2º. Ex jure Canonico. Can. *Juramenti: ubi sic habetur. Dominus inter juramentum & loquelam nostram; quā scilicet, contrahendo nos obligamus, nullam vult esse distantiam: quia sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris promissoriis nul-*

lum debet esse mendacium : quia utrumque & per jurium , & mendacium divini judicii pœnâ damnatur. Quem locum Glossa in caput *Antigonus* citans, sic concludit. *Igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem: quia mortaliter peccat recedendo à pacto:* Ergo Contractus obligant in conscientia.

3^o. Ex jure civili. L. 23. ff. *Hoc servabitur, inquit, quod initio convenit: legem enim Contractus dedit.* Ergo Contractus obligat in conscientia.

4^o. Ratione. Contractus est ultrò citroque obligatio , tam secundūm jus naturale , quam secundum jus positivum civile , & Canonicum ; ergo obligat in conscientia ; quia triplex illud jus obligat in conscientia.

consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Contractus ita ligant contrahentes in conscientiâ , ut nullatenus possint , nisi ex reciproquo consensu , à conventionibus suis resilitre. *Sanximus, inquit jus, nemini licere adversus sua pacta venire.* L. 29. C. De Pactis.

C O N S E C T A R I U M II. Qui pacta non servat primò obligatur ad culpam , secundò ad pœnam , scilicet ad reparationem damni , sicuti qui violat legem . & culpam committit , & pœnam incurrit. *De quo ita jus civile. Quoniam Contractus fidem fregit, quanti tuā interest præstare cogetur.* L. 6. C de hereditate vel actione venditâ.

Sic qui contra pactum rem non reddidit , vel eo loco , vel eo tempore , quibus daturus erat , debet solvere juxta pretium quo valuit.

set res tali loco, vel tali tempore; sic merx aliqua quæ certo die dari debuit, tanti æstimanda est, quanti fuisset æstimata eo die quo dari debuit & eo in loco quo dari debuit. Sic si venditor completo contractu nolit rem venditam tradere, si pereat apud ipsum, peribit non emptori, sed debitori in poenam fidei violatæ, venditoris periculum erit *Cum venditor, inquit jus civile moram adhibuerit ... Aequum est moram venditori nocere.* L. 17. *De periculo & commodo rei venditæ.*

C O N S E C T A R I U M III. Contrahentes possunt sibi quaslibet conditiones modò non sint legibus contrariæ, apponere; quia sicuti lex arbitraria ligat juxta arbitrium Legislatoris, modò non repugnet bono communī, ita & conventiones ligant juxta arbitrium contrahentium. *Contractus legem ex conventione accipiunt.* Ut dicitur. L. 1. ff. §. 6. *Depositii, vel contra.*

Sic contrahentes possunt vel absolutè, vel conditionatè, vel poenaliter se obligare; quia ad quod libuerit, sunt liberi. Contrahunt absolutè cum nullam apponunt conditionem. v. g. vendo tibi fundum meum. Contrahunt conditionatè cum aliquam apponunt conditionem. v. g. vendo tibi fundum meum, si avunculus consentiat. Contrahunt poenaliter, cum sibi mutuo infligunt mulctam aliquam, si pactis non steterint. v. g. vendo tibi fundum meum, & si pactis non stetero solvam centum libras. Contractus absoluti, obligant absolutè, conditionati juxta modum conditionis, poenales, juxta poenam præscriptam. Sicuti diximus de legibus.

CONSECTARIUM IV. Contractus ligant contrahentes juxta rationalem intentiōnem contrahentium, sicuti lex ligat juxta intentionem rationalem Legislatoris. Juxta illud juris. In conventionibus contrahentium voluntatiem potius, quam verba spectari placuit. L. 219. ff. De verborum significatione.

Sic pacta iustitia, vel quia personæ contrahentes sint inhabiles, vel quia non sunt liberae, vel quia ad aliquid iniquum & impossibile se obligarunt, non sint observanda; intentio enim obligandi in illis circumstantiis non est rationalis.

Sic contrahentes quantumvis liberi, non possunt apponere Contractibus conditiones dishonestas, impossibilis vel contractui in eundo substantialiter contrarias. Quia talis intentio esset irrationalis juxta illud juris, non solum stipulationes impossibili conditione applicatae nullius momenti sunt: sed etiam ceteri quoque Contractus. L. 31. ff. de obligationibus & actionibus.

Sic contrahentes possunt mutare contractuum conditiones quæ per leges apposita sunt modò lex contrarium non prohibeat, & modò illæ conditiones sint in favorem contrahentium, ad hoc enim sunt liberi. Omnes enim licentiam habent, his, quæ pro se introducta sunt, renunciare. L. 29. C. De Paetis.

Sic lex emptionis & venditionis est, quod venditor teneatur ad evictionem rei venditæ, id est, tenetur emptorem liberare ab omni re quæ circa rei venditæ possessionem moveri posset. Tamen emptor potest illum eximere à tali onere vendendo viliori pretio.

Sic lex mutui est ut mutuatarius monitus teneatur ad reparandum lucrum cessans & damnum emergens, mutuator poterit mutuatariū à tali conditione eximere, & damnum quod patitur ex mutuo, mutuatario condonare.

Dixi modò conditiones sint in favorem contrahentium & legi non contrariae, si enim legi adversentur, tunc injusta est conventio.

CONSECTARIUM V. Cum in Contractibus intentio contrahentium non est aperta, interrogandi sunt contrahentes, si fieri non possit, inspiciendus est mos regionis in similibus Contractibus, & juxta confessionem contrahentium & morem regionis, de obligatione Contractus est judicandum. Sicuti dum latet intentio legis, eam vel ex responso Legislatoris, vel ex legitimā consuetudine educimus; etenim ut dicit lex, quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cuiusque capit interpretationem. L. 168. ff. De regulis juris. Si non appareat quod actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione in qua actum est frequentatur. L. 34. ff. De regulis juris.

CONSECTARIUM VI Si verba Contractus sint manifestè contraria intentioni contrahentium, eorum intentio, spretis verbis, servanda est, sicut non verba legis, sed intentionem Legislatoris servamus. Quia ut dictum est. In conventionibus contrahentium voluntatem potius quam verba spectari placuit. L. 219. ff. De verborum significatione.

CONSECTARIUM VII Si verba contractus exprimant aliquam rem mobilem, vel immobilem, tradendam esse, & non ex-

pressè determinent gradum perfectionis , rei quæ tradenda est , non rem supremam non infimam , sed medium illius generis dari oportet . Quia sicuti intentio legislatoris , id quod communiter geritur inspicit , ita & intentio contrahentium . Juxta illud . *In obscuris inspici solet ; quod verisimilius est , aut quod plerumque fieri solet . L. 114. ff. de regulis juris .*

Sic septem jugera agri promisisti Titio in tali loco , non sufficit dare fundum deteriorem , nec teneris dare opimiorem ; satisfacis dando fundum medii prætii .

Sic vinum , oleum , frumentum promisisti , nec melius dari oportet , nec deterius dari sufficit , sed medium & vulgare dare convenit .

Sic artificem promisisti , non hominem consummatæ scientiæ teneris dare , nec indoctum , sed sufficit à te offerri vulgaris eruditionis .

Sic emis pannum communi prætio , nec à te supremum pretium exigi potest , nec à te dari infimum , sed medium conventionibus & datur & recipitur .

Sic mutuò das frumentum , vinum , &c. non licebit debitori tuo deteriorem rem quæ ex eodem genere sit reddere tibi , veluti vinum novum pro vetere ; nec tibi licet rem longè meliorem exigere , sed simili re contentus sis oportet .

C O N S E C T A R I U M VIII. Si verba contrahentium , secluso omni dolo , sint ambigua juxta circumstantias loci , temporis & personarum , decet ea interpretari , quia sicuti intentionem legis ex variis circumstantiis interpretamur , ita & intentionem contrahentium

in ambiguis orationibus; maximè sententia expectanda est ejus, qui eas protulisset. L. 96. ff. de regulis juris.

Sic conventio certi negotii non se extendit ad negotia alterius generis. v.g. societas inter duos mercatores circa vinum, non extendenda est ad lucrum quod alter mercatorum faciet circa frumentum.

Sic ultima variarum expensarum computatio ad negotia ejus generis, de quibus agitur, & non ad alia negotia alterius generis extendit.

CONSECTARIUM IX. Si verba contractus ex malâ fide alterius contrahentium sint ambigua, rigidè, contra dolosè agentem, sunt interpretanda, quia nemini sua fraus debet patrociniari.

Sic in contractu venditionis & locationis si ambigua oratione rei venalis vitia abscondantur, v.g servitutes, fundi, morbi pecoris, fraus bebet nocere venditori, juxta illud juris. *Veteribus placuit pactionem obscuram, vel ambiguam venditori & ei qui locarit nocere, in quorum fuit potestate, legem apertius conscribere.* L. 39. ff. de pactis.

CONSECTARIUM X. Si in contractibus solutionis, debiti, & traditionis rei exprimatur locus & tempus, standum erit pactis, si non exprimatur, standum erit consuetudini; quia sicuti legem expressam sequimur, dubiam per consuetudinem interpretamur, ita pacta expressa sequimur, dubia per consuetudinem Religionis interpretamur.

Sic debita solvenda sunt die & loco condicto, depositum, legatum dic & loco con-

dicto restituenda sunt. Ità tamen ut dilatio
currat usque ad ultimum tempus , v. g. us-
que ad ultimam diem mensis designati.

Si nec locus , nec tempus exprimantur,
debitum statim reddendum est , eo in loco ubi
initus est contractus. Juxta illud in omnibus
obligationibus in quibus dies non ponitur,
presenti debetur L. 14. ff. de regulis juris.

ARTICULUS II.

De extenione obligationis inducé per con- tractum.

PROPOSITIO unica. Contrahentes ne-
dum obligant se ad id quod expressè est
conventum , sed etiam ad id quod neces-
sariò connexum est cum conventione.

Probatur. Sicut in lege, quandò duo neces-
sariò connectuntur, si lex præcipiat unum, præ-
cipit & aliud , alias minus recta esset inten-
tio legislatoris ; ità in conventionibus quandò
duo necessariò connectuntur , qui se obligat
ad unum, se obligat pariter ad aliud , nisi ex-
pressè contrarium exprimatur , quià alias in-
tentio contrahentium esset irrationalis ; sic
qui init Contractus emptionis , venditionis ,
mutui , &c. tenetur subire ea omnia quæ
necessariò tales Contractus comitantur. Si
nihil convenit : tunc ea præstabuntur , inquit
lex, quæ natura iitter in sunt hujus judicii potes-
tate. L. 11. ff. §. I. de actionibus empti &
venditi.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M . I. Quando leges praescribunt aliquas conditiones in certis contractibus apponi, qui contrahunt debent illis conditionibus acquiescere, nisi tales conditiones essent in favorem contrahentium, & lex permitteret ut contrahentes iisdem conditionibus derogare possent; quia haec conditiones sunt accessoriae contractibus vigore legis connexæ, juxta illud. *Ea quæ sunt moris & consuetudinis, in bona fidei judiciis debent venire.* L. 31. ff. de ædicio edicto. §. 20. Et sicut accessoria legum observamus, ita & contractuum.

Sic qui init matrimonium, debet inire juxta leges, v. g. non ad tempus, sed ad mortem usque alterius partis, item tenetur impedimenta & dirimentia, & impedientia devitare, nam si contrahat cum aliquo impedimento dirimente, invalidè contrahit; si vero contrahat cum aliquo impedimento merè impudente, illicite contrahit. Ut dicemus ubi de matrimonio.

C O N S E C T A R I U M II. Quando contractus est mutuus, si una pars obligetur, altera pariter obligabitur; quia sicut leges æqualiter obligant sibi sudditos, ita contractus mutuus, vim habens legis, est ultro citroque obligatorius.

Sic in venditione si venditor tradat rem venditam, emptor debet dare pretium rei venditæ.

Sic in permutatione, si unus det rem immo-

M ij

136 MORALIS CHRISTIANA.
tandam, alter pariter debet rem æqualis pretii dare.

Sic in locatione & conductione, locator debet dare rem locandam, conducens vero debet dare premium, juxta usum rei quam conductit.

ARTICULUS III.

De rescissione contractuum.

PROPOSITIO unica. Toties rescindi potest contractus, etiam si validus, quoties si diutius perseveraret, non servaretur rationalis intentio contrahentium.

Probatur Ratione. Contractus eo fine initur, immo cum aliquâ solemnitate publicus redditur, ut firmius observetur rationalis intentio contrahentium; ergo tunc potest rescindi, cum contractus magis officeret, quam proficeret intentioni contrahentium, & sicut tunc cessat lex, quando officit intentioni legislatoris, ita tunc cessare debet contractus, cum officit intentioni contrahentium;

Consecaria bujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Contractus rescindi potest contrariâ conventione, sicut enim lex contrariâ lege irritatur, ita & contractus. *Nudi consensu obligatio dissolvitur contrario consensus.* L. 35. de regulis juris. Quippe, pacta novissima servari oportere, tam juris, quam ipsius rei æquitas postulat. L. 12. C. de pactis.

CONSECTARIUM II. Contractus res-

cinditur interventu circumstantiæ resolventi contractum ex conventione partium , quia talem sibi legem contrahentes statuerunt . si c si aliquid statuerint contrahentes sub certa conditione , positâ conditione observandum erit , minimè vero non positâ conditione , juxta illud . Si quid ita venierit , ut nisi placuerit , intra præfinitum tempus redhibeatur , ea conventionio rata habetur . L. 31. §. 22. ff. de aedilicio edicto .

Sic si vendideris fundum , sub pacto quod poteris redimere illum , penes te est illum fundum , dato pacto , exigere ab emptore ; juxta illud . Si fundum parentes tui eâ lege vendiderunt , ut sive ipsi , sive heredes eorum emptori premium quodcumque , vel intra certa tempora obiulissent , restitueretur , teque parato satisfacere conditioni dictæ , haeres emptoris non patet : ut contractus fides servetur , actio præscriptis verbis , vel ex vendito tibi dabitur . L. 2. C. de pactis , inter emptorem & venditorem , compositis .

CONSECTARIUM. III. Contractus rescinditur interpositione circumstantiæ impedientis Contractum ; v. g. si alter contrahentium proberet , vel ignorantiam , vel dolum , vel vim , vel metum intervenisse dum contrahebatur . Quia hæ circumstantiæ impediunt Contractum . Ut dictum est .

CONSECTARIUM. IV. Contractus rescinditur ex interpositione documenti etiam citra dolum contrahentium , quia tunc intentio rationalis contrahentium non servaretur . Si nullus dolus intercessit stipulantis sed ipsa res in se dolum habet . Tunc rescindi Contrac-

Sic cum hæreditas inter æquales hæredes, inæqualiter bonâ fide dividitur, dum patet nocumentum, potest rescindi, sine judicio factis divisionibus solet subveniri. L. 3. C. communia utriusque judicii.

Cum res venalis vitirosa, bonâ fide vendi-
tur ut non vitirosa, dum patet vitium de-
bet venditio rescindi.

Sic qui emit bonâ fide rem furtivam, &
durante bonâ fide eamdem rem vendit alteri,
ut advertit rem à se venditam esse furtivam,
debet rescindere venditionem, pretium accep-
tum reddere emptori & rem ipsam furto abla-
tam reddere Vero Domino, & à fure si
compareat exigere pretium; si vero non
compareat, pretium petibit primo emptori. Ita
Sylvius. Debet rescindere venditionem, quia
vendidit rem alienam non suam; docet au-
tem jus canonicum quod, id quod nostrum
est, sine pacto nostro ad alium transferri non
potest. Leg. 11. de regulis juris. In. 6. debet
pretium acceptum reddere emptori; quia non
habet titulum quo illud retineat. Debet rem
Domino reddere, quia res Domino clamat.
Potest tamen à fure, datum pretium exigere.
Quia fur non habet titulum quo illud reti-
neat.

CONTRACTUM V. Rescinditur Con-
tractus eventu casus improvisi impedientis in-
tentionem contrahentium. Quia tunc obser-
vatur eorum intentio.

Sic Contractus locationis domus rescindi
debet, si, vicino edificante, obscurantur lumina

*tenaculi; si ostia fenestrasve nimium corruptas locator non restituat. L. 25. ff. locati & condue-
ti. §. 2.*

Sic Contractus venditionis rescinditur, si aliquis ex stirpe venditoris, fundum eodem pretio emere voluerit ac emptor extraneus. Ita edicta Regis Gallie, ubi haec consuetudo viget. De jure retroactus dicetur, ubi de venditione & emptione.

CONSECTARIUM VI. Rescinditur Contractus ex conventionum violatione facta per alterum contrahentium, quia alias intentio rationalis contrahentium non observaretur.

Sic venditio rescinditur, si res vendita non tradatur, in id quod interest, agitur. L. 1. ff. de actionibus emptionis & venditionis. Id est, damnum illatum compensatur.

MONITUM. Circa formam in rescindendis Contractibus servandam. Contractus possunt rescindi auctoritate privatâ, si omnes contrahentes consentiant, quia sicuti sibi propriâ sponte hanc legem statuerunt, ita & possunt ab hac lege se eximere, & sibi hanc obligationem condonare.

Si alter contrahentium non acquiescat rescissioni, pars læsa judicem debet interpellare, & rescissionem Contractus postulare, sed non auctoritate propriâ Contractum rescindere; ita jubet jus. *Illiud omne, inquit, ad judicis cognitionem remittendum est.* L. 135. ff. §. 2. de verborum obligationibus.

CAPUT IV.

De obligatione per promissionem inducta.

Promissio permiscetur in omnibus contractibus, idè quæ sit ejus vis, quæ natura, hic explicabimus, antequam agamus de Contractibus in particulari.

ARCICULUS I.

Quam obligationem inducat promissio.

Nota. Promissio generatim est spontanea & deliberata fidei obligatio facta alteri de re quâpiam bonâ, licitâ & possibili. Qui promittit, vocatur promissor; hic cui promittitur, vocatur promissarius.

Promissio, alia est interna solum, alia externa solum, alia interna & externa simul.

Promissio interna solum est actus interior voluntatis, soli Deo & promittenti cognitus, quo quis vult se alteri obligare. Talis est promissio facta Deo ingrediendi Religionem, talis est promissio interna, quâ aliquid destinatur Ecclesiæ vel pauperibus; nam promissio interna Deo soli potest fieri, qui scrutatur corda, minime vero homini, qui cogitat alterius non cognoscit, nisi per signa exteriora, unde dicit D. Tho. 2. q. 88. a. 1^o. Promissio, quæ fit ab homine, homini non potest fieri, nisi per verba vel signa quæcumque exteriora.

Promissio externa solum est actus exterior,

quo quis simular se obligate alteri absque animo interiori obligandi se. Talis est promissio exterior illius, qui volens decipere Virginem, promittit ei matrimonium; interius tamen secum determinat non inire cum illâ matrimonium.

Promissio interna simul & externa est actus interior, quo quis se obligat alteri, manifestans promissum signo aliquo exteriori, v. g. nutu, verbis, instrumentis: tales sunt promissiones, quibus vulgo se obligant homines.

P R O P O S I T I O I. Promissio data, & acceptata, vera & non simulata, facta spontaneè & deliberatè cum animo obligandi se, ligat promittentem in conscientiâ.

Probatur 1°. Scripturâ. *Nubes & ventus & pluviae non sequentes, vir gloriosus & promissa non complens.* Prov. 25. v. 14. id est, vir non stans promissis est sterilis, sicut ventus & nubes sine pluvia. Quâ reprehensione, indieatur peccare eum, qui promissis non stat.

2°. Ex Aug. fides, quæ etiam hostibus promittitur, servanda est.

3°. Ex D. Tho. si quis non facit, quod promittit, tunc videtur infideliter agere, per hoc quod animum mutat. 22. q. 110. a. 3. ad 5.

4°. Ex jure Canonico. Studiosè agendum est, ut ea quæ promittuntur, opere compleantur. De pact cap. qualiter.

5°. Ratione. Stare promissis pertinet vel ad justitiam, vel ad veracitatem: Ergo ad aliquam virtutem. Ergò peccat, qui illam virtutem violat. Ergo promissio obligat in conscientiâ. Dixi promissio data à promittente, & accepta à promissario, vel ab alio, qui

ejus vices subeat : etenim , L. i. ff. de pact.

Dicitur nullum esse Contractum , nullam obligationem , quæ non habeat in se conventionem , idest , mutuum consensum ; deinde ad valorem promissionis requiritur , non solum , ut res promissa sit grata promissatio , sed etiam quod gratum sit rem talem ei promitti à tali , quod certè penitus ignoratur , quandiu promissarius non acceptabit promissum.

P R O P O S I T I O II. Promissio simplex , data & acceptata , et si non juramento firmata , modò serio facta sit . & acceptata ; obligare videtur sub reatu peccati mortalis. Peccatum autem illud potest fieri veniale , vel ob indeliberationem ex parte agentis , vel ob parvitudinem materiæ ex parte objecti , juxta principia statuta in primo tomo.

Probatur 1º. Ex jure can. cap. Antigonus. De pact. ubi sic habetur. *Antigonus Episcopus dixit , aut inita pacta suam obtineant firmatorem , aut conventus , (si se non cohibuerit) Ecclesiasticam sensiat disciplinam , dixerunt universi , pax servetur , pacta custodiantur : Ergo cum violatio nudi pacti subjiciatur Ecclesiastice disciplinæ , debet esse grave peccatum : & glossa ibidem addit quod nuda pacta obligant sub mortali peccato.*

2º. Ratione 1a. Ratio. Peccatum , quod aliquâ Ratione in materiâ gravi opponitur , vel justitiæ , vel fidelitati , ex suo genere est peccatum mortale , quia hujusmodi virtutibus tota nititur societas humana ; atqui non state promissis opponitur , vel justitiæ , vel fidelitati , quia fides in promissis non solum ad

æquitatem pertinet, sed est totius æquitatis fundatum. Ergo promissio simplex, etiam si non sit juramento firmata, obligat sub mortali.

2^a. Ratio. Promissio facta Deo obligat sub mortali, non quia est actus Religionis, sed quia est officium justitiae. Ergo & promissio, quæ fit homini; quia quantum ad hoc, munus justitiae, sunt ejusdem generis, promissio facta Deo, & promissio facta homini. Ita Soto.

3^a. Ratio. Apud omnes gentes violator fidei, tanquam scelestus habetur. Ergo consensus ille publicus omnium gentium denotat delictum grave incurri in violatione fidei, & proinde in infringendo promissa.

Consecataria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccat peccato infidelitatis, juxta omnes, quicumque exteriorius promittens, non habet interiorem animum promittendi, quia fallit promissarium, dum aliud verbis exprimit, & aliad mente gerit; non tamen ligatur promisso, quia nullum est promissum, sine animo interiori promittendi: ratione tamen scandali, si quod sit, vel damni promissario illati ex hac promissione, tenetur fictis etiam stare promissis, cum jus naturale præcipiat ne proximo detur occasio scandali, damnumve aliquod inferatur. Hujus fidelitatis servandæ exemplum habemus in Josué, inquit Ambr. licet enim deceptus esset à Gabaonitis. Tamen pacem quam dederat, revocandam non censuit: quia firma-

ta erat Sacramenti Religione ; ne dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solveret. Can. Innocens. 22. q. 4. Et quamvis juramentum fuerit præcipuum motivum standi promissis : tamen coram Deo ex vi solius promissionis obligatus fuisset ; quia coram Deo & nudum promissum. & promissum firmatum juramento non multum distant.

CONSECTARIUM II. Peccat peccato infidelitatis simul & perjurii, quicumque non habens interiorem animum exequendi quod promittit, firmat juramento fictam promissionem, peccat. 1º. Peccato infidelitatis, quia fallit promissarium. 2º. Peccato perjurii, quia jurat contra veritatem, & tenetur servare promissa, non vi promissi, quia nullum est, sed vi juramenti, quod emisit. si non sit promissis juramento firmatis, peccatum erit mortale, quia perjurium est semper peccatum mortale, etiam in materiâ levi, ut diximus ubi de perjurio.

CONSECTARIUM III. Peccat peccato infidelitatis, imò & injustitiæ, juxta aliquos, quicumque habens animum promittendi, non exequitur promissionem datam & acceptatam, quia fallit promissarium in re debitâ, ratione promissi ; quod peccatum erit mortale, si nocumentum illatum proximo sit insigne ; veniale verò, si damnum sit exiguum ; injustitia enim & infidelitas in materiâ levi sunt peccatum veniale, in materiâ verò gravi sunt peccatum mortale.

CONSECTARIUM IV. Peccant singuli contrahentes, ut dictum est, qui non exequuntur, quæ contrahendo promiserunt, nisi

nisi forte promisissent ea , quæ leges vetant ;
 alioquin nulla esset fides , nulla securitas .
 Dixi nisi promisissent ea , quæ leges vetant :
 etenim contrahentes sunt membra Reipublicæ ,
 & proinde in Contractibus ad nihil possunt
 se obligare , quod sit legibus contrarium ,
 nullumque possunt sibi onus imponere , nisi
 juxta beneplacitum Reipublicæ .

Sic sistendo intrâ jus naturæ & in foro
 conscientiæ , contrahentes debent à Confessariis
 adduci ad exequendum ea , quæ promissa
 sunt , modò non sint contrâ leges , nec excusari
 possunt coram Deo , ex eo quòd con-
 tractus illi non habeant in foro exteriori om-
 nes juris solemnitates ; quia , et si non obli-
 gentur vi contractus civilis , obligantur vi
 promissionis naturalis , modò in promissione
 nec dolus , nec fraus intervenierit ; sic deflora-
 tor , qui corrupit virginem , promittendo ei
 matrimonium , tenetur eam ducere in uxo-
 rem , si validè id fieri possit , quia promissio
 ligat promittentem : sed si dolus intervenierit ,
 v. g. si ipsa se virginem dixerit , cùm reverà
 non esset virgo , non tenetur eam ducere in
 uxorem , quia ipsa potius decepit , quâm
 decepta sit . Si pariter virgo sit longè infe-
 rioris conditionis , non tenere eam ducere ,
 tunc enim decipi voluit ; si tamen stante illâ
 conditionis disparitate , deflorator sincerè pro-
 miserit , vel virgo bonâ fide matrimonium
 speraverit , tenetur deflorator eam ducere in uxo-
 rem , nisi ipsa Virgo prudenter credere potuerit
 fraudulentam esse hujusmodi promissionem .

ARTICULUS II.

Quibus in casibus promissio non liget.

PROPOSITIO unica. Promissio non ligat coram Deo, quoties facta est contrà legem naturalem, immò contrà legem positivam, quæ directè respicit bonum commune; ligat verò, si sic contrà legem positivam, quæ respiciat bonum privatum ipsius promittentis, nisi esset periculum, vel damnum alicujus tertii.

Probatur 1°. Ex jure Can. *in malis promissis rescinde fidem* Can. In malis. 22. q. 4. mala autem promissa sunt, quæ sunt contrà leges. Ergo.

2°. Ex jure Civ. *societas flagitiosæ rei nullas habet vires.* ff. leg. 35. de eontrahendi empione, Ergo promissa contrà leges non ligant.

3°. Ratione. Homo est quidem Dominus rerum suarum, sed cum subjectione ad Republikam, proinde nihil potest promittere, nisi juxta leges in Republica vigentes.

Dixi, si quid promittat contra leges resipientes directè bonum commune, promissio erit nulla; quia promittens non potest privatâ authoritate evertere bonum commune.

Sic Clericus promittens se renuntiaturum privilegiis Clericorum, non tenetur stare huic promissio, quia nequit renuntiare huic privilegio communis. Sic promittens se venditrum frumentum hostibus Reipublicæ, non tenetur vendere.

Bene tamen si lex positiva respiciat bonum

privatum promittentis; potest enim renuntiare quilibet suo juri privato.

Sic uxor, quæ promittit se fore dote suâ contentam, nec paterna bona petituram, tenetur stare promissis; modò non faciat præjudicium filiis suis, licet leges civiles ejus promissum rescindant. Idem dicendum de alienatione fundi dotalis, de donatione inter virum & uxorem, inter filium & patrem, de contractu minoris absque curatore, idèm de promissione solvendi pecuniam ceditam ludo

Consecularia hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Promissio de reverentia, vel jure naturali, vel jure positivo, est nulla, & observari non debet; *in malis promissis fidem observari non expedit.* De reg. jur. in 6. reg. 69. & D. Tho. 22. q. 110. a. 3. ad 5. si promisit id quod manifestè est illicitum, promittiendo peccavit, mutando autem propositum, benè facit. Ideò si promiseris falsum testimonium, injustam vexationem, ad nihil teneris. *Quod turpi ex causâ promissum est, veluti, si quis homicidium vel sacrilegium se factum promittat, non valeat.* inst. lib. 3. de inut. fl. ff. 23.

C O N S E C T A R I U M I I. Promissio facta de re impossibili est nulla, quia ad impossibile nemo tenetur. *impossibilium nulla est obligatio.* ff. de reg. jur. 185.

Sic si promiseris aliquid absolutè impossibile, v. g. te volaturum, te numquàm manducaturum, vel aliquid hypotheticè impossibile, v. g. te daturum elemosinas, quas dare

poteras , dum esse dives , quas modò largiri non potes , factus pauper , non ligaris promisso.

C O N S E C T A R I U M III. Promissio , quæ per rerum naturam impleri non potest , veluti si promissa sit res , quæ non existit , nec existere potest , ut hypocentaurus , aut res quæ desit existere , ut jumentum mortuum , aut id quod non est in hominum commercio . Ut habetur lib. 3. Inst. de inut. stip. in prin.

C O N S E C T A R I U M IV. Promissio facta non sponte , sed coacte , non ligat ; etenim qui per vim vel fraudem extorsit promissionem , faciendo alteri injuriam , excidit à jure exigendi , imò & recipiendi quod ei promissum est à promissore , cui vim intulit ; & proindè promissarius tenetur promittentem restituere in statum pristinum , & iste habet jus requiriendi absolutionem à promisso : deinde promissio , juxta leges , debet esse libera , quæ vi metusvè causâ fiunt , carere debent robore firmitatis . cap. ad audientiam De his quæ vi metusvè causâ , &c. & D. Tho. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. obligatio quâ quis obligatur homini , cui aliquid promittit , tollitur per coactionem ; quia ille , qui vim intulit , hoc meretur , ut ei promissum non servetur ; sed si promissionem coactam juramento firmaverit , ne sit perjurus , debet petere dispensationem juramenti , eique debet concedi juramenti dispensatio : etenim qui ad juramentum injustè coëgit , non debet ex juramento emolumendum percipere , ut docet idem doctor ibidem.

C O N S E C T A R I U M V. Promissio facta

sine prævisione circumstantiarum, quæ si fuissent prævisæ, facta non fuisset non ligat in illis circumstantiis non prævisis; quia tuas non censetur libera: de quo ita D. Tho. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant; alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promisit quod habebat in mente, subintellebis debitis conditionibus, nec etiam est infidelis, non implendo quod promisit, quia eadem conditiones non extant; ut si quis, inquit Sylvius, promiserit alicui ensem, & ille postea fiat insanus; se ducere talem, & hæc postea fornicetur; se mittere triticum, & regis prohibitio superveniat, non tenetur solvere promissum.

C O N S E C T A R I U M . VII. Promissio facta à personā inhabili ad promittendum id quod promittitur, est nulla; quia in promissis non est major defectus, quam defectus capacitatis in promittere.

Sic promissio facta à personā, jure naturali incapaci, v. g. ab amente, à furioso, ab infante, est nulla; quia ex jure naturali sunt incapaces obligandi se, lib. 3. tit. 20. inst. de iuri. stip. §. 1. 8. & 9.

Sic promissio dandi pecunias facta ab eo, qui vovit pauperatēm; promissio famulandi facta ab eo, qui vovit obedientiam: promissio facta sponsalium ab eo qui vovit castitatem est nulla: promittens tamē dolosē si damnum pariat promissatio, tenetur reparare; unde Sapientia ait, non spondeas super virtutem tuam; quod si responderis, quasi restituens cogita, Ecclis. 8. v. 16.

Sic juxta Sylvium, qui post emissum simplex votum castitatis aut Religionis, corrumpit Virginem, sub spe matrimonii, non obligatur ad matrimonium, sed debet votum suum implere; quia obligatio voti simplicis major est quam promissio homini facta, etiam iuramento firmata: unde votum simplex dirimit sponsalia, potest enim damaum reparare dotando illam Virginem, aut in decenti alio statu collocando.

CAPUT V.

De Contractibus in particulari, & primo de contractibus quibus transferuntur rerum Dominium.

ARTICULUS I.

De emptione & venditione.

Nota 1^o. Permutatio præcessit emptionem & venditionem; quippe ante moneta-rum inventionem, omnes Contractus fiebant permutationibus; juxta illud juris, origo emendi vendendique à permutationibus cœpit. L. I. ff. de contrahendi emptione. Unusquisque secundum necessitatem temporum, ac rerum, utilibus inutilia permutabat. Ibid. sed inventa monetâ frequentior esse cœpit emptio & venditio, ideo ante permutationem agemus de emptione & venditione.

Nota 2^o. Venditio est Contractus quo traditur res venalis pro justo pretio, seu ut alii dicunt, alienatio rei pro justo pretio.

Emptio est Contractus quo acquiritur res

venalis per justum pretium , vel ut alii dicunt comparatio rei pro justo pretio , si pecuniam dem ut rem accipiam : *emptio & venditio est.* L. 5. §. 1. ff. de *præscriptis verbis.*

Res venalis est res quælibet pretio æstimabilis in commercio hominum posita , sive sit immobilis , ut fundus ; sive mobilis , ut suppellex ; sive corporalis , ut fundus , suppellex ; sive incorporalis ut jus in re & ad rem.

Pretium est certa pecuniaæ quantitas , secundum ejus valorem considerata , quippe *pretium in numeratâ pecuniâ consistere debet.* inst. lib. 3. tit. 24. §. 2. de *emptione & venditione.*

Pretium aliud est legitimum , aliud naturale.

Pretium legitimum est illud quod à Republicâ præscribitur. Pretium hoc consistit in indivisibili , nec augeri potest , nec minui.

Pretium naturale est illud quod pendet ex vulgari hominum æstimatione , hoc pretium consistit in aliquo divisibili , & augeri & minui potest.

Illud pretium habet tres gradus , infimum , medium , & supremum ; emptor non potest descendere infrà infimum , vendor non debet ascendere ultra supremum ; pie uterque ager si sistat in medio.

Sic si modius frumenti veneat vinginti ad summum assibus ; & ad minus quindecim assibus , vigesimus as erit supremum pretium & decimus quintus erit infimum pretium ; As decimus - septimus , erit medium pretium.

§. I.

De his qui possunt vendre & emere.

P R O P O S I T I O unica. Vendentes proprio nomine debent actu habere dominium, vel possessionem rei quæ venditur, & debent posse acquirere dominium, vel possessionem pretii quod rependitur; venditio enim non semper transfert dominium rei, sed aliquando solum possessionem. Ut patet in sure rem fur- tivam vendente.

Ementes proprio nomine debent actu habere dominium pretii, quod rependitur, & debent posse acquirere dominium vel possessionem rei quæ venditur: Nec illis venditio, nec illis emptio debet esse per leges prohibita.

Ementes & vendentes alieno nomine, id est, jussu alterius, uti procuratores, debent solum habere mandatum sibi à vero Domino commissum.

P R O B A T U R R A T I O N E. Cum nemo transferre in alium valeat nisi jus quod habet, cum nemo pariter acquirere possit dominium, vel possessionem cuius est incapax, si emptio & venditio fierent aliter quam exposuimus, emp- tor non posset acquirere dominium, vel pos- sessionem rei quam emit, nec venditor do- minium, vel possessionem pretii quod acci- pit, & ita emptio & venditio suo fine frustra- rentur; & proinde emptio & venditio debent fieri ab his solum, qui juxta leges sunt capaces emendi & vendendi, si proprio contrahant no- mine.

*Consecaria hujus Doctrinae.**De his qui non possunt vendere.*

CONSECARIUM I. Vendere non possunt proprio nomine, nec validè nec licitè, qui hic subjiciuntur.

1º Servi seu mancipia, sine consensu Domini; quia quæcumque habent Domini sunt, & si quid vendant de suo peculio, id faciunt cum clara vel præsumptâ voluntate Domini.

2º. Monachi, sine consensu communitatis; quia nihil habent proprium in particulari, si quidquid possident, nomine communitatis possident.

3º. Prodigi, tales à judice declarati, sine consensu judicis; quia lex eis vetat venditionem.

4º. Pupilli, sine consensu tutoris; quia lex, Contractus omnes pupilli initos sine consensu tutoris, irritos declarat, nisi contraherent in sui commodum.

5º. Minores, sine consensu curatoris bona immobilia & mobilia pretiosa; quia lex pariter illos Contractus initos sine consensu Curatoris irritos declarat; minores tamen possunt sine consensu Tutoris cœtera vendere, putâ fructus qui ex prædiis nascuntur, & jure ea bona vendunt quæ per moram fierent deteriora.

6º. Filii familiæ non possunt vendere ea quorum habent restrictum dominium, etiam cum consensu patris; quia si in tali venditione intervenisset fraus, filius deceptus non ha-

beret actionem in patrem , sicut pupillus Iesus habet actionem in Tutorem ; filii tamen familias possunt vendere ea quorum habent absolutum dominium , v. g. bona castrenia; bona verò adventitia & profectitia , possunt vendere venditione solùm post emancipationem valiturā.

C O N S E C T A R I U M II. Licitè vendere non possunt qui ex metu injusto , ex violentiâ injustâ , ex dolo , ex ignorantia terminata ad substantiam rei adiguntur & coguntur ad vendendum ; quia nequeunt ex dictis contracte : ergò neque vendere ; ideoque qui emunt ab hujusmodi personis , tenentur Contractum rescindere , & rem tali emptione acquisitam reddere.

C O N S E C T A R I U M III. Possessores mala fidei , non possunt licitè vendere rem quam malâ fide possident ; quia cum non sit illius rei Domini , nudam transferunt possessionem his qui bonâ fide credunt acquirere proprietatem.

Sic fures , raptore , non possunt licitè vendere rem furto vel rapinâ acquisitam.

Sic usurarius non potest vendere rem mobilem vel immobilem immedietè per usuram acquisitam ; quia cum fur non sit dominus rei furtivæ , nec usurarius rei usurariæ , non transfert dominium in emptorem , qui tamen bonâ fide credit illud acquirere.

Res verò quas fur & usurarius acquirunt per suam industriam , occasione tamen furti & usuræ ; vendi possunt ; quia fur & usurarius sunt illarum rerum domini , obligati tamen ad restitutionem . Sic si fur aliquid lucretur pecu-

niis furto ablatis, & fundum emat, poterit fundum illum vendere, & fructus quos ex illo percipiet, modò reparet damnum furto suo illatum. Item usurarius poterit vendere possessiones quas usuris comparavit, modò reparet damnum; quia cum res illæ non emanent immediatè à furto vel usurâ sunt illius à quo acquiruntur, & ita ab eo vendi possunt, modò reparetur integrum damnum . . possessiones, inquit D. Iho. quæ de usuris sunt comparatae non sunt eorum quorum sunt usuræ, Sed illorum qui eas emerunt. 2. 2. q. 78. a. 3. ad 2. illud quod acquiritur de pecuniâ usurariâ debetur acquirenti. Notat tamen idem doctoꝝ, quod res emptæ mediatae ex furto & usurâ debent vendi ut fiat restitutio, si aliter fieri nequeat. Et hoc secundum quantitatem usuræ acceptæ.

CONSECTARIUM IV. Possessor bonæ fidei non potest licite vendere absolutè, sed solum manifestando suum dubium; quia cum non sit verus dominus, deciperet emp̄torem.

CONSECTARIUM V. Possessor cum onere restituendi, v. g. hæres fiduciarius, non potest rem sibi fiduciario commissam vendere; quia non est illius dominus. L. 7. C. de rebus alienis, non alienandis.

De his qui non possunt emere.

CONSECTARIUM I. Tutores non possunt emere à pupillis, nec Curatores à minoribus; quia præsumitur deceptio; Tutor rem pupilli emere non potest . . idem porrigen-

CONSECTARIUM II. Procuratores non possunt emere res quarum curam gerunt, si eas emant à veris dominis, qui eis talem curam commiserunt; quia aliás præsumitur deceptio. ibid.

CONSECTARIUM III. Judices & omnes qui juri reddendo incumbunt, non possunt eas lites quas judicaturi erant, emere; quia præsumitur eos uti auctoritate juridicâ ad deceptionem. Ita Regum Galliae edicta.

§. II.

De his quæ emi & vendi possunt.

PROPOSITIO unica. Ea solum emi & vendi possunt, quæ juxta leges acquiri possunt, alia vero nec emi, nec vendi possunt.

Probatur. 1º. Ex jure civili: omnium, inquit, rerum: quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest: venditio rectè fit, quas vero natura, vel gentium jus, vel mores civitatis commercio exuerunt, earum nulla venditio est. L. 34. §. 1. ff. de contrahendâ emptione.

2º. Ratione. Venditio & emptio non alio fine fiunt, quam ut rerum venalium acquiratur dominium, vel saltem possessio: ergo ea solum & emi & vendi possunt quorum dominium, vel saltem possessio acquiriri potest.

consecaria hujus Doctrinae.

De his quæ emi & vendi possunt.

C O N S E C T A R I U M . I. Vendи & emi possunt, quæ hic subjiciuntur. Scilicet, res mobiles, ut suppellestilia, fructus, &c. Res immobiles, ut fundus, v. g. vinea, ager, &c. Res incorporales, ut jus in re & ad rem. Debita; hereditates; res nondum existentes, sed futurae, v. g. fructus futuri, & partus futuri recte emuntur, L. 8. ff. de contrahendâ emptione. Res in spe, ut cum emitur certus piscium captus, vel avium, quia tum spei emptio est. Ibid. Principale & accessorium, res simul congestæ, & res disjunctim sumptæ; quia horum omnium dominium acquiri potest, vel possessio.

De his quæ emi & vendi nequeunt.

C O N S E C T A R I U M I I. Vendи & emi, nec licite, nec valide possunt, quæ hic subjiciuntur. Res quæ non sunt in commercio hominum, v. g. res communes, aër scilicet, & mare; res universitatis, ut viæ publicæ; res spirituales, ut Sacra menta; res spiritualibus Annexæ, ut Beneficia; bona dotalia, etiam consentiente uxore; bona substituta, durante substitutione.

C O N S E C T A R I U M I I I. Licitè vendи non possunt res perniciose, & optimis moribus contrarie, vel ex se, vel ex pravo ementium usu, quando prævidetur pravus

Tem. IV.

O

ille abusus, non quod res venales non sint, cum suum habeant pretium; sed quia sunt perniciosaem entibus Contractus autem debet esse in bonum & non in perniciem contrahentium.

Sic idola non possunt vendi paganis, Sina-gogæ Judæis, libri obsceni proclivibus ad impudicitiam, venena his, qui prævidentur eis abusuri, vel ad homicidia causanda, vel ad abortus procurandos, nec cibi vendendi sunt eis, qui sunt fracturi jejunium, vinum his qui eo sunt inebriandi, arma his qui prælian-tur in bello injusto, pigmenta utentibus ad lasciviam. . fuci vero, aleæ, & taxilli, cartæ lusoriæ, quia his uti possunt homines ob honestum finem, vendi possunt sine peccato iis, qui probabiliter judicantur talibus rebus non abusuri. Ita Sylvius in D. Tho.

§. III.

De modo secundum quem res emi & vendi possunt.

PROPOSITIO unica. Res emi vel vendi possunt absolutè, vel conditionatè, vel in perpetuum, vel ad certum tempus, vel con-junctim, vel disjunctim, modò inter contra-hentes conveniat.

Probatur Ratione. Contractus possunt fieri juxta rationalem voluntatem contrahen-tium: ergo possunt fieri modo supra explica-to; quia prædictæ intentiones rationales sunt & nullis legibus contrariæ.

CONSECTARIUM. I. Venditio abso-

luta & in perpetuum non est illicita , modò fiat justo pretio.

Sic necessariò & semper apud omnes res consistentes in solo usu , qualia sunt vinum , strumentum , oleum , venduntur absolutè ; quia hæc , ut potè ipso usu consumenda , non possunt vendi ad certum tempus .

Sic aliquandò & pro libito contrahentium res non consistentes in solo usu , quales sunt , fundus , supplex , jus in re , & ad rem , venduntur absolutè ; quia ita placet contrahentibus .

C O N S E C T A R I U M . II. Venditio conditionata & ad certum tempus , non est illicita , modò fiat justo pretio .

Sic apud Iudeos venditio fundi ruralis erat conditionata ex præscripto legis Mosaïcæ , ut perennis esset in tribu & familia quælibet possessio fundi , quem Deus dederat . *Cuncta , inquit Deus per Moysen , regio possessionis vestrae sub redemptionis conditione vendetur . Levit cap. 25. v. 24.*

Ut autem venditio ad certum tempus sit licita , res vendita easdem debet subire vices tot o illo tempore quo vendita manet , quas subit proportionaliter res absolutè vendita ; quia hoc facit venditio conditionalis pro certo tempore , quod in perpetuum facit venditio absoluta ; & ita sicut res vendita absolutè fructificat , & perit perpetuò emptori , ita res vendita conditionatè , debet pro illo tempore perire , & fructificare emptori .

C O N S E C T A R I U M . III. Res acervatim congestæ possunt vendi , vel in universum vel in singula .

Sic cum totum vinum , totum frumentum , grex integer venditur , venditio in universum vocatur

Sic cum certæ mensuræ vini , frumenti , venduntur , certa capita gregis , venditio in singula dicitur . Emptio facta in universum compleetur post conventum pretium . Emptio facta in singula non compleetur , nisi cum vendita , annumerata , appensa & admensa sunt . Ut dicitur . L. 35. ff. §. 5. de contrahendâ emptione .

CONSECTARIUM IV. Principale & accessorium possunt vendi , sed diversimodè ; vendito principali accessorium censetur vendi , sed vendito accessorio non censetur vendi principale , quia accessorium sequitur naturam principalis ; minimè verò principale naturam accessoriij .

Sic cum immobilia venduntur ; simul etiam cum eis venduntur , quæ eis sunt annexa , nisi expressè ex venditione distrahan- tur , v. g. vendito fundo , fructus pendentes censentur venditi , juxta illud : *Fructus penden- tes , pars fundi videntur.* L. 44. ff. de rei ven- ditione .

Vendito ædificio , res inservientes ædificio venditæ censentur , nisi expressè distrahantur v. g. claves , portæ , fenestrae , ut docet jus civile . *Labeo generaliter scribit ea , quæ perpe- tui usus causâ in ædificiis sunt , ædificii esse.* Ut dicitur . L. 17. §. 7. ff. de actionibus emptionis & venditionis .

Sic cum mobilia venduntur , venduntur omnia , quæ eis erant annexa , dum expone- rentur venditioni , v. g. si equus exponatur

venditioni cum suis ornamentis , dum vendit
ur equus , venduntur & ornamenta , ut dici-
tur . L. 38. de ædilicio edicto .

CONSECTARIUM . V. Venditio co-
acta & renitente irrationaliter Domino
non est illicita , modò fiat authoritate juri-
dicā ; quia possunt contingere casus , in quibus
æquitas exigit rem vendi invito Domino , &
eius resistentia est irrationalis , cum sit contra
legem .

Sic fundus necessarius publico ædificio potest
vendi authoritate judicis renitente possessore .
L. 13. ff. de communi prædio . Idem jubet Phi-
lippi edictum anno 1303 .

Sic penurie tempore q̄di habent annonam
inviti coguntur eam vendere . Ut statuitur . L.
2. ff. de lege julia de annonā . Ibi enim pœna sta-
tuitur adversus eum , qui contra annonam fece-
rit , societatem vè coierit , quo annona fiat
carior .

Sic cum via publica , vel fluminis impetu , vel rui-
nā amissa est ; vicinus proximus viam præstare de-
bet , L. 14. ff. quemadmodum servitutes amis-
tuntur .

Sic bona debitorum authoritate judicis
venduntur sub hastâ ad satisfaciendum cre-
ditoribus .

Sic bona , quæ dividi non possunt , v. g.
domus exigua , munus venale , magistratura ,
si ad plures pertineant , venduntur , ut cuilibet
jus habenti , pro rata sui juris pretium di-
vidatur .

§. I V.

De pretio.

P R O P O S I T I O I. Major vel minor rei dignitas non est mensura pretii rerum , sed communis hominum æstimatio , seu quod idem est , pretia rerum , non secundum ipsarum naturam æstimanda sunt , sed quatenus veniunt in usus humanos , & quatenus æstimantur in foro publico : itaque pretium justum erit , quod vel à potestate publicâ est præscriptum , vel communi hominum æstimatione determinatum .

Probatur. 1º. Authoritate Aug. Res viventes sunt præstantiores , quām res inanimatæ , tamen ut ait Augustinus lib. II. cap. 16. de civitate Dei. *Mallet homo frumentum domi habere quam mures.* Ergò pretium rerum non debet ex earum naturâ , sed ex ipsarum usu & æstimatione hominum pensari .

2º. Ratione. Cum omnia , quæ in mundo sunt , propter hominem facta sint , juxta prudens judicium tanti æstimari debent , quantum hominibus inserviunt , vel ad eorum vitam fovendam , uti sunt victus & vestitus ; vel ad honestam voluptatem procurandam , uti viridaria , concentus , &c. vel ad ejus dignitatem ostendendam , uti magistratus , munera publica , &c. ergò pretium rerum desumi debet , vel à potestate publicâ determinante , vel à prudentium hominum æstimatione .

Consecrarium hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Res viventes, licet præstantiores rebus non viventibus, non tamen pluris vendi debent, sed res tum animatæ, tum inanimatæ vendi debent juxta utilitatem, quam homini conferunt juxta prudentium æstimationem; quia hæc sola est mensura pretii.

Sic domus licet inanimis, pluris vendi solet, quam equus, licet animatus; quia domus est equo utilior.

Sic nonnunquam equus venire pluris potest quam mancipium; quia licet homo sit omnibus rebus corporalibus præstantior, tamen equus potest esse mancipio utilius.

C O N S E C T A R I U M II. Ad explorandum justum pretium, multa attendenda sunt. Sed omnia habitâ ratione usûs hominum æstimatione prudentium pensanda sunt, v. g. attendenda sunt hæc omnia, major vel minor rei venalis utilitas, major vel minor rei venalis copia, major vel minor emptorum & venditorum frequentia; quia hæc omnia efficiunt ut res vel pluris vel minoris æstimentur. Sic major rei venalis utilitas auget pretium, minor verò utilitas minuit pretium; quia reddit eam usui humano magis accommodatam, v. g. vinum est carius aquâ, quia est rarius & utilius. Sic penuria rei venalis auget pretium; quia reddit rem magis utilem, abundantia verò minuit, quia reddit rem minus utilem. & ita triticum pluris venditur, quando est raritas frumenti, minoris, quando est

abundantia, & ita tempore belli pluris venduntur equi & arma, quam tempore pacis; hoc provenit, vel ex pluralitate emptorum, vel ex eo quod equi tunc sunt magis necessarii. Sic venditorum atque emptorum frequentia minuit pretium, vel auger; quia facit res vel magis, vel minus utiles, v. g. ubi sunt multi emptores, & pauci venditores res emuntur carius; si sint multi venditores & pauci emptores, res venduntur vilius.

P R O P O S I T I O I I Peccat & ad restitutionem tenetur qui sine causâ pretio æstimabili rem pluris justo pretio vendit, aut minoris justo pretio emit; non peccat tamen, nec ad restitutionem tenetur, si id faciat cum causâ pretio æstimabili, v. g. ob lucrum cessans, vel ob damnum emergens.

Probatur. 1º. Scripturâ. *Quando vendes quidpiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum jubilæi, emes ab eo;* & juxta supputationem frugum vendet tibi. *Levit. 25. v. 14.* quo denotatur res esse vendendas, & emendas justo pretio.

2º. Ratione D. Thomæ. *Quod pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius,* & ideo debet secundum æqualitatem rei inter eos Contractus institui. *Quantitas autem rei, quæ in usum hominis venit, mensuratur secundum premium datum ...* & ideo si vel premium excedat quantitatem valoris rei, vel res excedat premium, tolletur iustitiae æqualitas, & ideo carius emere, vel vendere, em vilius, quam vagat, est secundum se injustum & illicitum, &

proinde obligans ad restitutionem 2.2. q. 77. a. 1. & ideo D. Tho. addit. & tenetur ille, qui plus habet, recompensare ei, qui damnificatus est, si sit notabile damnum. Ibi dem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Non licet rem pluris vendere ob commodum, quod emptori accedit, si nullum inde detrimentum venditor accipiat; Quia haec causa non est pretio æstimanda à venditore. Ita D. Tho. *utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex venditione, sed ex conditione ementis; nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum, licet possit ei vendere damnum, quod patitur: ille tamen qui ex re alterius multum juvatur, potest propriâ sponte, aliquid vendenti supererogare, quod pertinet ad ejus honestatem.* 2. 2. q. 77. a. 1.

Sic equus non potest vendi pluris justo pretio, ex eo quod sit maximè necessarius emptori, qui longum iter inire cogitur.

Sic pharmacum non potest pluris justo pretio vendi, ex eo quod sit maximè necessarium emptori graviter ægrotanti.

C O N S E C T A R I U M I I. Licet rem pluris solito vendere ob damnum, quod venditor patitur, ex eo quod privet se re, quam vendit, ad eò ut non solum res æstimari possit, quanta in se sit, sed etiam quanti venditori valebat; quia haec causa pretio est æstimabilis à venditore; unusquisque enim potest vendere quod suum est: adde quod nemo tenetur propriam rerum jacturam pati, ut alteri rem grata faciat. Ita D. Tho. ibid. *alio modo loqui*

possimus de emptione & venditione , secundum quod per accidens cedit in utilitatem unius , & detrimentum alterius ; putà cum aliquis multùm indiget habere rem aliquam , & alius lèditur , si eâ careat . Et in tali casu justum pretium erit , ut non solum respiciatur ad rem , quæ venditur , sed ad damnum , quod venditor ex venditione incurrit . Et sic licet poterit aliquid vendi pluris , quam valeat secundum se , quamvis non pluris valeat habentî , præcipue si rogetur ad vendendum & gratum faciat emptori .

Sic si fundus absolutè in se valeat centum nummos , sed mihi , quia volo hic aut domum construere aut aliquid aliud moliri , valeat nedum centum , sed etiam viginti supra , possum eo pretio , scilicet viginti supra centum , vendere .

Sic qui habet frumentum mense Octobri , quod non vult vendere nisi mense Maio , potest dare frumentum mense Octobri , & tamen illud vendere eo pretio , quo aestimabitur mense Maio , quia damnum illud , quod patitur est pretio aestimabile ; debet tamen aliquid minuere de pretio , ob varios casus quibus frumentum diu servatum minuitur .

CONSECTARIUM III Non licet infra justum pretium rem mobilem vel immobilem , v. g. agrum , vineam , sappelle &tilia , ob inopiam & necessitatem vendentis emere ; quia inopia non debet esse motivum nocendi proximo , sed ei potius opitulandi . Si quis alicui in necessitate constituto , inquit D. Tho. venderet rem aliquam multò amplioris quam valeret , idem dic , si emeret vilioris , esset injusta venditio , sicut usuarii mutuaio est injusta

D. Thom. . . de malo q. 13. a. 4. ad 7.

CONSECTARIUM. IV. in foro interiore & conscientiae quodlibet damnum illatum reparandum est, adducendo res ad accuratam & rigidam æqualitatem. In foro vero exteriori venditiones & emptiones tunc tantum rescinduntur, quando sunt infra dimidium justi pretii, alioquin quod deest justo pretio rependendum est. Ita D. Thom. *Lex humana populo datur, in quo sunt multi à veritate deficientes; Et ideo lex humana non potuit prohibere, quidquid est contra viriutem, sed ei suffici, ut probibeat ea, quæ destruunt hominum convictum, alia vero habeat quasi licita: non quia ea approbet, sed quia ea non punit. Sic ergo, ea lex, habet quasi licitum, pœnam non inducens, subsque fraude venditor rem suam supervendat, aut emptor vilius emat, nisi sit nimius excessus; quia tunc etiam lex humana cogit ad restituendum: putà si aliquis sit deceptus ultra dimidiam justi pretii quantitatem. Sed lex divina nihil impunium relinquit, quod sit virtuti contrarium, unde secundum agem divinam illatum putatur, si in emptione & venditione non sit æqualitas justitiae observata.* Hanc decisionem ita explicat Sylvius. in 2. 2 q. 77. ar. 1. ad 1.

Licet leges civiles rescindant tantum emptionem & venditionem, quando pretium excedit dimidium justi pretii, tamen in foro interiori non licet emere, vel vendere injusto pretio, etiam infra dimidium justi pretii, v.g. si ager valeat centum libras, non licet centum & triginta, vel centum & quadraginta vendere, licet non excedatur dimidium justi pretii. 1°. Quia in tali conventione non ser-

vatur æqualitas. 2^o. Quia conservare justitiam est de necessitate salutis , ideoque per leges civiles talis obligatio solvi non potest. 3^o. Leges civiles non approbant hujuscemodi conventiones , sed non improbando tolerant. Si verò non permittant recissionem vel actiones contra fraudatores , idē quia non possunt omnibus casibus providere. Hoc item tolerant in odium litium , quia alioquin valde implacentur , eisque satisfacere judicem esset impossibile.

S. V.

Quomodo emptores & venditores debeant se gerere in actuali emptione & venditione.

PROPOSITIO unica. Dum sit emptio & venditio, contrahentes non debent se mutuis dolis decipere , sed mutuo commercio juvare, venditor tradendo rem venalem emptori utilem & non noxiam , emptor tradendo monetam probatam & non fucatam.

Probatur. 1^o. Scripturā. *Nemo circumveniat in negotio fratrem suum ; quoniam vindicta est Dominus.* 1^a. ad Thessal. cap. 4 v. 16.

2^o. Ex Ambrosio. *Regula iustitiae manifesta est , quod à vero declinare virum non deceat bonum , nec damno injusto alicere quemquam , nec doli aliquid annexere.* lib. 3. de offic. cap. 21.

3^o. Ratione. Venditio & emptio excogitata sunt , ut homines mutuo se juvent commercio ; ergo iniquum est quod se decipient.

Consectaria

*Conjectaria hujus Doctrinae.**De obligatione manifestandi vitium rei venalis.*

CONSECTARIUM. I. Venditor sciens rei vendendæ vitium occultum & damnosum emptori, tenetur illud manifestare, etiam si non interrogetur ab emptore, quia tenetur ex justitia non ponere causam damni, ita docet D. Thom. si hujusmodi vitia sunt occulta, & ipse non detegat, erit illicita & dolosa venditio, & tenetur venditor ad damni recompensationem. 2. 2. q. 77. a. 3. idem habet Jus civile. Vendens enim animal non patescens vitium latens tenetur redhibitoria. L. i. §. 8. ff. de adulicio edicto. Et ibid. §. 1. dicitur certiores faciant emptores, quid morbi viliū unicuique sit.

Sic, si malā fide vendatur equus furiosus, domus ruinosa, pharmacum noxiū, morbiū pecus, lignum putridum, debita incerta, venditor dāmna suo silentio secuta tenetur reddere, vel rescindere contractum, si emptor voluerit, vel si id emptor non exigat, venditor tenetur restituere quanti minoris res valebat cum tali vitio.

Sic, si bonā fide vendatur res vitiosa, tenetur venditor cognito vitio, partem pretiū restituere pro rata vitiū gravitate, vel levitate, sed non tenetur reparare dāmna secuta, quia fuit causa non rea, sed innocens dāmna secuti. De quo ita Jus civile. *Si quidem ignorabat venditor illius rei, nomine teneri, si sciebat, etiam dāmni quod ex eo contigit.* L.

45. ff. de centrahendā emptione.

Sic si Architectus vendat aut adhibeat vitiosa ligna tenetur ad ædium corruentium restitutionem , quia ex officio tenetur scire vitium rei quam vendit.

Sic, si pastor pecora contagiosa vendat tenetur ad gregis mortui ex contagione , pretium persolvendum , quia tenetur scire id quod vendit.

Sic , si bonâ fide vendatur res furtiva ab eo, qui eam bonâ fide emit à fure , hoc ipso quod patet rem esse furtivam , venditor, ut dictum est , tenetur pretium emptori restituere , & rem à se venditam vero Domino reddere .. tenetur reddere pretium , quia non acquisivit ejus dominium , tenetur rem reddere Domino , quia res Domino clamat , nec potest pretium datum furi à Domino rei eruptæ exigere , ut habetur. L. incivilem. C. de furtis. Incivilem rem desideratis , inquit , ut agnitas res furtivas non prius reddatis , quam pretium fuerit solutum à Dominis. Curate igitur cauius negotiari . ne non tantum in damna hujusmodi , sed etiam in criminis suspicionem incidatis

CONSECTARIUM II. Venditor de rei vendendæ vitiis, etiam non damnosis interrogatus, vel in genere , vel in specie , expresse , aut tacite , tenetur ea manifestare , quia si tunc ea occultaret , dolus daret causam contractui: juxta illud juris. Veteribus placet pactionem obscuram vel ambiguam, venditori & qui locavit nocere : in quorum fuit potestate , legem aperiens conscribere. L. 39. ff. de Pactis. Exemplum habemus ejus bonæ fidei , quæ in

Contractibus vigere debet, inquit Ambrosius, in Raguele, à quo cum Tobias peteret filiam Saram in conjugem, Raguel nihil eorum tacuit quæ filiæ contigerant.

CONSECTARIUM III. Venditor sciens vitium occultum rei venalis, sed non damnum, nec periculosum emptori, quodque vitium non reddit notabiliter rem venalem minus utilem ad eum usum ad quem emitur, non tenetur etiā interrogatus manifestare vitium, sed sufficit si diminuat pretium rei quæ venditur, quia potest quilibet suis commodis consulere, quando nulli fit præjudicium, ut contingit in proposito.

Si tamen interrogetur, vel prævideat rem alteri venum iri dolosè, tenetur aperire; quia nullo in casu licet, vel mentiri vel dare occasionem damni.

CONSECTARIUM IV. Venditor non tenetur rei venalis vitium manifestum emptori semper aperire, nisi emptor esset rudis & ignarus, nec peccat, modo propter illud vitium subtrahat de pretio quantum oportet, quia nullo modo videtur emptorem decipere, non occultando vitium, cum penes emptorem sit illud cognoscere, non excedendo in pretio, cum pro modo vitii pretium minuat, ita D. Thom. si vitium sit manifestum, puta cum equus est monoculus, vel cum usus rei etsi non competit venditori, potest tamen esse conveniens aliis, & si ipse propter hujusmodi vitium subtrahat, quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei. Ibid. a. 3.

CONSECTARIUM V. Mercator prænoscens vel casu, vel industriâ suâ futuram

magnam copiam mercium, cāque ratione pre-
tium mercium minuendum , reticendo id
quod casu vel suā industriā cognovit , potest
suas merces pretio p̄senti vendere , modò
fraude aut dolo non impediat ne innotescat
copia mercium superventura , & modo uni
soli non venderet omnes suas merces , qui
eas merces servaret cum ingenti suo damno ,
& cogeretur eas revendere longe inferiori
pretio , nemo enim tenetur sortitos casus
alteri aperire , deinde p̄sens pretium est
justum. Sic Joseph. Gen. 41. cum p̄vidis-
set famem futuram in totā Ægypto , frumen-
ta emit vili pretio tunc communi , ut postea
idem frumentum carius venderet. Dixi modò
non interveniat fraus , quia nemini fraus sua
patrocinatur.

§. V I.

De obligatione vitandi dolum.

P R O P O S I T I O unica. Emptor & vendi-
tor debent omnem omnino fraudem & dolum
abjecere , & bona fide contrahere.

Probatur. 1º. Scripturā. Nihil est à quo
scriptura frequentius homines abhortetur
quām à dolo & fraudibus in contrahendo , sic
enim habes Levit. 19. v. 35, *nolite facere ini-*
quum aliquid in iudicio, in regulā, in pondere.
& mensurā: statera justa, & aqua pondera
sint, justus modius, & equus sextarius. Ego
Dominus. Et Isaías. 1. v. 22. argentum tuum
versum est in scoriam & vinum tuum mixtum est
aqua. Et demum Paulus ad Thess. 4. v. 6. sic

habet. Ne quis supergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem suum. Ergo emptor & venditor, omnem fraudem vitare, & bonâ fide contrahere debent.

2º. Ratione. In omni contractu debet bona fides abundare. Ergo à fortiori in emptione, & venditione, quibus contractibus nihil usitatus & magis necessarium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccat venditor & tenetur ad restitutionem, si in venditione decipiatur emptorem, vel in *substancia* rei venalis, v. g. dans aquam pro vino, auriculum pro auro, vitrum pro gemma; vel in *qualitate* dans animal infirmum pro sano; carnes corruptas pro incorruptis & integris, aromata antiquata pro recentibus; *vel in pondere* & *in mensurâ*, dans, v. g. minus modio pro modio, minus librâ, pro librâ. Quia in his singulis casibus decipit emptorem, eique damnum affert, quod tenetur reparare.

CONSECTARIUM II. Peccat emptor & tenetur ad restitutionem, si decipiatur venditorem, vel in *substanciali*, vel in *pondere*, vel in *quantitate* monetæ quam tradit pro pretio rei quam accepit à venditore. In *qualitate*, si tradat monetam veri metalli, & æqui ponderis sed falsam quo ad formam, non cuſam, scilicet, regiâ notâ. Contrarium exemplum habemus in Abrahamo emente agrum in sepulturam Saræ uxoris suæ. Appendit enim pecuniam, quam Ephron postulaverat, audentibus filiis Heib, quadringentos siclos ar-

CONSECTARIUM III. Peccant em-
ptor & venditor cum subornant & interpo-
nunt personis, quæ subdolosis & fictis condi-
tionibus efficiunt ut res væneant, vel infra,
vel ultra debitum pretium, quia fraus omnis
à contractibus exulare debet, ita D. Thom.

2. 2. q. 77. a. 1. *fraudem adhibere ad hoc quod*
aliquid plus justo pretio vendatur, omnino
peccatum est, in quantum alius decipit pro-
ximum in damnum ipsius. Unde Tullius di-
cit. lib. 3. de officiis. *Tollendum est ex rebus*
contrahendis omne mendacium. Non licetorem
venditor, nec qui contra se licetetur, emptor
opponat.

CONSECTARIUM IV. Peccant mono-
polium privatæ autoritate exercentes, &
toties ad restitutionem tenentur, quoties
damnum inferunt. Ita ius civile. Si quis au-
tem monopolium ausus fuerit exercere, bonis
propriis spoliatus perpetuitate damnatur exilio.
lib. 4. C. tit. 59. de monopolio. L. unica.

1°. Peccant contra justitiam legalem, quia
lex prohibet monopolium.

2°. Peccant contra charitatem, quia
non faciunt proximo quod sibi vellent fieri.

3°. Peccant contra justitiam commutati-
vam si excedant justum & vulgare pretium.

Monopolium autem privatum sit pluribus
modis.

1°. Quando mercatores conspirant, ut
nullus eorum emat supra certum pretium,
quod ipsi net statuunt, neque ullus vendat
infra pretium de quo inter ipsos convenit

2º. Quando unus vel plures emunt omnes merces unius generis ut postea soli vendant certo pretio.

3º. Quando unus vel plures impediunt ne aliae merces advehantur, atque ita suas vendant,

4º. Quando artifices conspirant ne opus inceptum ab uno & ab illo derelictum ab aliquo alio perficiatur.

5º. Qui artem Reipublicæ necessariam, etiam si serventur indemnes, nolunt alios docere, nisi ea conditione, ut non communicetur aliis. Ita Sylvius.

Monopolium auctoritate publicâ est illud quod exercetur auctoritate legitimi superioris, & illud monopolium est justum, si fiat ob causas Reipublicæ utiles. Quia expedit Reipublicæ ut passim ab omnibus non vendantur certæ quedam merces.

S. VII.

P R O P O S I T I O unica. Contractus emptionis & venditionis censemur perfectus & completus, statim atque de pretio, ejusque quantitate, reque tradenda inter partes convenierit, nisi aliter ex mutuo consensu contrahentes disposuerint, aut usus aliter statuat.

Probatur 1º. Ex jure civili. *Emptio & venditio*, inquit Justinianus, *contrahitur, simulata que de pretio convenerit, quamvis nondum premium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit.* lib. 3. inst. tit. 24.

2º. Ratione. Emptio & venditio est de numero illorum contractum, qui solo consensu

perficiuntur : ergo perficiuntur ex solo consensu , nisi aut conventione aliter cautum sit , aut usu aliter statuatur.

Consectaria bujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Emptiones & venditiones , quæ scripturâ conficiuntur, non censentur completæ nisi instrumenta emptionis fuerint conscripta , vel manu propria contrahentium , vel ab alio quidem scripta ; & si per tabellionem sunt , nisi & completiones acceperint & fuerint partibus absoluta: donec enim aliquid deest ex his , pœnitentiæ locus est , & potest emptor & venditor recedere ab emptione & venditione sine pœna... Emptor tamen perdit quod dedit , venditor vero duplum restituere compellitur. Ita Justi. ibid. Consensus enim non censetur plenus , nisi hæc omnia accesserint.

CONSECTARIUM II. Licet res vendita non fuerit tradita , nec pretium acceptum , tamen in utroque contrahente certæ quedam oriuntur obligationes à quibus non possunt citra peccatum se eximere. 1º Neutra pars potest invitâ alterâ contractum illum rescindere , ut habetur L. 5. C. De obligationibus & actionibus. 2º. Periculum & commodum rei venditæ transit ad emptorem , ut habetur ff. L. 8. De periculo & commodo rei venditæ. 3º. Demum emptor & venditor debent initis conventionibus stare , quod magis constabit ex Paragrapho sequenti.

§. VIII.

De his ad quæ teneatur emptor & venditor completo Contractu.

PROPOSITIO unica. Completo contractu emptionis & venditionis contrahentes debent mutuo sibi promissa exequi , venditor rem venditam tradendo , emptor vero justum pretium aut dando aut assecurando , qui pacto non steterit peccat , & tenetur ad restitutionem damni.

Probatur 1°. Ex jure civili *Et in primis ipsam rem præstare venditorem oportet : hoc est tradere.* L. II. §. 2. ff. *De actionibus emptionis & venditionis.* *Quod vendidi non aliter sit accipientis : quam si aut premium nobis solutum sit , aut satis eo nomine factum.* L. 19. ff. *De contrahendâ emptione.*

2°. Ratione. Emptio & venditio non sit nisi eo fine ut emptor rem emptam possideat , & venditor promissum premium assequatur : ergo ille debet rem tradere , iste vero pecuniam vel tradere , vel securam præstare.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Præfanda à venditore.

CONSECTARIUM I. Venditor debet omnia quæ sequuntur fideliter exequi .

1°. Rem venditam tradere ut supra dictum est. 2°. Debet tradere talem qualēm vendendam proposuit , & si non tradiderit talem te-

netur ad evictionem, id est tenetur rem à se venditam coram judice tueri, si quis occasione illius litem emptori intentaverit. 3°. Debet tradere loco & tempore condicto. Juxta illud. *Is*, qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quam in quo promisit, solvere invito stipulatore potest. L. 9. ff. De eo qui certo loco. Si de loco, de tempore non conventum fuerit, tenetur statim tradere eo in loco ubi facta fuit conventio. Juxta illud juris. *Quoties in obligationibus dies non ponitur, praesentii die pecunia debetur*. L. 4. ff. de verborum obligationibus. Et rursus. *Ibi dari debet, ubi est, quod legatur*. L. 33. de judiciis. Idem dic de re quæ venditur. 4°. Si venditor non tradat rem debitam loco & tempore condicto tenetur restituere damnum juxta probabile nocuimentum quod contrahenti contulit. Juxta illud. *Si res vendita non tradatur, in id, quod interest emptoris agitur*. L. 1. ff. De actionibus emptionis & venditionis. Damnum autem illatum emptori debet pensari, non ex eo solum quod ipse venditor acquisivit, sed ex eo quod emptor acquisitus fuisset. L. 31. ff. De actionibus emptionis & venditionis. v. g. tenetur restituere structus, quos percepisset ex fundo. Si emptor, v. g. coactus est emere frumentum ingenti pretio, venditor reparare illud damnum tenetur. Si autem venditor non tradat rem venditam ex justâ causâ, puta quia periculum est ne pretium statutum non solvatur, potest rem venditam in pignus retinere & tunc ad nihil tenetur, ut docet jus civile. *Venditor pignoris loco, quod vendidit, retinet, quo ad emptor sati faciat*. L. 31. ff. §. 8. De ædilicio edicto.

5^o. Venditor, ut bonus pater-familias debet rem venditam quandiu retinet curare, quia non alio fine in manibus ejus relinquitur. Ita jubet jus civile. *Talis custodia desideranda est in venditore, qualem bonus pater-familias suis rebus adhibet.* L. 35. §. 4. ff. *De contrahendâ emptione.*

Sic, si venditoris incuria res empta perierit tenebitur venditor restituere, nisi conventum fuerit venditorem teneri tantum ex dolo, aut nisi emptoris mota aut culpa causa fuerit rem venditam traditam non fuisse. Juxta illud. *Dolum, & culpam recipiunt, mandatum pignore acceptum, locatum, commodatum, & venditum.* L. 23. ff. *De regulis juris.*

De modis quibus fit traditio à venditore.

CONSECTARIUM II. Toties res vendita, tradita censebitur, quoties non censetur amplius sub custodiâ venditoris, & ita traditur sequentibus modis.

Mobilia traduntur. 1^o. Translatione. Ut si frumentum quod emisti in eum quem indicasti locum translatum fuerit. 2^o. Clavis datione, ut si quis merces in horreo depositas vendiderit simul, atque claves horrei tradiderit emptori. L. 2. Inst. *De rerum divisione.* §. 45. 3^o. Solo externo consensu, ut si rem tibi locatam, commodatam, aut apud te depositam vendidero, vel rem translatu difficultem, qualis est columna marmorea, tibi venditam declarerem. L. 18. §. 2. ff. *De acquisitione vel rerum possessione.*

Immobilia traduntur. 1^o. Liberâ possessio-

ne, ut si libertè permittam te possidere fundum meum tibi à me venditum. 2°. Instrumentorum traditione quibus constat ad me pertinere fundum quem tibi vendidi 3°. Publico contractu, aut intuitu rei quam tibi vendidi, ut si duxerim te in fundum tibi à me venditum, & declarem fundum illum jam tuum esse.

Incorporalia traduntur. 1°. Cessione, ut si cedam alteri jus quod mihi debetur. 2°. Patientia, ut permittam te uti servitute quam tibi vendidi.

Præstanda ab emptore.

C O N S E C T A R I U M III. Emptor debet omnia quæ sequuntur exequi. 1°. Debet pretium condicium, aut æquivalens, venditori tradere, quia non sicut alium finem res venditur, nisi ut ejus pretium obtineatur. Unde ait jus civile. *Quod venditur, non aliter sit accipientis, quam si aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum.* L. 19. ff. *De contrahendâ emptione & venditione.*

2°. Debet pretium statutum loco & tempore condicis tradere, quia res tali conditione vendita est.

3°. Si emptor ex culpâ pretium statutum non tradiderit, tenebitur damnum reparare, quod damnum emergens, ubiclarè non constituerit, pensatur secundum interesse prescriptum à principe, juxta illud: *Venditori, si emptor in pretio solvendo moram fecerit, usuras dumtaxat præstabit, non omne omnino quod vendor morâ non factâ consequi potuit.* L. ult. ff.

ff. De periculo & commodo rei venditæ. Ubi vero cl. r. c. constiterit, tenebitur emptor omne damnum ex morâ culpabili reparare.

4°. Emptor debet solvere usuras ob dilatam solutionem. 1°. Si ita cum causâ conventum sit, supposito titulo damni emergentis vel lucti cessantis. 2°. Si venditor solutionem coram judge, cum justo titulo exegerit. 3°. Si res empta sit frugifera v. g. ager, animal, vinea, &c. Quia in illis casibus venditor damnum patitur.

5°. Si emptor ex morâ, vel culpâ suâ rememptam apud se non recipiat, condicto loco & tempore; si ea perierit, petet emptori, quia res Domino perit. Si res fuerit empta cum pacto retro venditionis, si incuria emptoris res empta vel perierit, vel deterior facta fuerit, tenebitur eam reparare. Quia res vendita sub pacto retrovenditionis est quasi sub custodia acquirentis, & proinde tenetur eam reparare, si ex incuria deterior fiat.

§. IX.

De rescissione venditionis.

PROPOSITIO unica. Toties rescindi potest, venditio, quoties facta fuerit non servatis conditionibus contractus, & si non rescinderetur, non servaretur rationalis intentio emptoris & venditoris.

Probatur ex dictis. Toties contractus rescindi possunt, quoties non observatae sunt conditiones contractus, & si persisterent, non servaretur rationalis intentio contrahentium.

Tem. IV.

Q

Ergo toties debet rescindi emptio & venditio, quoties non observatae sunt conditiones contractus.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Venditio rescindenda est si non tradatur à venditore res vendita, vel pretium rei venditæ ab emptore loco condicto, & tempore condicto. Juxta illud; *Non impletâ promissi fide, dominij tui jus in suam causam reverti conveniat.* L. 6. C. De Pactis inter emptorem & venditorem compo-sitis.

CONSECTARIUM II. Venditio rescindi debet. 1º. Si vitium non patens, sed occultum, non tenue, sed insigne & emptori periculosum, usumque rei venditæ impediens occultatum fuerit. Juxta illud. *Si quid tale fuerit, viiiii, sive morbi; quod usum ministrumque hominis impedit, id dabit redhibitio-ni locum.* L. 1. §. 8. ff. De ædilicio editio.

Sic, si fundi pestilens exhalatio, si servitus incommoda occultata fuerit, rescissio habebat locum. Sed si res fuerit vendita bona fide, propter minimam causam inempia fieri non debet; ut dicitur. L. 54. ff. De contrabendâ em-pozione.

2º. Quando duo connexa vaneunt. v. g. ju-menta paria, si alterum sit inutile potest venditio rescindi quoad singula, quia jumenta non separantur ut dicitur. L. 38. ff. §. ult. De ædilicio editio.

3º. Si res fuerit vendita cum pacto retro-venditionis, modò intra tempus præscriptum

redimatur, venditio rescinditur, si pretium acceptum restituatur, quia ea conditione facta est emptio & venditio.

4°. Rescissio venditionis sine ullam causâ potest fieri mutuo partium consensu, ut dictum est, etenim quod consensu contractum est, contraire voluntatis adminiculo dissolvitur. L. 1. C. Lib. 4. Tit. 45.

5°. Cum sit redhibitio aut rescissio venditionis, oportet ut omnia in integrum restituantur, perinde ac si neque emptio, neque venditio intercessit. Ut dicitur. L. 60. ff. De ædilicio editio. Er ita emptor reddet fructus rei emptæ, venditor pretium, & lucrum ex pretio perceptum.

M O N I T U M. I. Venditio vel emptio quæ sit authoritate publicâ non potest rescindi si forma juris observetur: quia hæc venditio censetur semper justa, & rationalis. Juxta illud juris. *Dictum illud non pertinet ad venditiones fiscales.* L. 1. ff. ibid.

M O N I T U M II. Quando rescissio commodè fieri non potest & emptor aut venditor deceptus est, runc per jus aliud offertur supplementum, scilicet *actio quanti minoris*, quâ sit ut pretium & res vendita ad justam æquitatem reducantur & damnum quod alter contrahentium patitur reparetur.

§. X.

De Jure retractus.

Nota. Jus retractus est jus, quod habet aliquis, ut præferatur emptori, ratione con-

Q ij

PROPOSITIO unica. Jure retractus potest res vendita retrahi è manu emptoris , in-vito emptore & venditore

Probatur Ratione. Totiès res vendita potest retrahi è manu emptoris , quotiès id legibus permittitur ; quia contractus debent juxta leges iniri. Atqui legibus permittitur ut jure retractus res vendita possit retrahi à manu emptoris , per consanguineos venditoris ; ut bona familias in eâ familiâ permaneant. Ergo jure retractus res vendita potest retrahi è manu emptoris.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Ex parte rerum , quæ res possint retrahi & quæ non possint retrahi. Res tantum immobiles possunt retrahi ; his adjunguntur annui redditus , census , pensiones perpetuae , ususfructus venditus , modò hæ res sint de genere & familiâ & de majorum bonis , & non recentè acquisitæ à venditore. Ità Gregorius Tolosanus Lib. 26. Cap. 1. Retrahi non possint , res etià immobiles , que hic subjiciuntur . 1°. Res limitaneæ regni non possunt retrahi à parente proximiori , cui princeps minus fudit ; quia bonum principis præfertur bono privato. 2°. Res regi venditæ , aut ad fiscum delatae , sive ob crimen , sive per contractum ; quia bonum regis bono privato præfertur. 3°. Res venditæ Ecclesiæ ; vel ab Ecclesiâ , quià hæc proximos non habet . 4°. Res hæredibus venditæ ; quià jus familiæ non videtur mutatum.

5°. Res venditæ pro augendis scholis & Ecclesiis, quia utilitatî publicæ privata cedit.
 6°. Feuda vendita, ne vassalli cogantur habere Dominum, quem nolunt. 7°. Res donatæ, mutuatæ, commodatæ, locatæ, datæ in solutionem, res permutatæ, nisi in fraudem fieret permutatio, non possunt retrahi, quia solus contractus venditionis dat jus retractus.
 Ita Gregorius Tolosanus. Ibidem.

C O N S E C T A R I U M II. Ex parte personarum: quinam possint uti jure retractus & quinam non possint.

Jure retractus uti potest proximus; non remotior, sed propinquior, & si plures sint eodem gradu, omnes possunt, non modò ipsi proximi, sed etiam eorum hæredes necessarii, imò & extranei, si propinquus defunctus vel cœperit, vel dixerit se velle retrahere; cedere verò jus retractus extraneo proximus non potest.

Jure retractus uti non possunt, qui hic subjiciuntur. 1°. Hi, qui sunt conjuncti cum venditore sola adoptione, vel affinitate. 2°. Spurii non possunt bona patris naturalis retrahere. 3°. Qui jure civili pro mortuis habentur, ut deportati. 4°. Hi, qui res redhibendas emere non possunt, undè non retrahunt, qui munera & officia, quæ rebus retrahendis hærent, præstare non possunt, v. g. fœmina feudum non fœmineum, persona Ecclesiastica feudum temporale. Ita Gregorius Tolos. Ibidem.

C O N S E C T A R I U M III. De modo utendi jure retractus. Proximus retrahere volens rem venditam debet primò extrâ judicium empto-

rem interpellare , ut secundum consuetudinem loci , huic juri satisfaciat , & si recuset , instituere actionem in rem scriptam . 2º . Pre-
tium æquale cum legitimis impensis restituere , vel saltem offere realiter in pecuniā nu-
meratā , idque in domo emptoris , vel eo
absente , debet pecuniam deponere apud per-
sonam publicam ; & hoc nomine & jure re-
tractūs ; totumque illud fieri debet intrā an-
num & diem à tempore venditionis , nisi bre-
vius vel longius tempus consuetudo admittat .
Ità idem Gregorius Tolos . Ibidem .

§. XI.

De Jure evictionis.

Nota. Jus evictionis est jus , quod haber-
verus Dominus rei , ut rem suam ab alio ven-
ditam authoritate judicis recuperet .

PROPOSITIO unica. Jure evictionis le-
gitimus Dominus rei potest rem suam ab alio
venditam è manu emptoris judicis authoritate
retrahere .

Probatur. Quilibet potest authoritate judi-
cis rem suam ubicumque fuerit persequi . Et-
go potest eam recuperare , quandò , ipso in-
vito , vendita est à non vero Domino ; quia
nemo potest in alium transferre plus juris ,
quam ipse habeat .

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Ex parte rerum .
Res quælibet , sive mobilis , sive immobilis ,

vendita à non vero Domino , potest per verum Dominum evinci , id est , authoritate judicis retrahi ; quià res quælibet Domino suo clamat.

C O N S E C T A R I U M II. Quoad personas : Quando quis vendidit rem alienam , sive bona fide , sive malâ fide vendiderit , solus Dominus rei venditæ potest eam evincere , quià ille solus jus habet rem illam exigendi .

C O N S E C T A R I U M III. Ex parte modi evincendi . Quando res à vero Domino exigitur per evictionem ab emptore ; emptor debet præmonere venditorem , ut justis defensionibus utatur ; si id omittat , venditor non tenetur ab evictione , quià emptor in causâ est , cur se venditor non defenderit .

M O N I T U M. Ideò ea , quæ pertinent ad venditionem & emptionem , multis executus sum , quià scilicet hæc singula possunt esse regula eorum omnium , quæ dicenda sunt de aliis contractibus ; ut patebit ex dicendis .

ARTICULUS II.

De Permutatione.

Nota. Permutatio est contractus , quâ res cum aliâ re vel ejusdem speciei , vel alterius permittatur , v. g. vinum cum vino , vinum cum oleo &c.

P R O P O S I T I O unica. Eadem requiruntur conditiones in permutatione , quæ in venditione , his exceptis , quæ distingunt permutationem ab emptione & venditione .

P r o b a t u r Ratiōne. Permutatio est vicina

emptioni, ut habetur. L. ultimâ. ff. De rerum permutatione *Aristo* ait, *quoniam permutatio vicina est emptioni*. Ergo iisdem conditionibus constare debet, quibus emptio & venditio; sive res, sive personæ, sive modus permutandi examinentur; modò excipias ea, in quibus permutatio differt ab emptione & venditione.

Convenit autem permutatio cum emptione & venditione sequentibus modis.

- 1°. Utrobique transfertur Dominium, aut possessio rei.
- 2°. Utrobique debetur evictio.
- 3°. Utrobique debet dari id, de quo convenitum est.

Differit autem permutatio ab emptione & venditione sequentibus modis

- 1°. Emptio & venditio perficiuntur solo consensu; permutatio verò rei traditione.
- 2°. In emptione & venditione datur pretium pro re, in permutatione verò res pro re.
- 3°. Vendi res aliena potest, permutari non potest.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Quoad permutantes. Permutantes debent habere Dominium rerum, quas exponunt permutationi; quia per permutationem transfertur rerum Dominium: Ideoque *Pedius* ait, *alienam rem dantem, nullam contrahere permutationem*. L. i. ff. De rerum permutatione §. 3.

C O N S E C T A R I U M I I. Quoad res permundandas. Hæ solùm res possunt permutari, quæ sunt in commercio hominum, quæque

sunt in nostrâ potestate : & quæ ad æqualitatem redactæ sint , alias contractus , vel forer nullus , vel illicitus , ut dictum est de contractibus in communi.

C O N S E C T A R I U M III. Quoad modum permundandi. In actuali permutatione , permundantes non debent se mutuis dolis decipere , sed debent vitia rerum permundandarum , si quæ habeant , manifestare , ut dictum est de emptione & venditione.

ARTICULUS III.

De cambio monetarum.

Cambium est permutatio pecunia pro pecunia. Ille qui in gratiam alterius cambiat , dicitur campfor. Is vero in cuius gratiam sit cambium , campfarius appellatur.

Campfor alius est publicus , alius privatus.

Campfor publicus est ille , qui auctoritate Republicæ statuitur , & hic tenetur cambiare pecunias omnibus , & singulis postulantibus.

Campfor privatus est ille , qui quibus vult , & non aliis cambiat pecunias. Si Respublica statuat campfiores publicos , privati non possunt exercere artem cambiendi , quia standum est legibus Republicæ.

P R O P O S I T I O I. Totiès cambium est licitum , quotiès diversæ monetæ cambio expositæ , reducuntur ad æqualitatem , quotiès campforis cura justo pretio compensantur , & lucrum cessans aut damnum emergens reparatur.

Probatur Ratione. Justitia nihil aliud exi-

git, quam ut res quæ sunt materia Contractuum reducantur ad æqualitatem & proinde quod labor contrahentium compensetur & lucrum cessans, aut damnum emergens reparetur. Ergo toties cambium monetarum erit licitum, quoties prædictæ conditiones observabuntur: & proinde cambium erit licitum in sequentibus casibus, licet aliquod lucrum moderatum accipiatur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De casibus, in quibus licitum est cambium.

CONSECTARIUM I. Licitum est cambium minutum, in quo pecuniæ pretiosiores cum vilioribus commutantur, aut vice versa cum viiores cum pretiosioribus commutantur, v. g. aurum datur pro argento, argenteum pro ærë, pecunia unius loci, pro pecuniâ alterius, v. g. moneta Galliæ pro monetâ Hispaniæ, aut vice versa diverso utriusque monetæ pensato pretio; quia in tali cambio campsori justus est titulus sumendi aliquid.^{1°}. Labor campsoris in numerandâ pecuniâ. ^{2°}. Diligentia in conquiriendâ pecuniâ omnis generis, ut præstdò sit dare omni exigiendi monetam, quam postulaverit. ^{3°}. Officium cambiandi in quo necessarii sunt famuli, subeunda pericula, & alia hujusmodi, quæ singula sunt pretio æstimabilia.

CONSECTARIUM II. Licitum est cambium per litteras; in quo campsarius, cui opus est, ut pecunia aliò invehatur, eam pecuniæ summam hic, v. g. Tolosæ camp-

sori prius ipse campsarius numerat, quam posteà campsor, litteris datis, alibi, v. g. Parisis refundit per suos, ut loquuntur, correspondentes: etenim, hoc in casu, campsor justum habet titulum sumendi aliquid. Titulus ille est. 1°. Realis, aut virtualis transvectione pecuniae 2°. Asseturatio ut dicunt, pecuniae acceptæ; suscipit enim in se onus asseturandi pecuniam, per vias vel longas, vel difficiles transvehendam 3°. Officium campsoris est onus habendi correspondentes, quæ omnia sunt pretio æstimabilia; licet autem non transferat pecunias, sed quas jam habet, alibi exhibeat; tamèn sempèr potest aliquid accipere; quia hoc per accidens se habet, & id fructus est ejus industriae.

CONSECARIUM III. Cum cædem monetæ sunt inæqualis valoris in diversis locis propter copiam monetarum in uno loco, & penuriam in alio, tunc licitum est, inquit Soto, pecuniam ab uno, in alterum locum cambire, habito respectu copiæ, quæ est in uno, & inopiæ quæ est in alio: ita scilicet ut hic, v. g. Tolosæ ubi est inopia argenti, dem minorem summam, & illuc, v. g. Parisis, ubi est copia argenti, majorem summam recipiam; dummodo non pallietur usura, nihilque recipiatur ratione temporis; tunc enim, dati, & accepti æqua est æstimatio: nam potest contingere quod hic Tolosæ, ubi est raritas monetæ, centum nummi pluris æstimentur, quam centum & decem Parisis; sicuti centum cadi olei, hic Tolosæ, ubi est penuria olei, pluris valent, quam centum & decem cadi olei Narbonæ, ubi est copia olei;

ergò sicuti absque injustitiā , centum & decem cadi olei , quos Narbonæ habes , possunt mutari cum centum cadiis olei , quos hic Tolosæ habeo : ità & de monetā idem dici potest , inquit Sotó , & quamvis ego videam disparitatem esse maximam , quia moneta valorem habet statutum à principe , qui nec crescere , nec decrescere potest per voluntatem contrahentium : res verò usualis valorem habent , qui crescere , & decrescere potest ; tamē non videatur omnino sententia Sotí reprobanda , eamque ego lectori vel approbadam , vel improbandam relinquo ,

De casibns , in quibus illicitum est cambium.

CONSECTARIUM I. Illicitum est cambium , in quo datur præsens moneta , & intrà certum tempus restituenda est eadem quantitas monetæ , cum aliquo fœnore , ratione expectati temporis : tunc enim non servatur æqualitas inter monetas quæ commutantur : sicut usura esset , si mutares frumentum cum frumento ejusdem speciei & valoris , & ratione temporis , aliquid supra datam mensuram exigeres ; tunc enim in cambio illo palliatur usura ; etenim hic Contractus , verum est mutuum , in quo recipitur aliquid ultra sortem , ratione dilatæ solutionis .

CONSECTARIUM II. Illicitum est cambium in quo mutans monetam cum monetā , dat monetam minoris valoris , & exigit monetam valoris majoris , vel ratione figuræ , v. g. si dares nummum gallicum & exigeres nummum anglicum , qui ut dicunt , constat ex puriore

ex puriore & altiore metallo: tunc enim non servaretur æqualitas in monetis. Sicuti si permutans triticum, dares commune, & exigeres longè melius.

CONSECTARIUM III. Illicitum est cambium, in quo imminentे diminutione pretii monetarum, nolles dare, neque accipere monetam pretio statuto à Principe, sed dares computando altiori pretio, & recipieres computando inferiori pretio, quia non servaretur æqualitas, moneta enim legitimum habet à principe pretium, quod nefas est vel excedere, vel non pertingere.

PROPOSITIO II. Justum pretium camporis publici est illud, quod statuitur à Principe. Justum pretium camporis privati est illud, quod vulgo sumitur à viris probis ejusdem artis.

Probatur ratione. Cambium measurari potest ad instar emptionis & venditionis; atquē in venditione justum pretium est vel illud quod statuitur tūm à lege, tūm à principe, vel illud quod statuitur communiter à viris probis. Ergo & in cambio.

CONSECTARIUM Unicum. Sicut illicita est venditio vel emptio, quoties non servatur pretium vel statutum à principe, vel determinatum ab hominum estimatione, ita cambium erit illicitum, quoties campor plus accipiet quam vel consuetudo, vel leges statuerint.

CAPUT VI.

De Contractibus, in quibus non transfertur dominium rei, sed transfertur ususfructus rei

ARTICULUS UNICUS.

De emphiteusi & feudo

Nota. Emphiteusis est Contractus, quo sub onere pensionis annuae transfertur ususfructus, seu dominium utile rei immobilis, retento dominio directo L. 1. & 2. C. de jure emphiteusis. Dans fundum, vocatur Dominus; recipiens, emphiteuta. Feudum est Contractus, quo sub onere fidelitatis, & obsequii personalis transfertur dominium utile rei immobilis, retento dominio directo. Ibidem.

Dans fundum vocatur Dominus: aecipiens fundum vocatur feudatarius, seu vassallus.

PROPOSITIO unica. Dans fundum in feudum, vel emphiteusim, conservat tamum dominium directum, & solum potest exigere pensionem ab emphyteutâ, fidelitatem vero vel obsequium personale à feudatario. Accipiens vero fundum vel in feudum, vel emphyteusim, acquirit solum dominium utile, & tenetur solvere vel pensionem, si sit emphyteuta; obsequium vero personale, si sit feudatarius.

Probatur ratione. Hæc est natura Contractus feudi, vel emphyteuseos; cum enim, nec vera venditio sit, nec vera locatio, non

traditur dominium directum rei, ut vulgo sit in venditione; non traditur solus usus rei, ut vulgo sit in locatione ad certum tempus; sed feudator retinet dominium directum rei, & feudatarius acquirit usufructum, seu dominium utile, sub onere obsequii personalis. Item emphyteuta retinet dominium directum rei, emphyteutarius acquirit usufructum, seu dominium utile, sub onere pensionis: ergo dans fundum debet retinere dominium directum, & accipiens debet solvere quod promisit; quilibet enim debet stare conditionibus Contractus a se initi. Totum illud colligitur ex L 1. C. de jure emphyteutico.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. quoad personas. Hi soli possunt dare in feudum, qui sunt veri Domini fundi, & hi solum possunt accipere in feudum, qui possunt acquirere dominium utile, quia ille Contractus non fit ob alium finem & ita qui sunt incapaces dominii nequeunt dare, vel accipere in fundum.

C O N S E C T A R I U M II. Quoad res. Res solum immobiles, quæ cultu possunt fieri meliores, possunt dari in feudum vel emphytheusim, v. g. agri, vineæ, imò ædificia, minimè verò res mobiles, v. g. vestimenta, equi &c. quæ usu possunt fieri deteriores; quia finis feudi, & emphyteuseos est, ut fundi inculti, & steriles per culturam fiant meliores, ædificia verò conserventur, & Domino directo pensio solvatur.

CONSECTARIUM III. Quoad modum & effectus, qui feudum comitantur tam respectu Domini, quam emphyteutæ. Dominus 1°. Retinet semper Dominium directum fundi 2°. Quotannis in recognitionem illius Domini pensionem accipit. 3°. Sine illius consensu fundus non alienatur, & si velit emptori prefertur. 4°. Cum alienatur, laudemium ei solvit, Gallice *Lots & ventes*.

Emphyteuta. 1°. Habet dominium non directum, sed utile, & percipit omnes fructus fundi. 2°. Tenetur ad meliorationes, & earum premium potest exigere, dum invitus fundum dimittit. 3°. Fundum potest sine consensu Domini permutare, donare, legare, oppignorare, 4°. Potest eo fundo non secus a proprio uti.

Ex parte vero utriusque, scilicet Domini & emphyteutæ, haec observandæ sunt leges.

Si fundus datus in feudum, vel emphyteus sim, casu aliquo pereat, v. g. inundatione, incendio, perit Domino fundi. Si fructus pereant, pereunt feudatario: quia res quælibet Domino suo perit. Feuda seu feudator vel emphyteutans est Dominus fundi: feudarius vel emphyteuta, est Dominus fructus.

Si fundus pereat ex toto, feudarius eximitur à totali obsequio & emphyteuta à totali pensione. Si pereat ex parte, potest petere diminutionem, vel obsequii, vel pensionis, vel fundum superstitem dimittere, quia pensio & obsequium funduntur supra fundum, sicut accessorium supra principale.

CONSECTARIUM IV. De dissolutione & rescissione Contractus feudi, & emphyteu-

feos. Feudatarius & emphyteuta possunt privari fundo, si violent statutas conditiones feudis aperte contrarias; quia omnis Contractus dissolvitur, si non stetur conventis, & ita cessat feendum, & emphyteusis, si negetur pensio vel obsequium personale. Si emphyteuta per triennium cessaverit à solutione, cadit suo jure. L. 2. C. de Jure emphyteusis. Si emphyteuta Ecclesiasticus cesset per biennium, cadit suo Jure. Nov. 7. tit. 1. cap. 3. §. 2. si vendatur res emphyteutica sine consensu Domini. Si non solvat laudemium Gallicè *Lets & ventes*. Si feudatarius, & emphyteuta sit insigniter ingratus erga Dominum. Si fundum deteriorem faciat. Hæc omnia colligo ex Nov. 120. tit 3. cap. 8.

Si feudatarius, vel emphyteuta fundum meliorem fecerint. Si ex culpâ suâ fundum deserant, vel quia sponte volunt deserere fundum, vel quia nolunt solvere pensionem, vel obsequium, tunc non poterunt meliorationis pretium exigere, sicuti de usufructuario dicitur.

CAPUT VII.

De Contractibus, quibus transfertur solus usus rei, v.g. de locatione & conductione, commodato & preario.

NOra Usus rei transfertur aliquando gratis; aliquando pro pretio: usus rei transfertur gratis per commodatum & prearium; transfertur vero pro pretio per locationem & conductionem.

ARCICULUS I.

De locatione & conductione,

Nota. Qui dat usum rei , dicitur locator , qui accipit , dicitur conductor.

Locatio est Contractus , quo res , vel persona ad usum justo pretio conceditur.

Conductio est Contractus , quo res vel persona ad usum justo pretio comparatur.

§. I.

De conditionibus requisitis ad locationem & conductionem.

PROPOSITIO unica. Exdem requiriuntur conditiones in locatione & conductione , quæ in emptione & venditione , his exceptis quæ possunt emptionem & venditionem à locatione , & conductione distinguer.

Probatur Jure civili... Locatio & conductio est proxima emptioni , & venditioni , iisdemque regulis consilit : nam ut emptio , & venditio ita contrahitur , si de pretio convenient ; sic & locatio & conductio ita contrahi intelligitur , si merces constituta sit ; & competit locatori quidem locati actio , conductori vero conducti actio . Inst. lib. 3. tit. 25. ergo iisdem conditionibus constare debet , quibus constat emptio , & venditio .

Conductio & locatio convenient cum emptione , & venditione in sequentibus modis.

1°. Uterque Contractus est Contractus bona

fidei, ultrò citrōque obligatorius. 2°. Utterque perficitur consensu. 3°. Ut in emptione & venditione consensus est in rem, & pretium; sic h̄c in rem, & mercedem 4°. Quod ut ibi pretium, sic hic merces in arbitrium tertii conferri potest. 5°. Sicut in pecuniā pretium rei, sic in pecuniā merces rei consistit.

Conductio, & locatio differunt ab emptione, & venditione 1°. Quod in emptione res tantum datur: hic non res tantum sed facta veniant. 2°. In Contractu emptionis, & venditionis proprietas alienatur; in locatione usus tantum venit. 3°. Pretium tantum consistit in pecuniā numeratā; merces potest consistere in omni re fungibili: 4°. Venditor egens re venditā à traditione non excusat; bene rāmen locator, si eā egeat. 5°. Post Contractum emptionis, & venditionis casus fortuiti ad emptorem spectant; non rei conductæ ad conductores. Hęc omnia educuntur ex toto titulo locati & toto titulo de contrahendā emptione.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Quoad locantes, & conducentes.

Locans & conducens debet habere dominium rei, quam exponit contractui, ille rei quam locat, iste pretii quod rependit, quia nemo potest contractibus exponere, quæ sui juris non sunt

CONSECTARIUM II. Quoad res quæ sunt materia locationis, & conductionis. Res locatæ debent esse utiles & non perniciose

conducenti ; quia res pernicioſæ , ex commercio hominum excludi debent. Sic locari possunt. 1. Res soli uſui inservientes , ut domus habitanda , liber legendus , &c. . . 2. Res frugiferæ , ut agri , vineā , prata , stagna piscifera , fodinæ , &c. . . 3. Operæ artificum , instructio magistrorum.

Locari non possunt res quæ solo uſu totaliter consumuntur , ut oleum , vinum , frumentum , moneta ipso uſu consumenda; quia in his rebus uſus non differt ab ipsâ re , juxta illud juris. *commodari non potest id quod uſu consumitur , nisi forte ad pompam , & ostentationem quis accipiat L. 3. ff. §. 6. commodati vel contra.* Eādem ratione locari nequeunt domus usurariis , lenonibus , & aliis hujusmodi , ut ventant leges tūm civiles , tūm Canonicæ.

CONSECTARIUM III. De æqualitate servandâ in locatione & conductione.

Uſus , & utilitas rei locatæ debent reduci ad æqualitatem cum pretio dato à conductorre , quia alias Contractus effet injustus , si pretium non æquivaleret uſui , & utilitati , & utilitas & uſus pretio. Sic totum pretium debet restituī , si res locata nulli uſui esse potuerit ; debet verò reddi ex parte , si ex parte ſolum utilis fuerit , v. g. si domus pestilens locata fuerit , si equus inutilis locatus fuerit.

Sic penſio debet ex totâ remitti , si citra culpam conducentis res frugifera omnino ſterilis fuerit , ut dicit jus civile. Si labes , inquit , facta fit , omnemque fructum tulerit , *damnum coloni non eſſe . . . sed damnum Domini futurum , ut habetur L. 15. ff. locati §. 3.*

debet remitti ex parte , si ex parte sterilis fuerit , nisi aliter conventum fuerit inter contrahentes , juxta hanc regulam : colono unius tantum anni sit quædam remissio , si ingens sterilitas contingat ; nulla vero sit remissio , si exigua sterilitas eveniat. *Modicum damnum debet ferre. Colonus , cui immodicum lucrum non auferitur.* L. 25. ff. locati §. 6. sic colono multorum annorum nulla sit remissio pensionis ob sterilitatem etiam ingentem unius anni , quia sterilitas unius anni , per ubertatem multorum annorum compensatur. *Si uno anno remissionem quis colono dederit ob sterilitatem , deinde frequentibus annis contingit ubertas ; nihil obesse Domino remissionem ; sed integrum pensionem etiam ejus anni , quo remisit , exigidam.* L. 15. §. 4. locati.

Si locator & conductor contractum ineunt , quo servata æqualitate , & pensatis omnibus , minori pretio fundi , conductor suscipiat in se omnem casum , omnem sterilitatem , standum est Contractui nullaque ei fieri debet remissio ob sterilitatem , ex causis naturalibus provenientem. *Si quis , inquit Jus civile , fundum locaverit , ut etiam si quid vi majori accidisset , hoc ei præstaretur : pacto standum esse.* L. 9. ff. §. 2. locati.

CONSECTARIUM. IV. Circà modum locandi , & conducendi. Si locationi , & conductioni admisceantur alii Contractus , qui non sint contra naturam locationis , & conductionis , pacta , & statuta illorum contractum observanda sunt ; quia nihil tam rationi congruum quam statuta pacta observari.

Sic, si Dominus locator fundi , & colonus conductor quandam societatem ineant ; *Partiarius colonus quasi societatis jure, & tuorum & damnum societatis jure partitur cum Domino fundi.* L. 25. ff. Locati. §. 6.

§. II.

Quid præstandum à conductore.

P R O P O S I T I O unica. Conductor non potest uti reconductā , nisi juxta vel pactum vel consuetudinem , & si eā abutatur , tenetur reparare damnum culpā suā, vel dolo suo proveniens; si verò eā non abutatur, non tenetur reparare damnum , quod solo casu evenit.

Probatur Ex jure civili. In judicio , tam locati , quam conducti dolum & custodiam , non etiam casum , cui resisti non potest , venire constat. L. 28. C. De locato: ergo si conductor vel contra pactum , vel contra consuetudinem , vel dolosè , vel culpabiliter agat , tenetur damnum reparare.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Sequitur conductorem peccare , & teneri ad restitutionem in sequentibus casibus. 1°. Si contra pactum agat , v. g. si ignem habeat , ubi non haberi conventum est , & incendium contingat , tenetur reparare damnum ; *Quia,* inquit jus civile , non debuit ignem habere. L. 11. ff. Locati §. 1. Si fœnum paleamve ponat , ubi conventum erat non poni... Si servus ignem deferens , succendat , tenetur reparare ; *Quia ipse causam præbuit , inferendo*

contra conductionem, inquit jus civile. L. 11.
ff. Locati §. 4 Si mulas, equos &c. rumpat,
opprimendo insueto onere. L. 30. ff. Locati
§. 2 Si colonus fundum, ante præfixum tem-
pus deserat. L. 24. ff. Locati, §. 2.

2°. Si ex culpâ suâ, vel suorum, res con-
ducta pereat, vel deterior fiat, tenetur repa-
rare; quia culpam debuit præcavere. pericu-
lum, inquit lex, præstat si quâ ipsius, eorum-
que, quorum operâ uteretur, culpâ acciderit.
L. 25. ff. Locati. §. 7.

Si conductor inimicum injustè provocavit,
& hic ex ira excidat fundi conducti arbores;
conductor tenetur reparare damnum. L. 25. ff.
Locati §. 51. Si conductor levi metu percussus,
latronibus, militibusve diripiendam exponat
rem locatam, tenetur reparare; minimè ve-
rò, si justo fuerit metu percussus. L. 27. ff.
Locati §. 1.

3°. Si res conducta, casu pereat, vel dete-
rior fiat, conductor ad nihil tenetur; quia ne-
mo tenetur casibus improvisis. Sic si extrâ
culpam, & dolum res conducta pereat igni-
bus, aquis, latronibus, ad nihil tenetur con-
ductor; quia *incendia*, *aquarum magnitudines*,
impetus prædonum à nullo præstantur, ut habe-
tur. L. 23. ff. De regulis juris.

§. III.

Quid præstandum à Locatore.

P R O P O S I T I O unica. Locator tenetur ef-
ficere quantum in se est, ut conductor pacifi-
cè, & commode juxta pactionem re conductâ

fruatur, si hanc curam sine causâ omittat; tenetur damnum hinc secutum reparare.

Probatur ex jure civili. Hæ sunt leges Locationis. Planè, si fortè Dominus frui non patiatur; quod interest, præstabilitur. L. 15. ff. Locati §. 8.

Consecaria hujus Doctrinae.

Ex quo sequitur locatorem peccare, & teneri ad restitutionem in casibus sequentibus.

1°. Si non stet pactis; *Si quid in lege conductio*nis *convenit*; si hoc non præstatur, ex conductio agetur, ut dicitur. L. 15. ff. Locati §. 1.

2°. Si res locata talis detur, ut eā uti pacificè & commode conductor non valeat, vel quia res non datur integra, sed solum ex parte: ut si non domus integra, sed solum aliqua ejus pars detur; vel quia non datur commoda, v. g. si fenestræ sint effractæ, ostia corrupta. L. 25. ff. Locati §. 2.

3°. Si res conducta, ex dolo, vel culpâ locatoris, sit noxia conductori, v. g. *Si dolia*vis*tiosa locaverit*; *deinde vinum effluxerit*, tenebitur in id, quod interest; nec ignorantia ejus erit excusata. L. 19. ff. Locati. §. 1. quia debebat examinare dolia, antequam ea locaret. *Si salutum pascuum*, inquit lex, *locasti*, *in quo herba mala nascebatur*... *Quod interest*, præstabilitur, si scisti; si ignorasti, pensionem non petes. Ibidem.

4°. Si res locata sine causâ ante præfixum tempus à conductore auferatur, tenetur damnum hinc sequens reparare; quia pacta non servat. Potest tamen res locata auferri à conductore,

ductore , minuendo pretium pensionis , pro rato tempore , quo conductor re locatâ spoliatur . 1°. Si res locata sit propriis usibus ipsius locatoris necessaria . v. g. Si ipse locator velit domum suam , quam locavit , habitare . L. 3. C. De re locata . 2°. Si res locata vendatur , vel legato donetur ibid. 3°. Si conductor pensionem non solvat , vel re conductâ malè utatur , & non tanquam bonus pater - familias . L. 3. C. ibid. 4°. Si conductor pensionem non solvat . Colonus ejicitur tunc pensionum debitarum nomine . Ibid.

§. IV.

De Locante suas operas.

P R O P O S I T I O prima . Qui locat suas operas , tenetur opus suscepsum juxta regulas artis perficere , si non faciat tenetur damnum , ex ignorantia suâ , vel negligentia , vel dolo proveniens , reparare .

Probatur ex jure civili , ubi sic habetur . *Perterit ex locato cum eo agi , qui vitiosum opus fecerit . Lege 51. ff. Locati . §. 1.* Ergo qui suas locat operas , tenetur opus suscepsum juxta regulas artis perficere .

Consectaria hujus Doctrinæ.

Sequitur quod hi omnes , qui hic subjiciuntur , peccant , & ad restituionem tenentur .

1°. Colonus , qui intempestivo tempore culturam adhibet ; quia , inquit lex , colonus curram debet , ut opera rustica suo quoquè tempo-

re faciat, ne intempestivâ culturâ fundum de-
teriorem faceret. L. 25. ff. Locati. §. 5.

2°. Pastor negligenter armenta custodiens, qui mercedem accipit pro custodia alicujus rei, is ejus periculum præstat.

3°. Vectores publici. v. g. nautæ, muliones, rhedarii, qui res à loco in locum deferendas suscipiunt, & integras non exhibent, habetur contra eos actio ex locato. L. 13. ff. Locati. §. 2. & L. 25. §. Ibid.

4°. Fullones, sartores, qui non reddunt integræ, quæ eis commissa sunt, etiam si vulgari casu perierint. Si fullo vestimenta polienda acceperit, eaque mures roserint, ex locato tenebitur; quia debuit ab hâc re cauere, & si pallium fullo permuttererit, & alii, quod est alterius, dederit, ex locato actione tenebitur, etiam si ignarus fecerit. C. 13. ff. Locati. §. 6.

5°. Artifices demum omnes, qui opus vitiosum efficiunt; quia locarunt se ut artifices. L. 9. ff. de Locato. §. 5.

P R O P O S I T I O I I. Artifex non tenetur ea damna reparare, quorum nullatenus est causa.

Probatur Ratione. Tunc artifex nullatenus est in culpâ; ergo non debet damnum pati.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Sequitur quod artifices ad nihil tenentur in subjectis casibus.

1°. Si Dominus voluerit artefactum fieri contra regulas, invito artifice præmonente; tunc enim debet vitium operis sibi imputare. L. 51. ff. Locati. §. 5.

2^o. Si Dominus materiam dederit , circā quam artifex artem suam exercere coactus fuerit. Si opus vitiosum fuerit ex conditione materiæ , & non ex incuria artificis : Si gemma , inquit lex , includenda , aut insculpenda data sit , eaque fracta sit , siquidem materiæ vicio factum sit , non erit ex locato actio , si imperitiā facientis , erit . . . Nisi periculum in se artifex susceperebit . L. 13. §. 5. ff. Locati.

3^o. Si casus omnino imprævisus opus corruperit , v. g. si ædificium penè perfectum motu terræ conciderit . Si soli vicio id acciderit , locatoris erit periculum ; si operis vicio acciderit , tuum , id est , artificis , erit detrimentum L. ultimâ ff. Locati. In priori casu , in quo scilicet non est culpa , compensandæ erunt artificis operæ , minimè verò in posteriori , in quo est culpa .

A R T I C U L U S II.

De commodato & precario.

C Omm̄datum est contractus , quo res aliqua ad solum usum gratuitō conceditur , pro determinato usu , & pro determinato tempore eā conditione , ut res eadem in individuo restituatur. Precarium est contractus , quo res aliqua ad solum usum gratuitō conceditur , non determinando usum vel tempus. Diciturque precarium , eo quod precibus petentis uiendum conceditur , tamdiū is , qui concessit , patitur . L. 1. ff. De precario quamdiū .

P R O P O S I T I O unica. Eadem requiruntur conditiones in commodato , & precario ,

218 MORALIS CHRISTIANA.
quæ requiruntur in donatione, paucis exceptis, quæ distingunt donationem à comodato & preario.

Probatur Ratione. Comodatum non est pignus, aut depositum, quia in pignore res datur securitatis gratiâ, in deposito custodiæ gratiâ: ast in comodato res datur usûs gratiâ. Non est mutuum, quia in mutuo accipiens fit Dominus rei acceptæ, in comodato accipiens potest tantum uti re acceptâ. Non est locatio, quippe locatio fit sub certâ mercede, comodatum autem fit gratuitò. Ergò comodatum est gratuita donatio hujus rei, quæ comodatur; ergo cædem requiruntur conditiones in comodato, quæ in donatione.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Quoad personas. Illi omnes comodare possunt, non solum, qui habent Dominium rei, sed etiam ejus possessionem, sive liberi, sive servi, sive patres, sive filii- familias: & quidem possunt comodare unicuique, modò speretur, quod res comodata non futura sit ipso usu deterior; quia nihil ultrà requiri potest à Domino; nisi ut res ipsa reddatur. *Commodare possumus,* inquit jus civile, *rem etiam alienam,* quam possidemus: tametsi scientes alienam possideamus. L 15. ff. *Commodati vel contrâ.*

C O N S E C T A R I U M II. Quoad res. Ea solum possunt comodari, quorum usus distinguuntur ab ipsis rebus; qualia sunt omnia, quæ usu non consumuntur, sive mobilia sunt, ut

vestis, &c. sive moventia, ut equus, &c. sive immobilia, ut domus, &c.

CONSECTARIUM III. *Quod ad modum.* Modus commodati praesigitur a commodante: cum enim commodatum sit donatio usus, donatoris est modum beneficio suo prescribere; *Modum*, inquit jus civile, finemque prescribere, ejus est qui beneficium trivit. L. 17. ff. *Commodati* §. 3.

Si modus commodati & quoad usum & quoad tempus non prescribatur a commodante, consuetudine mensurabitur; quia consuetudo est contractuum interpres sicut & legum. Sic si equum commodavero, si librum, &c. eis utendum est ad usus solitos & non insolitos, v. g. equo ad iter agendum, libro ad legendum, minimè vero ad oppignorandum.

Si modus commodati nec expressè per conditionem a commodante impositam, nec per consuetudinem cognosci possit, per æquitatem judicari debet. Sic commodatum potest repetiti ante præfixum tempus, etiam cum damno commodatarii; si simile damnum impendeat commodanti, quia æquitas postulat, ut Dominus rei, potius re suâ utatur, quam aliis. Sic commodatum non potest reperti ante tempus præfixum, vel nondum expleto usu, ad quem datum est, quia alias commodatum magis noceret, quam prodeisset.

CONSECTARIUM IV *De obligatione commodatarii.* Commodarius tenetur servare commodatum præ rebus suis, si sit pretiosius vel æquè pretiosum; æquitas enim postulat, ut commodarius, in cuius utilitatem cedit commodatum, damnum patiarur, po-

tius quam commodans. Sed si res commoda-
tarij sint longè pretiosiores re commodatā,
poterit commodatarius præferre res suas com-
modato; æquitas enim postulat, ut nemo
patiatur ingentem jacturam in rebus suis, ut
vitet minorem in alienis.

ARTICULUS III.

De Mandato.

Mandatum est quasi manudatum; sic
enim, cum quid alteri gerendum com-
mittitur,

Mandatum est contractus, quo negotium
aliquid alicui gratuitō gerendum committi-
tur, & suscepitur. Qui committit negotium,
dicitur mandans, cœu mandator, qui suscepit
negotium, dicitur mandatarius.

PROPOSITIO unica. Exdem requirun-
tur conditiones in mandato, quæ requirun-
tur in locatione operarum; hoc solūm dis-
crimine, quod locatio operarum non est gra-
tuita, mandatum verò debet esse gratuitum.

Probatur Ratione desumptā ex jure cívili.
In summa sciendum est, mandatum, nisi gra-
tuitum sit, in aliam formam negotii cadere;
nam mercede constitutā incipit locatio esse &
conductio, ut dicitur. Lib. 3. Inst. tit. 27. §.

14 Ergo ob affinitatem, quam mandatum ha-
bet cum locatione & conductione operarum,
exdem requiruntur conditiones in mandato,
quæ in locatione, & conductione operarum;
hoc excepto, quod locanti operas ex justitiâ
debetur compensatio; mandatio autem ex

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM. I. Quoad personas: Mandans habere debet autoritatem circà rem, quam mandat; mandatarius vero debet habere dominium operarum, quas promittit; quia nemo potest exponere contractui nisi quæ ipsius sunt.

Sic nemo potest aliena negotia alicui committere; quia ad id non habet autoritatem. Sic qui non sunt sui juris, v. g. Monachus, servus, &c. non possunt aliena negotia suscipere; quia non sunt Domini suorum operarum.

Sic actus legitimis per solemnes legis actiones coram judice expediendi, mandati non possunt privato homini; quia debent fieri per personam publicam, v. g. aditio hereditatis. L. 9. ff. De acquirendâ hereditate. Adoptio. L. 24. ff. De adoptione. Emancipatio. Lib. 3. Inst. tit. 1. §. 12 Tutoris datio. L. 6. ff. De Tutoribus. Acceptilatio. L. 13. ff. De acceptatione, non possunt committi nisi personis ad id per jura destinatis.

CONSECTARIUM. II Quoad res. Illa solum possunt mandari, quæ sunt honesta & licita, non turpia vel injusta, mandatum de re turpi non est obligatorium, etiamsi firmaretur juramento, ut habetur de regulis juris in 6°. Non est obligatorium, inquit regula, contra bonos mores præstitum juramentum. Reg. 58.

CONSECTARIUM. III. Quæ equalitas

servanda in hoc contractu. Honorarium datum à mandatore , & mandatarii operæ non debent ex justitiâ , sed solum ex decentiâ reduci ad æqualitatem ; quia mandatum debet esse gratuitum ; & si honorarium interveniat , debet esse non merces operarum , sed gratuita compensatio , quæ promissa accipi valeat , negata verò exigi non permittatur : nam ex jure ivili. L. 1. ff. §. 4. Mandati vel contra. *Mandatum nisi gratuitum nullum est* ; nam originem ex officio atque amicitiâ trahit. Mandans tamen tenetur ex justitiâ restituere mandatario omne damnum , quod passus est mandatarius in mandati executione ; modo mandatarius mandantem de damno , quod passurus erat , præmonuerit : *Sumpius* , inquit lex , bonâ fide necessariò factos , et si negotio finem adhibere procurator non potuit , judicio mandati restitui necesse est . L. 46. ff. Mandati vel contra. §. 4. Ne , ut eodem titulo dicitur . L. 15. *Damno afficiatur is , qui suscipit mandatum.*

C O N S E C T A R I U M . IV. De modis , quibus mandatum potest fieri . Mandatum variis modis dividitur , aliud est voluntarium , quod sponte suscipitur . Aliud necessarium , quod suscipitur imperio magistratus . Aliud expressum , quod committitur expressâ voluntate mandantis . Aliud generale , quod universa negotia mandatoris complectitur . Aliud tacitum , quod committitur per patientiam mandantis . Aliud speciale quod non nisi certum aliquod negotium attingit . Aliud mandantis causâ , ut si mando , quod mihi fundum emas . Aliud mandatarii causâ , ut si mando tibi , quod tibi fundum emas . Aliud extranei cau-

sā , ut si mando Petro , quod fundum emat Paulo. Aliud simplex . ut si mandem , quod unius tantūm geras negotium. Aliud mixtum , ut si mandem , quod multorum geras negotia , v. g. tua & aliena , mea & tua , & in omnibus mandatis mandans & mandatarius debent juxta regulas mandati se gerere.

CONSECTARIUM. V. *De obligatione mandantis & mandatarii.* Mandans debet permettere , ut mandatarius negotium suscepsum fideliter exequatur , & mandatarius debet illud exequi secundum formam prescriptam ; quia hēc sunt utriusque contrahentis munia. Sic mandans potest , re adhuc integrā , revocare mandatum , minimè vero jam incēptā ; modo mandatarius non excedat fines mandati. Sic mandatarius , re integrā , potest renunciarē mandato , minimè vero intempestivē , & re jam incēptā.

CAPUT VIII.

De Contractibus , quibus sola res traditur , vel custodienda , ut in deposito , vel pro securitate debitorum , ut in oppignoratione.

ARTICULUS. I.

De Deposito.

§. I.

Quid & quæduplex depositum.

Depositorum est Contractus , quo res aliqua alicui custodienda traditur , ut integra

restituatur. L. I. ff. Depositum vel contra:

Depositum est duplex, judiciale, & privatum. Depositum judiciale est, cum res aliqua litigiosa committitur alteri, ut eam custodiat, donec cognita causâ constet, cui debeatur. Depositum privatum est, quando res aliqua committitur apud privatam aliquam personam, cui fidimus.

Persona quælibet, cui prudenter fidere possumus, potest depositum servare; res vero quælibet, quæ custodiri potest, est materia depositi.

§. II.

De munere Depositarii.

PROPOSITIO unica. Depositarius debet semper rem depositam quasi suam inspicere, ut eam custodiat; debet vero eam quasi non suam inspicere, ne eam contrectet contra expressam, vel tacitam deponentis voluntatem.

Probatur Ratione. Nec proprietas, nec usus rei conceduntur depositario, sed tantum res illi traditur custodienda: ergo depositarius debet eam illæsam deponenti servare.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Depositarius peccat, & ad restitutionem tenetur, quoties ex ejus dolo, vel negligentia damnum aliquod deponenti enascitur; quia est in culpâ. v. g. 1°. Si res deposita dolo, aut negligentia perireat, aut deterior fiat. cap. *Bona fides.* De de-

posito. 2°. Si non adhibeat tantam curam in custodiendo deposito , quantam adhibet in rebus suis : quia præsumitur dolus. 3°. Si hæres inscriptus rem testatori suo depositam dolorè distrahat ; quia nemini sua fraus patrocinatur. 4°. Si re depositâ , v. g. argento , utatur depositarius contra expressam voluntatem deponentis , si tali usu lucretur aliquid , tenebitur damnum illatum reparare ; quia est in culpa. L. 24. ff. Depositum vel contra. Et C. L. 4. ejusdem tituli , ubi sic habetur. *Si depositâ pecuniam , qui eam suscepit , usus est , non dubium est etiam usuras debere præstare.*

CONSECTARIUM II. Depositarius non peccat , nec ad restitutionem tenetur , quoties seclusâ ejus negligentia & dolo , damnum aliquod enascitur deponenti ; tunc enim , ut supponitur , non est in culpa v. g. si res deposita 1°. Pereat casu , putâ incendio , inundatione. 2°. Si depositarius non valens simul , & rem suam , & rem sibi depositam servare , præferat conservationem rerum suarum deposito. 3°. Si hæres scriptus bonâ fide depositum distrahat ; quia bona fides excusat. Si tamen vendiderit depositum , tenebitur dare pretium acceptum ; quia non potest locupletari re alienâ. Si non acceperit pretium , tenebitur dare deponenti actionem exigendi , vel pretium , vel depositum ; quia debet impedire , ne deponens nocumentum patiatur. 4°. Si depositarius utatur re depositâ cum expressâ vel tacita voluntate Domini si aliquid lucretur , poterit retinere ; quia Dominus censetur solùm exigere rem depositam sibi integrum reddi.

MONITUM. Sequestratio est rei litigiosæ

sequestro commissa custodia autoritate judicis ; id est ad eadem tenetur sequester , ad quem tenetur depositarius. Insuper , si res deposita sit immobilis , putà fundus , tenetur sequester eam rem frugiferam efficere , & fructus deductis expensis vendere , & pretium in manu judicis collocare. Si res verò sit mobilis , v. g. fructus fundi , supellestria , & alia hujusmodi quæ servando , ut dicunt , servari nequeant , tenetur ea autoritate judicis vendere , & pretium in manu publica deponere , ut cedat in bonum illius , ad quem res sequestro commissa pertinet. Totum illud colligitur ex L. 2. ff. Depositi.

ARTICULUS II.

De Pignore & Hypotheca.

Hypotheca est contractus , quo res immobilis obligatur creditori in solutionem debiti , non factâ traditione rei obligata. Pignus est contractus , quo res mobilis obligatur creditori in solutionem debiti , factâ traditione rei oppignorata , juxta illud juris : Propriè pignus dicimus , quod ad creditorem transit ; hypothecam , cum non transit. L. 9. ff. §. 2. De pignoraticia actione.

P R O P O S I T I O I. Traditio & acceptio pignoris & hypothecæ easdem ferè requirunt conditiones , quas exigunt venditio & emptio , his exceptis , quæ venditionem & emptionem ab actione pignoraticia distingunt.

Probatur Ratione. Traditio & receptio pignoris quanidam habent affinitatem cum emptione

tione & venditione : etenim sicuti venditor tradit rem emptori , & ab eo accipit pretium , ita oppignorans tradit rem creditor i , & ab eo accipit pretium , cuius est debitor , eo solùm discrimine , quod emptor accipiat rem in dominium , creditor verò accipiat rem solùm in securitatem debiti : ergo traditio & acceptio pignoris & hypothecæ easdem ferè debent habere conditiones , quas habent emp-
tio & venditio.

Confessaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M . I . Quoad personas.
 Illi solùm possunt tradere rem in hypothecam & pignus , qui possunt vendere , & illi solùm possunt accipere rem in pignus vel hypothecam , qui possunt mutuò dare : quia oppignorans est quasi venditor , & accipiens pignus & hypothecam est mutuator : & ità qui non possunt vendere non possunt oppignorare , & qui non possunt mutuò dare , non possunt res sub pignore vel hypotheca accipere. Vide dicta de venditione & mutuò.

C O N S E C T A R I U M I I . Quoad res . Ille res solùm possunt dari in hypothecam & pignus , quæ sunt in commercio hominum , quæquè sunt in nostra potestate , & quæ ha-
bent æqualitatem cum debito ; si enim non sint in commercio hominum , si non sint in nostra potestate , & si non adæquent debitu m , decipitur creditor ; si verò longè exce-
dant debitum , fraudatur debitor.

Sic res omnes , quæ emi & vendi possunt , v. g. res mobiles & immobiles , res corpora-

les & incorporales, res actu existentes & futuræ, uti emi possunt, ita & in pignus vel hypothecam accipi Juxta illud juris: quod *emptionem venditionemque accipit*, etiam op. *pignorationem accipere potest.* L. 9. ff. de Pignoribus & hypothecis.

Sic res omnes, quæ emi & vendi non possunt, tradi pariter nequeunt in pignus, vel hypothecam: tales sunt, v. g. res sacrae, omne enim, inquit Scriptura, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit, quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino Lev. 27. v. 28. sicuti vendi non poterit, ita nec oppignorari. De quo ita etiam Jus civile: *sancimus*, inquit, nemini licere sacratissima, atque arcana vasorum, vel ad venditionem, vel pignus trahere L. 21. C. de Sacro-sanctis Ecclesiis .. Id tamen licitum erit autoritate publica, pro causâ publicâ, vel ad nutriendos pauperes tempore famis, vel ad repellendos hostes tempore belli, ut dicitur ibid.

Sic res alienæ, sicuti non possunt à nobis vendi, dissentiente Domino, ita nec oppignorari: benè tamèn consentiente Domino, ut habetur L. 20. ff. de pignoraticâ actione.

Sic res omnes, quas leges vetant, vel alienari, vel oppignorari, etsi essent in nostrâ potestate, nequeunt tradi in pignus vel hypothecam, & ita oppignorari non possunt. 1°. Res feudales; eas enim alienari lex vetat, de prohibita feudi alienatione per Fridericum. 2°. Res dotales C. L. unica de rei uxoriæ actione. 3°. Res litigiosæ L. 1. ff. quæ res Pignori

vel hypothecæ datæ. 4°. Res minorum L. i. C. de prædiis & aliis rebus minorum, &c. 5°. Res Fideicommissio obnoxiae. L. finali. C. communia de legatis. 6°. Res bello partæ ; instrumenta artis, v. g. instrumenta aratoria, &c L. i. C. quæ res obligari possunt pignori vel non.

CONSECTARIUM III. Quoad modum oppignorandi. Modus dandi & accipiendi pignus . talis debet esse , ut nec creditor rem sibi debitam perdat , nec debitor bis eamdem summam restituat ; is enim est pignorum & hypothecarum finis , ut creditor dormiat securus , & debitor servetur illæsus.

Sic debitor peccat , & ad restitutionem damni illati tenetur in sequentibus casibus. 1° Si rem viliorem loco pretiosioris oppignoret , v. g. vitrum pro gemmâ , cuprum pro auro , rem sterilem pro re frugiferâ ; quibus fraudibns sit , ut debitum reddatur minus securum ; ut enim peccat , & ad damni restitutionem tenetur venditor , qui rem viliorem pretiosiori substituit ; ita ad idem tenetur , qui similem fraudem committit oppignorando. 2°. Si rem jam obligatam alicui creditori , novo creditori obliget , non præmonendo priorem creditorem : præcipue si res non sit utroque debito pretiosior. Iti enim peccat , qui , re jam venditâ uni , eamdem vendit alteri ; ita & qui rem uni oppignoratam alteri oppignorat. 3°. Si rem pignori datam distrahat , dilapidet , vendat ; etenim per hujusmodi fraudes creditor decipitur , & summa ab eo mūtuò data , minus secura redditur. Et juxta Jus civile debitor sic deci-

piens creditorem, tamquam stellionatus aut furti reus puniendus est. L. 36. ff. de pignoraticia actione. Et si conventum sit, quod debitori non licebit hypothecam vendere, si contra pactio[n]em vendiderit, certum est, inquit Jus, nullam esse venditionem, ut pactio[n]i fuerit. L. 7. ff. de distractione pignorum & hypothecarum

Sic creditor peccat, & ad restitutionem damni illati tenetur in sequentibus casibus. 1°. Si rem pignori datam non custodiat tamquam bonus pater-familias; ait enim Jus civile: ea igitur, quæ diligens pater-familias in rebus suis præstare solit, à creditore exiguntur. L. 14. ff. de pignoraticiâ actione. 2°. Si rem pignori datam, tamquām suam habeat; non enim illius est Dominus, sed custos; ait enim Jus civile: pignus manente proprietate debitori, solam possessionem transfert ad creditorem. L. 35. eodem titul. 3°. Si re pignori data utatur usū, quo fiat deterior; tunc enim debet damnum illud compensare; ita enim jubetur. L. 2. C. de pignoraticiâ actione; ubi sic habes. Quod ex operis ancil'æ, vel ex pensionibus domiñ, quam pignori detineri dicis, perceptum est, debiti quantitatē relevabit, & L. 3. ejusdem tit. Dicitur, quod si agrum deteriorēm constituit, eo quoq[ue] nomine pignoraticiâ actione obligatur; quæ singula, ut fusiūs pateant, sit.

§.

Quotuplex hypotheca & oppignoratio ; quæ licita, & quæ illicita.

PROPOSITIO I. Duplex præcipue distinguui potest hypotheca & oppignoratio; legalis scilicet, quæ à lege independenter à nostro consensu statuitur; & conventionalis, quæ libertâ contrahentium voluntate firmatur.

Probatur Ratione. Hypotheca & oppignoratio venditionem imitantur ex dictis: atqui duplex est species venditionis; altera, legalis quæ sit autoritate legis, etiam contrà voluntatem possessoris; altera conventionalis, quæ sit ex conventione partium; ita & duplex est hypotheca & oppignoratio, altera legalis, altera conventionalis.

Consecutaria hujus Doctrinae.

CONS E C T A R I U M. I. Totiès intervenit hypotheca & oppignoratio legalis, quotiès sunt bona, quæ ex æquitate naturali obligantur aliis; æquitas enim postulat, ut autoritate legis sint certæ res, quæ alias securas efficiant; ut sic bono, tum publico, tum privato provideatur, & sceleratorum hominum fraudes, quantum fieri potest, impediatur. Sic ex vi legis, omni seclusâ conventione, bona quæ hic sujiciuntur, nexu hypothecæ aliis obligantur.

i°. Bona singulorum debentium tributa obligantur fisco; decet enim tributa esse secura

& firma. L. 1. C. ex quibus causis pignus & hypotheca contrahantur. 2°. Bona Tutoris & Curatoris obligantur pupillis & minoribus; ne scilicet qui res suas non gerunt, ab aliis fraudentur. L. 20. C. de administratione Tutorum. 3°. Bona consulum, & bona eligentium consules, Reipublicæ obligantur; ne scilicet publicæ res male administrantur. L. 4. C. quo quisque ordine conveniatur. 4°. Bona mariti obligantur pro dote uxoris; ut dos uxoris servetur indemniss. L. I. §. 1. de rei uxoriæ actione 5°. Bona mariti, qui ducit in uxorem viduam, habentem filios pupilos, si hæc suscepérit eorum tutelam, obligantur iisdem pupillis; si antè initas nuptias, non petatur alius tutor. L. 6. C. in quibus causis pignus & hypotheca tacitè contrahitur. 6°. Bona patris obligantur pro bonis adventitiis filiorum, ne filii incuria patris fraudentur. 7°. Bona defuncti obligantur pro expensis omnibus tum morbi, tum funeris. L. penultima ff. de religiosis & sumptibus funerum. Ne scilicet ægrotantes sine curatione decedant, & cadavera sint sine sepulturâ. 8°. Domus ædificata vel reparata manet obligata mutuatori, qui dedit pecuniam ad hujusmodi constructionem vel reparationem. L. 7. C. qui potiores in pignore. 9°. Bona testatoris manent obligata legatariis, ut scilicet legata non inutiliter absorbeantur. L. I. C. communia de legatis. 10 Fundus emptus non soluto pretio manet obligatus venditori; injustum enim esset venditorem privari & re & pretio rei. L. 13. ff. §. 8. de actionibus empti & venditi. Èdem ratione fundus emptus pecuuiis mutuo

acceptis, manet obligatus mutuatori; modo constet pecunias numeratas esse eo fine, ut emeretur fundus, & de hoc fiat mentio in instrumentis emptionis. 11. Fundus feudal is manet obligatus Domino, cum ejus fundi habeat directum dominium. 12. supellestilia detenta in domo locata manent obligata pro pretio locationis; *illata & inventa pignori erunt obligata*, inquit Jus civile L. 2. ff. quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahatur. Demum generali ratione, quodlibet opus est obligatum suo artifici; meliorationes fundi colono, merces transvectæ vectori, &c.

CONSECTARIUM II. Toties intervenit hypotheca conventionalis, quoties contrahentes specialiter pasciscuntur se velle bona sua obligare; & haec hypotheca est talis, quam contrahentes iniiri volunt, cum omnino dependeat ab eorum arbitrio.

Multiplex assignatur alia est universalis, alia particularis; alia communis, alia specialis.

Hypotheca universalis ea est, quam omnia bona debitoris obligantur; ea scilicet, quæ alienari possunt, v. g. res praesentes, & futurae; nam res non venales, ut jus patronatus, feudum, &c. non subjiciuntur hypothecæ universalis.

Hypotheca particularis ea est, quam bonum aliquod in particulari obligatur, & ultra illud bonum obligatio non extenditur, v. g. censualis pensio obligat sibi fundum, in quo fundatur.

Hypotheca communis ea est, quæ non praesertim alteri, nisi ratione temporis, juxta

hanc regulam, qui prior est tempore, potior est jure.

Hypotheca specialis ea est, quæ ex speciali privilegio præfertur alteri, quâ sit, ut qui est posterior tempore, sit tamèn potior jure.

M O N I T U M. Hypotheca legalis semper justa præsumitur: lex enim nihil nisi justum præcipit; sed hypotheca & oppignoratio conventionalis possunt esse injustæ; quia homines in suis contractibus solent iniquas conditio-nes aliquandò apponere, nisi per legem corrigan-tur; quæ iniquitas sequenti propositione apparebit.

P R O P O S I T I O I I. Totiès illicita est hypotheca, vel oppignoratio, quotiès credi-tor, præter securitatem summae mutuò tra-ditæ, aliquid aliud exigit à debitore.

Probatur. 1º. Ex jure civili: *creditor, in-quit jus, qui pignus accepit, possessor non est, tametsi possessionem habeat, aut sibi tradidam, aut precario debitori concessam: ergo non sibi sed debitori tenet: ergo non potest uti pig-nore, nisi ad solam securitatem debiti.*

2º. Ratione desumpta ex jure civili. Illud est privilegium pignoris & hypothecæ, ut det solùm securitatem creditori nullum verò damnum afferat debitori. Ergò totiès erit in-justa hypotheca & oppignoratio quotiès ap-ponetur aliqua conditio onerosa debitori: *quod enim ex lege, inquit jus, datum est lu-crum, privatus auferre modis omnibus non valet.* Novellâ 22. C 33.

3º. Alia ratione. Totiès injusta est con-ventio, quotiès legibus est contraria; quia ut dicitur L. 38. ff. de pactis. *Jus publicum*

privatorum pactis mutari non potest. Atqui juxta leges creditor nihil potest exigere à debitore, nisi securitatem debiti. Ergo injustè agit, si conditiones onerosas imponat debitori.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccat creditor, & ad restitutionem tenetur, si absque conventione utatur pignore, vel hypothecâ, lucrumvè aliquod petcipiat, si lucrum illud non computet in solutionem debiti; quia tunc contrà legem fructus percipit ex pignore. De quo ita jus Canon. C. quoniam ēde usuris, ubi sic habetur. *Auctoritate præsentium duximus injungendum, ut eos l, qui de possessionibus, vel arboribus, quas tenere in pignore noscuntur, sortem, deductis expensis, receperunt, ad eadem pignora restituenda, sine usurarum exactione, Ecclesiasticâ distributione compellas.* Et C. cum contra. *De pignoribus dicitur. Nos igitur attendentes, quod in talibus perceptio fructuum in solutione sortis accedat: cum secundum canonicas sanctiones fructus restui, & in sortem debeant computari. Ipsas possessiones restituendas esse decrevimus.* Illud idem expressè docet Jus civile. L. i. de pignoraticâ actione; fructus, inquit, ex pignore percepti imputantur in sortem, & si sufficient ad totum debitum, solvitur actio, & redditur pignus. Quod si fructus debitum excedant, superflui redundunt, videlicet motâ actione pignoraticâ.

CONSECTARIUM II. Illicita est convention, in quâ per pactum legis commissorie,

convenit inter debitorem & creditorem, quod res tradita in pignus, vel hypothecam, ad creditorem pertinebit, si intrâ certum tempus non persolvatur argentum mutuò traditum: hæc enim conditio onerosa debitori est contrâ naturam oppignorationis, cuius est solum securum reddere debitum. Ideò pactiones illas reprobat Jus Canon. Significante de pignoribus, ubi sic decernitur. cùm igitur pactum legis commissoriæ sit in pignoribus improbatum. Illud idem expressius improbat Jus civile. L. 3. C. de pällis pignorum, ubi sic Constantinus populum alloquitur: quoniam, inquit, inter alias captiones, præcipue commissoriæ pignorum legis crescit asperitas, placet infirmari eam, & in posterum omnem ejus memoriam aboleri. Si quis igitur tali Contractu laboret, hac sanctione respiret.

CONSECTARIUM III. Illicitum est pactum, in quo convenit, quod debitor non poterit rem hypothecā, aut pignore traditam vendere, & debitum luere: hæc enim conventione non esset traditio pignoris, sed alienatio; ideò Constantinus lege supra citatâ hanc conventionem invalidam declarat, & jubet pignus reddi debitori & summani mutuò traditam solvi creditori, creditores enim, inquit, re hypothecaria amissa jubemus recuperare, quod dederunt. Imo jus civile eam conventionem, quâ debitori interdictur pignus à se datum vendere, ut æquitati naturali contrarium reprobat. Sic enim habet L. 7. de distractione pignorum & hypothecarum. Quæritur, inquit, si pactum sit à creditore, ne liceat debitori hypothecam vendere vel pignus;

quid juris sit , & an pactio nulla sit talis , quasi contra jus sit posita ; ideoque veniri possit : certum est venditionem esse nullam , ut pactioni stetur. Ubi jus fatetur conditionem illam acreditore impositam debitori nullam esse.

CONSECARIUM IV. Aliquando licitum , aliquando illicitum est pactum *antichreos* , in quo convenit , ut fructus pignoris cedant pro usuris pecuniae mutuo datæ.

Illicitum est , si creditor nullum habeat titulum sumendi interesse : tunc enim *antichresis* est usura palliata : cum sumatur aliquid supra sortem , sine ullo titulo lucri cessantis , vel damni emergentis : atque ideo fructus percepti debent computari in sortem , ut dictum est.

Illicitum pariter est idem pactum , si creditor habeat titulum sumendi interesse , & fructus excedant usuras legitimas , ut loquitur Jus civile. Si plus acceptum est , quam usuriarum legitimarum ratio colligit , minime oportet L. 14. C. de usuris.

Licium vero est pactum *antichreos* , si creditor titulum habeat sumendi interesse , & fructus ex pignore percipiendi deductis expensis non excedant interesse : tunc enim fructus interserviunt ad compensandum , vel lucrum cessans , vel damnum emergens. Eam conventionem licitam credit Papinianus , L. 10. ff. de pignoribus & hypothecis , eamque comparat cum venditione conditionata. Nam , inquit , cum emplorem usus fructus tueretur praetor , cur non creditorem tuebitur. Et L. 17. C. de usuris. Eadem conventio his verbis confirmatur ; si ea , inquit , lege possessionem maior sua apud

creditorē suū obligavit , ut fructus in vicem usurārum consequeretur , obtentu majoris percepti emolumēti , propter incertum fructū evenītum , rescindi placita non possunt . Ubi lex duo exigit , & quod fructus sint incerti , & quod legitimas usuras non excedant .

C O N S E C T A R I U M V. Creditor aliquando licetē aliquando illicitē agit , quandō exigit , quod , ad solutionem summæ mutuō datæ , vendatur pignus pro assecuratione debiti traditum .

1°. Illicitē agit , si exigat venditionem pignoris , etiam si egeat pecuniis mutuō traditis , peccatque contrā charitatem , durius exigen- do , quod debitum est , & immisericorditer vendendo pignus , quo fortè debitor indiget : de quo ita scriptura Exod . 22. v. 26. si pignus , inquit , à proximo tuo acceperis vestimentum , ante solis occasum reddes ei . Ipsum enim est solum , quo operitur , indumentum carnis ejus , nec habet aliud in quo dormiat . Si clamaverit ad me , exaudiam eum , quia misericors sum .

Et Deuteronom . 14. v. 12. si autēm debitor pauper est , non pernoctabit apud te pignus , sed statim reddes ei ante solis occasum ; ut dormiens in vestimento suo , benedicat tibi , & habeas justitiam corām Domino Deo tuo .

2°. Illicitē agit creditor exigens vendi pignus , etiam si egeat pecuniis mutuō datis , si in pignoris venditione non observet modum constitutum à lege ; de quā ita Justinianus . L. 2. inst tit . 8. ne creditores , inquit , justum persequi impedirentur , nequè debitores temere suarum rerum dominium amittere vide- rentur , nosfrā constitutione constitutum est , &

certus

certus modus impositus est, per quem pignorum distractio possit procedere. Itaque creditor in vendendo pignore, quæ sequuntur, debet observare.

1°. Sive conventum sit, sive non, quod res oppignorata vendi possit; tamen creditor illam licite potest vendere, debitore existente in morâ solvendi.

Si nihil de eâ venditione convenerit, post unam denunciationem debitori testato factam, ut solvat debitum, & post expectatum biennium, creditor pignus vendere poterit. Si expressè inter partes convenerit de pignore non distrahendo, post factam trinam denunciationem, cum cursu biennii, fieri condemnatio per judicem, petente creditore, ut pignus distrahitur. Si pignus non inveniat emptorem, nec luat debitor; creditor jure Dominii poterit pignus retinere. Totum istud colligitur ex Cod. toto Tit. *De jure Dominii impenetrando.*

ARTICULUS III.

De fide-jussione.

Fide-jusso est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si principalis contrahens non faciat, quod sponsavit. Qui alieno nomine obligatur, inquit ius civile, fide-jussor vocatur. L. 1. ff. §. 8.
De obligationibus & actionibus.

PROPOSITIONE unica. Eadem requiruntur conditiones in fide-jussore, quæ in principali contrahente.

Probatur Ratione. Fide-jussio est quasi accessorium contractus initi ab eo, qui se principaliter obligavit: ergo easdem subit obligationes; accessorium enim sequitur naturam principalis.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Quoad personas.
Illi omnes possunt fide-jubere, qui possunt contrahere, nisi à lege prohibeantur; quia fide-jussio est contractus specialis, qui aliquibus interdicitur.

Sic generaliter omnes, qui sunt sui juris, si per legem specialem non obstat, possunt fide-jubere; quia possunt contrahere.

Sic foeminæ, licet contrahere possint pro seipsis, tamen prohibentur fide-jubere pro aliis, per Senatus-Consultum Vellejanum, ob sexus imbecillitatem; quia levitate magis, quam libertate, mulier videtur consentire. Non adjuvatur tamen mulier Vellejano, si ei renuntiet, si post biennium iterum se obstringat, & pignora det, ad firmandam fidejussionem; quia tunc plenâ libertate videtur fide-jubere.

Sic milites non possunt fide-jubere; quia, cum armis incumbant, non est æquum, ut privatis negotiis occupentur. L. 31. C. De locato & conducto. Sic minores non possunt fide-jubere, propter privilegium, quod habent, restitutionis in integrum.

C O N S E C T A R I U M II. Quoad res. Fidejussio potest fieri pro re honestâ, minimè vero pro re inhonestâ: sicuti pro re honestâ,

non dishonestà , potest fieri contractus.

Sic fide-jussio contrahi potest. 1º. Pro obligatione naturali & civili ; quia id honestum est : *Fide-jussor* , inquit jus , *accipi potest* , *quoties est aliqua obligatio civilis* , *vel naturalis*. L. 16 ff *De fide-jussoribus*. §. 3. Item pro obligatione praesenti & futuræ. *Fide-jussor futuræ quoquè actionis accipi potest*; ut dicitur L. 50. ff. *De peculio*. Imò etiam pro multâ pecuniariâ , quibuscumque hominum delictis inflictâ , fide-jussio dari potest ; quia hæc solutio nihil continet dishonesti. Sed pro delicto personali fide-jussio non potest dari ; quia dishonestum est spondere pro crimine , ut innuitur. L. 46. ff. *De fide-jussoribus*. Æquum enim est , ut reus personaliter puniatur , injustum verò , si alius pro illo puniretur.

CONSECTARIUM III. Quoad modum. Fide jussio talis est quoad modum , qualis est contractus ; quia ut potè accessionum contractus , naturam sequitur contractus.

Sic , regulariter loquendo , fide - jussor ad idem se obligat , ad quod obligatur principalis contrahens ; ita ut plus non debeat fide - jussor , sive quantitatis , sive rei , sive loci , sive temporis , quam debet principalis contrahens ; ne plus sit in accessorio , quam in principali , juxta illud juris. L. 34. ff. *De fide jussoribus*. *Qui accessionis loco promittunt , in leviorem causam accipi possunt , in deteriorem non possunt.*

Sic liberato principali debitore , liberatur fide-jussor ; quia fide-jussor est in supplementum debitoris principalis , juxta illud juris. *Fide-jussor obligari non potest ei , apud quem reus promittendo obligatus non est.*

Sic si contractus principalis debitoris metu aut dolo initus fuerit , aut aliquo casu invalidus sit ; si non ligetur principalis contrahens , non ligabitur fide-jussor. Sic demum si ipse debitor principalis solverit , liberabitur & fide-jussor , juxta illud : *Non est ambigui juris , electo reo & solvente, fide-jussorem liberari. L. 2. de fide-jussoribus tutorum.*

CAPUT IX.

De Contractibus , quibus intervenit aliquod periculum , seu aliqua fors circa eas res , quae sunt materia Contractus.

Quartuor sunt Contractus , circa quorum materiam intervenit semper aliqua fors , seu aliquod periculum. Hi Contractus sunt ludus , asscuratio , sponsio , & societas , de quibus singulis in hoc capite agendum.

ARTICULUS I.

De Ludo & Loteria.

S. I.

De Ludo.

Nota. Ludus est triplex , recreativus , lucrativus , & mixtus ex utroque.

Ludus recreativus est ille , in quo sola intenditur mentis relaxatio , semperque est licitus , modò fiat in debitiss circumstantiis. De eo agemus infra , ubi de vario hominum statu.

Ludus purè lucrativus est ille, in quo intenditur solum lucrum, & semper est illicitus, ut docet Silvius post Divum Thomam. 2. 2. q. 168. art. 3. *Ludus enim, inquit, ad honestam recreationem ordinatur; culpa ergo est hoc ipso, quod per ludum magis intenditur lucrum, quam recreatio; si lucrum ita ardenter intendatur, ut totam mentem occupet, est peccatum mortale*, inquit Tostatus in cap. 6. Math. *Qui, inquit, hoc sola lucrandi intentione ludit, peccat mortaliter; Si lucrum minus ardenter expectatur, erit peccatum veniale; quia mens tunc non fistit in lucro, ut in fine ultimo.*

Ludus mixtus ex lucrativo & recreativo est ille, in quo primariò intenditur mentis relaxatio, secundariò verò modicum lucrum expectatur. Et de eo solum ludo h̄c agimus, solumque definiri contractus, quo ludentes inter se pasciscuntur, ut victori cedat, quod uterque depositit.

Ludus mixtus potest esse triplex; primus est, qui ex solā industriā pendet, ut ludus pilæ, ludus globorum, &c. Secundus est, qui solo casu & fortunā regitur, ut certus quidam ludus taxillorum & cartarum, diciturque alea. Tertius est, qui partim fortunā, partim industriā ntitur, ut non nulli chartarum ludi.

PROPOSITIO I. Ludus mixtus, in quo ludentes inter se pasciscuntur, ut victori cedat, quod uterque depositit, est licitus, modo aliundē nullā pravā circumstantiā vitietur, & modò ludus ille non omnino pendeat à casu & fortuna, sed magis pendeat ex industriā, quam ex casu.

Probatur Ratione. Prædictus ludus est cer-

tamen duorum vel plurium ad animi oblectationem pertinens ; in quo proinde ludentes pascisci solent , ut victori cedat modicum quid , quod depositum est : atqui ille contractus ex se nihil includit vitii , nec ex parte personarum , nec ex parte rerum , nec ex parte modi ; etenim , ut supponimus , ludentes verum habent Dominium rei , quæ ludo exponitur ; res etiam exposita est modica , quam licet ad mentis relaxationem exponi , sicut ad levamen corporis modicum quid interdum exponimus : ludus , ut supponimus , non est per leges prohibitus ; demum omnis fraus , omnis violentia ab eo ludo excluditur : ergo predictus contractus ludi ex nullo capite vitiosus est : ergo est licitus . Fiet vero illicitus , si pravâ aliquâ circumstantiâ vitietur ; quia , ut toties diximus , bonum ex integrâ causâ , malum ex quocumque defectu consurgit.

Consecaria hujus Doctrine.

C O N S E C T A R I U M I . Quoad personas Illi solum possunt ludo mixto ludere , qui verum habent Dominium earum rerum , quas ludo exponunt ; cum enim per ludum in victorem transferatur Dominium rei , quæ ludo exponitur ; illi soli possunt ludo lucrativo ludere , qui rerum quæ ludo exponuntur , verum habent Dominium .

Sic Religiosi , qui non habent rerum , quibus utuntur , Dominium , ludo lucrativo non possunt ludere . 1° . Quia injuriam faciunt communitati , res communitatis ludo exponentes ,

2°. Injustitiam causant colludentibus ; quia isti exponunt pecuniam propriam , illi vero alienam. 3°. Scandalum pariunt Christianis. Nec est , quod dicas , quod superior possit suis Religiosis licentiam dare , ut modicas res lucro exponant ; haec enim licentia non esset in ædificationem , sed in destructionem : nisi ita raro concederet , & ob aliquam causam , quam raro puto contingere posse.

Sic uxor , que non habet rerum dotalium aut ex dote provenientium Dominium , non potest sine licentiâ mariti eas res ludo exponere ; facit enim injuriam marito , res dota-les contra ejus voluntatem dilapidando ; colludentibus injustitiam causat , pecuniam propriam non exponendo , cum isti exponant propriam , demum scandalum parit familiæ. Imò uxor non deberet res paraphernales ludo exponere contra mariti placitum ; tum quia uxor debet marito morem getere ; vir enim caput est mulieris : tum quia maritus ex decentiâ est bonorum paraphernorum curator ; ergo æquum est , ut ea bona non exponantur ludo contra mariti voluntatem.

Sic filii - familias , qui non habent bonorum non castrensum Dominium , non possunt ludo bona non castrensa exponere contra parentum voluntatem : tum quia injuriam patri faciunt , consumendo ludis res ipsius. 2°. Injustitiam faciunt fratribus , alienando res , ad quas isti jus habent titulo hæreditatis. 3°. Fraudant colludentes , exponendo ludo pecuniam alienam , cum isti propriam exponunt. Possunt tamen filii - familias cum consensu parentum bona castrensa ludo ex-

ponere; quia sunt bonorum illorum Domini, imò & possunt ludo exponere res exiguae, quas parentes dant ad honestam recreationem.

Sic Clerici non possunt eam portionem bonorum Ecclesiasticorum, cuius non sunt Domini ludo exponere. 1°. Quia id vetat natura bonorum Ecclesiasticorum, de quibus ita Concil. Parisiens. 6. anno 829. ubi sic habetur. C. 15. *Non sunt res Ecclesiae, ut propriae, sed ut Dominicæ, & à Domino commendatae tractande. Quicumque ergo eas ad suos proprios usus, terrenosque honores, & DELECTATIONES detorquet, quantis sit discriminis, quantoque transgressionis aperte adverti potest.* 2°. Injuriam faciunt Clerici colludentibus, quippe isti pecuniam propriam ludo exponunt, illi verò alienam. 3°. Qui bona illa Ecclesiastica ludo lucratur, non potest ea retinere; etenim Sancta Sanctorum sunt, nullus profanus ex eis comedet, qui comedederit, morte morietur.

CONSECTARIUM II. *Quoad res, que ludo exponuntur.* Ludo exponi non debet ingens pecuniae summa, quæ vel rei domesticæ est necessaria, vel est sublevandæ pauperum inopiaz ex dei institutione destinata. Peccant enim parentes contra justitiam œconomicam, quoties consumunt ludis res familiæ nutriendæ & educandæ necessarias: peccant verò contra charitatem, cum ludo exponunt res pauperibus elargiendas.

Sic modicæ tantum res ludo exponi possunt. Quantitas autem rei, quam ludis licet exponere, certò determinari non potest; hæc enim mensuranda est juxta cuiuslibet dignitatem, conditionem, & facultates. Id unum

ex Cod. Lib. 3. tit. 43. *De Aleatoribus*, afferam, ut possit esse ad instar regulæ. Sed nec permitimus, inquit lex, etiam in his ludis ultra unum solidum ludere, si multum dives sit, ut si quem vinci contigerit, gravem casum non sustineat. Non enim solum bella ordinamus, sed res ludicas.

Nota, quod post examen diligens reperi solidum argenteum circa tempus legis conditæ non excessisse valorem triginta assium nostræ Monetæ.

C O N S E C T A R I U M III. *Quoad naturam ludi.* Licet eo solum ludo mixto mentem recreare, qui legibus non interdicitur; quia leges ut potè in hac materia justæ, obligant in conscientia.

Sie ludi, in quibus vita corporalis præsentí periculo exponitur, non sunt liciti; quia legibus interdicuntur. Tales sunt ludi, in quibus homines, vel contra alios homines, vel contra feras, cum magno viræ corporalis discrimine decertant, ut sunt hasti-ludia, funambulorum ludus, & hujusmodi.

C O N S E C T A R I U M IV. *Quoad æqualitatem.* Illi ludi mixti sunt illiciti, in quibus non servatur æqualitas, vel quoad personas ludentes, vel quoad res ludo expositas.

Sic qui in ludendo est altero colludente longè peritior, non potest licitè cum eo ludere ludo lucrativo; & si aliquid lucretur, tenetur reddere: tunc enim non esset æqualitas. Et cum error dederit causam contractui, quod in eo ludo exponitur, injustè acquiritur, & proinde reddendum est.

Sic qui ludit sine pecuniâ præsente, vel sine animo solvendi, quod ludendo promittit,

illicitè ludit , nec potest lucratice pecuniam præsentem , quam alter colludens exponit ; quia non est æqualitas in illo contractu : & si perdat , quod promisit , modo modicum sit , tenetur solvere ; quia promissio ligat in conscientiâ . Sed si debitum ludo contractum esset ingentis valoris , non teneretur solvere ; quia leges vetant tales promissiones . Ita edictum Ludovici XI . I . Declarons toutes debtes contractées pour le jeu , & toutes obligations , & promesses faites pour jeu , quelques déguisées qu'elles soient , nulles & de nul effet , & chargées de toutes obligations civiles & naturelles . Et jus civile C. Lib . 3 . tit . 43 . De aleatoribus , ut sic habetur . Nulla sequatur condemnatio , sed solutum reddatur .

Sic qui exponit lucro lucrativo pecunias , quarum non habet dominium , v. g. Religiosus , Clericus , uxor , filius - familias , illicitè ludit , nec potest alterius colludentis pecunias ludo acquirere ; & si quid ipse lucratus fuerit , tenetur reddere ; quia pecuniâ , cuius non erat Dominus , acquisivit ; & proinde injuste , & si quid in ludo perdiderit , qui lucrati sunt , tenentur reddere : quia pecunia illa ludo exposita , non erat Clerici , Religiosi , filii - familias , uxoris , sed ad alterum pertinebat , contra cuius voluntatem nec potest ludo exponi , nec à colludente accipi , vel retinerti .

C O N S E C T A R I U M V . Q uoadmodum ludendi . Qui in ludo lucrativo mixto vim , fraudem , & dolum intermiscent , peccant , & id , quod ludo acquirunt , tenentur restituere ; quia contractus , cui vis , fraus , & do-

Ius interveniunt, nulli sunt, & dominium rei non transferunt.

Sic qui vi apertâ alium ad ludendum cogit, metu injusto, dictariis, &c. adigit, illicite ludit, & ludo rem acquisitam tenetur reddere; quia contractus tunc non est voluntarius. Si vero precibus ad ludum attrahat, ludus erit voluntarius; proinde retineri poterit, quod ludo citrâ fraudem acquiretur.

Sic qui fraude, dolo alium ludendo insignerter decipit, rem ludo acquisitam tenetur reddere; quia dolus & fraus circa substantiam contractus nullum efficiunt. Si vero, inquit Silvius, intervenit solum ea industria, eaque soletia, quæ juxta leges ludi solent prudenter arbitrio permitti, res ludo acquisita servari poterit.

P A O P O S I T T O II. Ludus luctatus, in quo vel sola intervenit sors, vel sors insigniter industrie prævaleret, est omnibus Christianis illicitus, præcipue quando in eo exponitur ingens pecuniae summa.

Probatur 1^o. Ex jure Canonico; sic enim habet Concilium Quini sextum. Can. 50. Nullum omnino, sive Clericum, sive Laicum, ab hoc deinceps tempore alea ludere jubemus: qui secus fecerit, excommunicetur.

2^o. Ex jure civili L. 1. ff. De aleatoribus, ubi sic habetur. *Senatus-Consul um vetuit in pecuniam ludere præterquam, si quis ceriet busta, vel pilo faciendo, vel currendo, satiendo, luctando, pugnando; quod virtutis causâ fiat.*

3^o. Ex jure Gallorum; sic enim decernit Sanctus Ludovicus Gallorum Rex. *Inhibemus, inquit, districte, ut nullus omnino ad*

taxillos ludat, sive ad aleas, scachos. Idem dicendum de cartis.

4°. Ratione. Ludus, in quo sors dominatur, aut insigniter industriæ prævalet, est ex natura sua prohibitus, quando ingens pecunia ludo exponitur. Tum quia non decet Christianos sortibus dirigi, sed oportet eos divina providentia gubernari, & in ludis non fortunam spectare, sed industriam suam exhibere, tum quia ingens pecunia non ludo exponenda est, sed vel familiæ nutriendæ & educandæ insumenda, vel in eleemosinas expendenda.

Consecataria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Ludus alearum est omnibus Christianis interdictus: & proinde ab ipsis etiam Laicis non est sectandus: Ideo Concilium Eliberitanum. Can. 79. subjicit poenitentiæ aleatores. *Si quis fidelis, inquit, aleam luserit, post annum poterit communione reconciliari.* Et jus civile. C. de aleatoribus. Lib. 3. tit. 43. L. Finali. *Hac generali lege decernimus, ut nulli liceat in publicis vel privatis domibus vel locis ludere, neque in genere, neque in specie.*

C O N S E C T A R I U M II. Ludus alearum districtius prohibetur Clericis quam Laicis: Laicis enim prohibetur sub poena excommunicationis comminatoria, Clericis vero sub poena excommunicationis, simul & suspensio- nis comminatoria, & in Clericis ebrietati æquiparatur, ut patet ex Can. 42. & 43. *Apostolorum, ubi sic habetur; Episcopus, aut pres- biter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati deser- viens, aut desinat, aut certè communione pri- vetur.*

ueitur. Subdiaconus, aut lector similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. Et titulo de vita & honestate Clericorum, sic habetur. Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Quos Canones innovat & confirmat Trident. SS. 22. cap. 1. de reform.

CONSECTARIUM III. Ludus alearum strictius adhuc prohibetur his, qui domos suas ad prohibitos hujusmodi ludos vendos locant; id enim prohibetur lege civili loco citato Codicis, & jure gallorum; sic enim habet St. Ludovicus: *scholas, inquit, deciorum prohibemus, & prohibere volumus omnino, & tenentes ea districtus puniantur. Fabricae etiam deciorum prohibeantur.* Et edictum Ludovici 13. sic habet an. 1629. *nous defendons & interdisons à tous nos Sujets de recevoir en leurs maisons les Assemblées pour le jeu, qu'on appelle Academies, ou berlans: déclarons des à présent tous ceux, qui y contreviendront, ou qui se constitueront à un si pernicieux exercice, infames, intestables, incapables de tenir jamais Offices Royaux.* Illud idem prohibetur jure Canonico, hoc ipso quod prohibetur ludus; quod adcō verum est, ut Escobar tract. exam. cap. 4. ita pronuntiet: *in foro, inquit, exponem ludo aleæ, non solum peccare mortaliter, sed etiam, si lusores ad restitutionem teneantur, ipsum teneri satisfacere.* Ejus ratio haud dubiè lœc est; quia locans domum suam ad ludendum, injustitiis, quæ in ludo committuntur, cooperatur. Ideò sanctus Carolus Borromæus in suis instructionibus ad Confessarios prohi-

250. MORALIS CHRISTIANA.
bet, ne absolutio impendatur locantibus do-
mos suas ad ludendum.

PROPOSITO III. Qui aleatum ludo
deserviunt, seu ut dicunt, ex professo im-
cumbunt, hi etiam à fortiori, qui quibus-
cumque aleatoribus domos suas ad ludendum
locant, sunt in statu peccati mortalis, &
absolvi non debent, nisi prius resipuerint.

Probatur. 1º. Ex jure Canonico. In allega-
tis supra Canonibus Ecclesia excommunica-
tionem minitatur Laicis, excommunicationem
simul & suspensionem Clericis, qui aleæ de-
serviunt: ergo status illorum est status peccati
mortalis; quia excommunicatio & suspensio
non nisi peccato mortali iustifici debent.

2º. Ex Jure civili. Aleatores vocantur *in-
fames, intestables, incapables de tenir Offices
Royaux*: cum ergo pœnæ illæ sint graves, ar-
guunt legum dictionem sub pœna peccati mortalis
frequentem aleatum usum voluisse interdicere.

3º. Ex Patribus. Autor operis de aleatori-
bus vocat aleam *diaboli venabulum, delicti
vulnus insanabile, crimen mortale, mali alveum,
ubi dementia sine consideratione*. Sactus Ephren
de abrenuntiatione sic habet: *væ aleatum lu-
soribus*; quando quidem se corpore & sanguine
Domini nostri Jesu Christi alienos reddunt, sicut
spiritus Sanctus admonuit per Sanctos Apostolos,
idest per Canones Apostolis adscriptos. Sanctus
Basilius homilia 8. in Hexameron ait loquens
de aleis: *juramenta, inquit, sunt illic, con-
ventionesque per graves, ac avaritia partus. Spi-
ritus malignus assilit, furorem punelis & ossibus
illis ludentium, insaniamque accendens*. Et Chry-
stostomus homil. 15. ad populum sic ait: *aleas*

tractare, non videtur multis esse peccatum, sed infinita vita mala solet inferre.

4º. Ex Theologis. D. Bonaventura in speculo referens causas, cur ludus aleatum prohibetur sub mortali, sic habet: *cum autem, inquit, ludus satis videatur ex radice habere rationem peccati mortalis; quia scilicet ex avaritia videtur procedere; & quia ludo multa communicantur peccata, scilicet frans, mendacium, perjurium, blasphemia, scandalum, amissio temporis, & ira frequenter.* Et Cajetanus in summa loquens deludo aleatum ait: *etsi nullo jure positivo hujusmodi ludus interdictus foret, adhuc tamen lex naturalis manet prohibens, ne quis absque rationabili causa quidpiam assumat, cui sit annexum probabile peccati periculum, cuiusmodi est ludus alearum, praesertim si principaliter ob lucrum instituatur.* Et D. Raimundus in summa lib. 2. tit. 2. sic habet: *ex Canone Apostolorum colligitur, quod peccatum eorum, qui aleæ deserviunt, sit mortale, & grave, cum tales pœnae non sint imponendæ cum levi criminе.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Laici debent ludum alearum, ut peccatum mortale, habere, præcipue si frequenter illi insistant; sic enim habet Toletus lib. 3. cap. 27. *profectò ludus ratione multarum circumstantiarum frequentiis est peccatum mortale; cum tamen magna est summa pecuniarum, vix à mortali excusat.*

Et Angelus à Clavasio in sua summa loquens de alea à Laicis etiam exercita ait: alea

est ludus diabolicus, qui operatione diabolica invenitus est ad inducendum homines ad peccatum.

CONSECTARIUM II. Clerici & Monachi debent ludum alearum, ut peccatum mortale, habere, & hoc potiori jure quam Laici. De hoc ita Soto lib. 4. de Justitia & jure q. 5. a. 2. *Sacerdotibus, inquit, vix circa mortale utiliter ludis veritis, ac praesertim Religiosis & Antistibus ... Accidit, ut ludus sit peccatum propter scandalum personae; qua ratione Clericis ob evorum honestatem interdicti sunt ludi alearum: debent namque lucti potius esse dediti, quam effusis gaudiis.* Et Navarrus in Manuali cap. 20. docet, quod lege ad mortale obligante prohibentur Monachis, & Clerici Beneficiariis, vel in sacris ordinibus constitutis, ludere bujusmodi aleæ ludis, sive fortunæ illicitis notabilem quantitatem, praesertim de fructibus Ecclesiasticorum Beneficiorum... quia in profanum & malum usum redditibus in pium definat.

§. II.

De Loteria.

Nota. Loteria est pactum multorum aliquid in commune deponentium, cessurum his, quibus signa aliqua contigerint.

PROPOSITIO unica. Loteria non est de se illicita, sed potest fieri illicita ex circumstantiis. Ita docent Sylvius in D. Thom. 2. 2. q. 95. Natalis Alexand. lib. 3. de pec. Reg. 18.

Probatur. Loteria potest considerari mul-

tipliciter. 1°. Ut ludus , quo ludentes exponunt aliquid cessurum illis, quibus aliquæ schedulæ sorte obvenerint ; ludus non est illicitus ex se ; ergo neque Loteria. 2°. Ut Contractus emptionis , quo inferentes certam pecuniam emunt jus sortiendi & acquirendi illud , quod sorte contingit : emptio rei incertæ non est illicita : ergo neque Loteria. 3°. Ut donatio conditionalis , quâ inferentes certam pecuniam donant sortientibus illud , quod sors obtulerit : donatio non est illicita : ergo neque Loteria. Potest tamen esse illicita ex circumstantiis , si fiat aliter , quam debet fieri , ex quo inferes Loteriam esse illicitam in sequentibus casibus.

1°. *Quis.* Ratione personæ. Sic Loteria , et si secundum se licita, potest tamen esse illicita, primò Monachis & Monialibus , quibus ratione voti paupertatis nihil licet nomine proprio acquirere : & proinde nihil licet per Loteriam comparare. Secundò Clericis, quibus non licet loteriæ exponere eam pecuniam , quæ ex justitia debetur pauperibus : sunt tamen causas , in quibus nec monachis nec clericis illicita erit Loteria , v. g. si monachi non proprio nomine sed nomine communitatis exponant aliquid Loteriæ Item si Clerici exponant loteriæ id solum , cuius veri sunt Domini.

2°. *Quid.* Ratione objecti, ut si res , quæ per Loteriam acquirenda proponitur, sit contraria religioni, v. g. libri heretici, fuci pigmenta, &c.

3°. *Ubi.* Si fiat in loco sacro.

4°. *Quibus auxiliis.* Ratione rerum , quæ à ludentibus in loteriam inferuntur , ut si

quis non habens rerum dominium exponat res
pretio æstimabiles, v. g. Monachus sine li-
centia superioris, infantes sine licentia patris,
uxores sine licentia mariti, vel si qui habent
rerum dominium, exponant id, quod necessa-
rium est sibi vel familiæ.

5°. *Cur.* Ratione finis. Ut si quis non alio
motivo quam cupiditatis & avaritiae ducatur.

6°. *Quomodo.* Ratione modi. Ut si priva-
tus instituat Loteriam, & velit notabiliter
plus lucrari per loteriam, quam per aliud
Contractum. Imò illicita est loteria, quando
res publica eam instituit ob publicam causam,
& lucrum non insumit in eam causam, pro-
qua statuta fuerat Loteria. Illicita pariter est
Loteria, si non absit omnis fraus.

7°. *Quando.* Ratione temporis. Si loteria
fiat in debito tempore, ut de ludo dictum est.

ARTICULUS II.

De contractu assecurationis.

ASecuratio est Contractus, quo quis
alienæ rei periculum in se suscipit, v.
g. periculum ratis difficile æquor navigantis,
periculum mercium, aut aliarum rerum peri-
elitantium.

PROPOSITIO unica. Contractus assecu-
rationis certo pretio initus, easdem requirit
conditiones, quas requirit Contractus emp-
tionis & venditionis.

Probatur ratione. In assecuratione assecu-
rans vendit certo pretio obligationem illam,
quæ obstringit se securam reddere rem aliunde

maxime periclitantem. Asscuratus emit certo prelio certitudinem illam, quae res aliunde periculis exposita, & salva & secura redditur: ergo asscuratio habet rationem emptionis & venditionis: ergo easdem requirit conditones, quas emptio & venditio.

Consectaria bujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. *Quoad personas.* Illi solum possunt asscurationis Contractum inire, qui possunt emere & vendere; quia asscuratio est quædam species emptionis & venditionis.

CONSECTARIUM II. *Quoad res.* Illæ solum res possunt exponi asscurationi, quæ possunt exponi venditioni; quia asscuratio est venditio.

CONSECTARIUM III. *Quoad modum contrahendi in asscuratione.* Modus essentialis huic contractui est, quod uterque contrahens sit incertus circa rem quam exponit; quia asscuratio fundatur in incertitudine.

Sic, si asscurans certus esset rem esse in tuto, non posset pretium exigere, & si recuperet, teneretur restituere; quia falso titulo acciperet.

Sic si asscuratus certus esset rem jam periisse, non posset pascisci, & si aliquid luctaretur vi illius pactionis, teneretur reddere; quia falso titulo acciperet.

CONSECTARIUM IV. *Quoad pretium.* Pretium in asscuratione debet pensari secundum periculi proportionem; quia cum major vel minor incertitudo sit ratio vel augenda

256 MORALIS CHRISTIANA.
vel minuendi pretium, debet crescere vel
minui juxta periculi proportionem.

ARTICULUS III.

De sponsione.

SPONSIO est Contractus, in quo duo de veritate aut eventu alicujus reicertantes, sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem affectus fuerit, v. g. certotecum centum libris urbem talem obfessum iri.

Sponsio est quasi quædam donatio conditionalis, quæ contrahentes victori donant rem propositam. Victor ille dicitur, juxta cuius affectuationem res evenit.

PROPOSITIO unica. Eadem requiruntur conditiones in sponsione, quæ in donatio ne conditionali.

Probatur ratione. In sponsione spondentes mutuò donant rem propositam victori, id est illi juxta cuius assertionem res dubia eveniet ergo sponsio est donatio pendens ab eventu: ergo est donatio conditionalis: ergo easdem requirit conditiones, quas donatio conditionalis.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Quoad personas. Illi solùm possunt spondere, qui possunt dare, v. g. qui sunt Domini rei, quam spondent; quia sponsio est quædam donatio.

CONSECTARIUM II. Quoad res. Res,

circa quas sit sponsio , debent esse tales , ut jure naturali & positivo sponsioni exponi possint , alias illicita esset sponsio . Sic sponsiones sunt illicitæ , in quibus datur occasio spondentibus faciendi aut optandi aliquid contra legem , v. g. si spondeas cum meditante aliquod crimen , quod non audebit illud exequi ; inflamas enim illum ad crimen re propositam . Si spondeas de vita aut morte aliquius ; das enim ansam aut optandi , aut machinandi mortem illius .

CONSECARIUM III. circa modum , quo fieri debet sponsio . Modus essentialis contractui sponsionis est , quod uterque contrahens sit æquè incertus de re , pro qua spondet ; quia sponsio fundatur in æquali incertitudine ex parte utriusque contrahentis .

Sic , si alter spondentium esset certus de re , pro qua spondet , alter incertus , contractus esset illicitus ; quia non esset æqualitas : unus enim exponeret se periculo , minime vero alius .

Sic . si stante æquali incertitudine unus exponeret longè majorem summam quam alius , illicitus esset Contractus ; quia esset inæqualitas .

ARTICULUS IV.

De Contractu societatis.

Societas est conventio plurium ad negotiationem quæcumque communem aliquid conferentium , v. g. pecuniam , operam , industriam , co onere , ut damnum & lucrum

sit commune , juxta illud juris : *societas cùm contrahitur , tam lucri quam damni communio inicitur*. L. 67. ff. pro socio.

Societas est multiplex alia est in mercibus vendendis & emendis ; alia in agris colendis ; alia in nutriendis animalibus , vel præcisè ad culturam & usum inservientibus , quales sunt equi , muli , boves , vel præcisè ad fœturam inservientibus , quales sunt oves , capræ , porci , vel ad culturam & usum simul & fœturam inservientibus , quales sunt vaccæ , equæ , asinæ ; alia est in redditibus & vectigalibus colligendis ; alia est universalis ceu omnium bonorum ; alia particularis ceu aliquorum tantum bonorum & negotiorum.

Contractus societatis , alias est simplex , alias mixtus,

Contractus societatis simplex est ille , in quo reperitur solum societas . Contractus societatis mixtus est ille , in quo contractui societatis alias adjungitur.

§. I.

De Contractu societatis simplici.

PROPOSITIO I. Contractus societatis non est de se illicitus.

Probatur 1°. Ex cap. per vestras de donat. inter vir. & muli. ubi Inn. 3. approbat contractum societatis his verbis : *mandamus dotem restitui , vel saltem alicui mercatori committi , ut de parte honesti lucri dictus vir onera matrimonii possit sustentare.*

2°. Ex jure civili. *Societatem coire : & re ,*

& verbis, & per nuntium posse nos, dubium non est, L. 4. ff. pro socio.

3^o. Ratione. Negotiatio non est illicita, immo maximè utilis, ut commercium inter homines foveatur: ergo Contractus societatis negotiationem fovens non est illicitus in se spectatus.

PROPOSITO II. Ut Contractus societatis sit licitus, debet fieri. 1^o. Inter personas habiles ad societatem. 2^o. Debet esse de rebus aptis ad societatem. 3^o. Debet servari æqualitas, vel absoluta, vel proportionalis. 4^o. Capitale utriusque debet esse periculo obnoxium.

Probatur ratione. Ex principiis supra statutis, ut Contractus sit licitus, debet 1^o. Fieri inter personas habiles. 2^o. Debet esse de rebus, quæ sint apta materia contractuum. 3^o. Debet servari æqualitas. 4^o. Si capitale pereat, debet Domino perire, & si fructificer, debet Domino fructificare, juxta illud, *res Domino perit, res Dominofructificat*: ergo illud idem debet in societate reperiri, & proinde contractus societatis toties erit licitus, quæties prædicta quatuor includet.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECARIUM I. Quoad personas. Si attendantur contrahentes, Contractus societatis potest iniri à quibuscumque personis, sive æqualibus, sive inæqualibus, modo quatuor prædicta observentur.

Sic pauperes ineunt aliquando societatem

cum divitibus, v. g. colonus cum nobili, rusticus cum mercatore, &c.

C O N S E C T A R I U M II. *Quoad modum contrahendi.* Societas potest iniri, vel absolute, vel conditionatè, vel aliquorum bonorum, vel omnium, prout libuerit contrahentibus, modò quatuor prædicta observentur; quia quilibet Contractus, ac proinde contractus societatis, potest fieri juxta voluntatem contrahentium.

Sic societas fit aliquando in omnibus bonis, aliquando in certis bonis, ut docet jus civile: *societas contrahuntur sive universorum bonorum, sive negotiationis alicujus, sive vectigalis, sive etiam rei unius.* L. 5. ff. pro socio. *In societate omnium bonorum omnes res, quæ coeuntur sunt, continuò communicantur.* L. 1. ff. pro socio. In societate verò speciali sola bona socieratis communicantur.

Sic societas potest fieri licetè, vel absolute, vel sub conditione, vel ad tempus, vel in perpetuum, vel apponendo pœnam contra infractores societatis, vel non apponendo pœnam; quia contractus quilibet pendet à voluntate contrahentium. *Societas iniri potest sub conditione.* L. 1. ff. pro socio. *Societas coiri potest, vel in perpetuum, vel dum vivunt, vel ad tempus, vel ex certo tempore.* Ibid. imò si quis à socio pœnam stipulatus fuerit, pœna subeunda est.

C O N S E C T A R I U M III. *Quoad res.* Si attendantur res, quæ sunt materia contractuum, societas fieri potest circa eam materiam, ex quâ potest aliquod lucrum percipi, modò observentur quatuor prædicta; quia contractus quilibet,

quilibet, & proinde societas, circa debitam materiam est licitus.

Sic societas circa merces vendendas & emendas est licita, servatis servandis, & fieri potest, 1^o. Ita ut unus conferat totam pecuniam, & alius conferat totam industriam. 2^o. Ita ut uterque conferat æqualem pecuniam, & æqualem industriam. 3^o. Ita ut unus conferat majorem pecuniae summam & minorum industriam, & alius è contra conferat maiorem industriam & minorem pecuniae summam, & uterque juxta proportionem rei, quam exhibet, lucrum recipiat, & periculum subeat.

Sic societas circa agros colendos est licita, servatis servandis, & fieri potest, 1^o. Ita ut unus conferat totum fundum, alter totam industriam & semina omnia. 2^o. Ita ut uterque conferat & medium partem fundi, & medium partem culturæ & seminum. 3^o. Ita ut unus & fundum totum exhibeat, & medium partem seminum, & medium partem animalium necessariorum ad arandum, & quilibet juxta proportionem recipiat, lucrum damnumque subeat.

Sic societas circa animalia ad solam foetu-
ram inservientia, quales sunt oves, capræ,
porci, &c. est licita, servatis servandis. Fieri
potest multipliciter. 1^o. Ita ut unus conferat
totum capitale animalium, & alter totum ca-
pitale pascui & curæ. 2^o. Ita ut uterque confe-
rat medium partem capitalis animalium &
medium partem pascuorum & curarum. 3^o. Ita
ut unus conferat totum capitale animalium
& pascuorum, alter vero solam curam adhi-

beat, & uterque juxta proportionem recipiat, lucrum & damnum subeat.

Sic societas circa animalia ad solum usum inservientia, quales sunt equi, muli, boves, est licita, servatis servandis. Fieri potest multipliciter. 1^o. Ita ut unus totum capitale animalium conferat, alter vero totum capitale pascuorum & curarum, & quilibet lucrum proveniens, vel ex incremento, si adsit, vel ex usu animalis juxta suam proportionem recipiat. 2^o. Ita ut uterque mediam partem capitalis, pascuorum, & curarum apponat. 3^o. Ita ut unus totum capitale animalium & pascuorum ponat, alter vero solam curam, & quilibet lucrum juxta suam proportionem recipiat, lucrum & damnum subeat.

Sic societas circa animalia ad foeturam simul & usum inservientia, quales sunt vaccæ, equæ, asinæ, est licita, servatis servandis. Fieri potest multipliciter, uti dictum est de animalibus, vel ad solum usum, vel ad solam foeturam inservientibus.

Sic societas circa vectigalia colligenda, & redditus, & census congregandos, est licita, servatis servandis. Fieri solet, cum multi operas suas uniunt, ut vectigalia, vel censuales redditus colligant, & lucrum & damnum commune sentiunt.

P R O P O S I T I O III. Toties contractus societatis est illicitus, quoties non servatur æqualitas inter ea, quæ utrimque præstantur.

Probatur 1^o. Jure civili. *Societas cum contrahitur, tam lucri quam damni communio initur.* L. 67 ff. Pro socio.

2^o. Ratione, Rerum æqualitas requiritur in

otini contractu; quia justitia violatur, quoties res, quæ sunt materia contractus, non reducuntur ad æqualitatem: ergo æqualitas in societate specialiter requiritur; quia est quædam quasi fraternitas, juxta illud: *Societas jus quodammodo fraternitatis in se habet.*
L. 63. ff. Pro socio.

Consectaria kujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Illicita est societas, in qua alter sociorum nihil ponit, nec pecuniam, nec operas, nec instrumenta, v. g. navem, currus, nec animalia ut equos, boves, oves, &c. Et tamen lucrum ali quod percipit; quia non est æqualitas, & vocari solet societas leonina, ut habetur. L. 29. ff.
§. 2. Pro socio.

Sic nobiles, qui volunt aliquid lucri percipere ex societate mercatorum, vel eorum, qui colligunt vestigalia, ex eo solum, quod vel spondeant pro illis, vel eos suâ auctoritate tueantur, peccant & ad restitutionem lucri accepti tenentur.

CONSECTARIUM II. Illicita est societas, in qua uterque sociorum ponit aliquid; lucrum verò & damnum non est commune; adeò ut uterque lucrum accipiat, alter verò sociorum nullum damnum sentiat; quia non est æqualitas. *Iniquissimum societatis genus est,* inquit jus civile, ex qua quis damnum, non etiam lucrum, expectat. L. 67. ff. Pro socio.

CONSECTARIUM III. Illicita est societas, in qua uterque sociorum lucrum & damnum non partiuntur juxta legitimam pro-

264 MORALIS CRISTIANA.
portionem; quia tunc non servatur æqualitas.
Æquum enim est, inquit lex, ut cuius æquè
participabit lucrum, æquè participet & damnum.
L. 67 ff. Pro socio.

CONSECTARIUM IV. Illicita est societas, in quâ capitale utriusque socii æqualiter non periclitatur; quia tunc non servatur æqualitas. Neque fiat paſtio, inquit, Concilium Mediolanense primum, ut sors salva sit, frāc-
tus verò communiter dividantur.

Sic pecunia debet perire deponenti pecu-
niā, industria debet perire apponenti in-
dustriam, lucrum expectatum tum ex pecuniā
tum ex industriā, debet perire utriusque, si
non eveniat; sicut cedit utriusque, si contin-
gat. Sicuti lucrum, ita damnum quoque commu-
ne esse oportet. L. 52. §. 4 ff. Pro socio.

PROPOSITIO IV. Ut distributio dam-
ni, vel lucri ad justam æqualitatem rediga-
tur, debet fieri cumulus cujuscumque sortis,
v. g. pecuniæ, operarum, industriæ, & sin-
gulis æstimatis juxta suum valorem, assignari
debet cuilibet deponenti tantum lucrum, &
tantum damnum, quantum exigit sors de-
posita.

Probatur 1º. Constitutione Sixti V. quæ in-
cipit detestabilis. Contrahentes societatem fruc-
tus, expensas, & damna in commune conferant,
& prout æquum & justum fuerit, sibi commu-
nicent atque dividant.

2º. Jure civili. Ita coiri posse societatem
non dubitatur, ut alter pecuniam conferat, alius
non conferat; & tamen lucrum inter eos com-
mune sit: quia sèpè opera alicujus pro pecuniā
valeat. L. 3. Inst. tit. 26. §. 2. De societate. Quia

Sepè quorumdam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliori in societatem admitti. Ibid. 3°. *Quia justa æqualitas, nec aliter cognosci, nec aliter pensari potest, quam facto illo, cumulo & illo examine.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Si pecunia deposita sit pretiosior operâ, deponens pecuniam majus lucrum percipiet.

Si è contra industria sit pretiosior, apponens industriam majus lucrum percipiet, si utrumque sit æquale, uterque æquale percipiet lucrum, & æquale sentiet dāmnum; quia in hoc sita est æqualitas.

CONSECTARIUM II. Quidquid alter sociorum apposuerit ad societatem sive pecuniæ sive industria, computabitur in sortem, si datum vel factum fuerit causâ societatis, minimè si ob aliam causam vel factum vel datum fuerit, de quo ita jus civile: *Eos dantazat sumptus imputabit societati, qui in eam penſi sunt.* L. 51 ff. Pro soclo. §. 15. In hoc enim servatur æqualitas.

Sic si alter sociorum causâ societatis dānum aliquod patiatur, vel quia iter agens pro societate à furibus comprehensus est, vulneratus est, spoliatus est, &c. debet dānum illud expensis societatis compensari; quia vacabat negotiis societatis. Si verò id contingit, dum sua, & non societatis negotia gereret, dānum illud non compensabitur.

CONSECTARIUM III. Lucrum dā-

numve per se sequens ex societate commune erit, sed lucrum damnumve sequens per accidens ad societatem, & non ex societate, non erit commune, sed illius cuius occasione contigit, vel lucrum, vel damnum, in hoc enim servatur æqualitas.

Sic si quis vel pecuniâ, vel industria suâ apposita societati, aliquid lucretur, vel damnum aliquod patiatur, totum erit societatis; quia pecunia & industria apposita societati, & perit, & fructificat societati.

Si quis verò vel pecuniâ, vel industriâ suâ, sed non apposita societati, aliquid lucretur, vel damnum aliquod patiatur, totum illud ejus erit, & non societatis: pecunia & industria non apposita societati perit & fructificat Domino, & non societati.

Sic si quis non ob societatem, sed occasione societatis, quia cognitus est vir probus, vir gratus, &c. ab aliquo institutus est haeres, aut quid ei donatum sit, illud non debet venire in medium societatis, sed in utilitatem propriam. L. 60. ff. *Pro socio.* Hoc ultimum non habet locum in societate omnium bonorum, in quo omnia fiunt communia sociis.

§. II.

De Contractu societatis mixto.

PROPOSITIO I. Contractui societatis non potest adjungi aliis contractus, qui leges societatis destruat, & si adjungatur contractus ille mixtus erit illicitus: Ideò illicitus est contractus, in quo primò initur societas,

secundò securum redditur capitale unius socii ab altero socio, tertio venditur lucrum incertum expectatum pro certo etiam si minori.

Probatur i^e. Constitutione Sixti V. quæ incipit, *detectabilis. Damnamus, inquit, & reprobamus omnes & quoscumque contractus conventiones, & pactiones post hæc ineundos vel, ineundas, per quos seu quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, ut etiam si fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contigerit, sors ipsa seu capitale semper salvum sit, & integrum restituatur à socio recipiente, sive ut de certâ quantitate vel summa in singulos annos, vel menses durante societate respondeatur, statuimusquæ hujusmodi contractus, conventiones, pactiones usurarios & illicitos censeri debere.*

Nec dici potest eam constitutionem editam fuisse à Papa, non prout est caput Ecclesiæ, sed prout est Dominus temporalis: quippe ibi summus Pontifex explicat jus divinum omnem prohibens usuram, & mandat Ordinariis, ut eam constitutionem publicam reddant: *Et inviolate observari curent, & contra inobedientes, tamquam in publicos usurarios procedant.* Nec eludi pariter potest hæc constitutio, afferendo quod non fuerit ab Episcopis recepta; quippe Clerus Gallicanus, an 1578. & Concil. Burdigal. an 1583. idem ex professo docent, quod summus Pontifex: ergo signum est eam constitutionem receptam esse in Gallia. Cujus acceptationis signum quod leges municipales Biturgenses tit. 17. a. 4. & Ni-

vernensi. cap. 21. a. 3. & Borbonienses societatem illam, in qua omne periculum animantium est accipientis, tamquam leoninam declarant.

2°. Ex facultate Parisiensi, quæ anno 1665. damnavit sequentem propositionem tamquam falsam, & scandalosam: *Si contractus societatis superaddantur contractus assencionis capitalis, & venditionis lucri incerti pro lucro certo, ex vi horum licitum est exigere lucrum certum salvâ sorte.*

3°. Ex D. Thoma 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5. de ratione *Contractus societatis est, quod sors deposita periretetur deponenti: ergo non potest secura reddi ab altero socio; quia alijs iste contractus assencionis destrueret contractum societatis.* En verba sancti Doctoris: *Ille, qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis cuiusdam, non transfert dominium pecuniae sue in illum, sed remanet ejus; ita quod cum periculo ipsius mercator de eâ negotiatur, vel artifex operatur: & ideo licet potest partem lucri inde provenientis expetere tamquam de re sua.*

4°. Ex D. Antonino Pap. 2. tit. 7. §. 3. ubi sic habet: *Talis contractus est illicitus, ex quo periculum spectat ad recipientem.*

5°. Ratione. Contractus ille societatis mixtus pluribus titulis est illicitus. 1°. Palliatur sub illo contractu usura, quoties enim mutuum à me petieris, dicam nolo mutuare, sed dabo tibi mille nummos ad societatem addani postea pactum de assencione sortis & lucri moderati, donec sortem restituas. Quid est aliud, nisi date mutuum, & ex vi mu-

tui lucrum percipere, quod usurarium est.
2°. In illo contractu societatis mixto, res non perit Domino, & tamen illi fructificat; quod injustum est. 3°. In eodem contractu societatis mixto conditio utriusque socii est inæqualis, cum sors unius periclitetur, minimè verò sors alterius; quod iniquum est, & societati repugnans.

Nec est, quod dicas sortem posse reddi securam à tertia personâ, cur idem non poterit fieri à socio solutio aperta est. 1°. Id non prohibetur fieri à tertia personâ, bene tamen à socio. 2°. Persona existens extra societatem non potest uti societate ad palliandam usuram, cum ipsa nihil mutui det, sed ille tantum qui societatem init, eo contractu utitur ad tegendam usuram, quam percipit re vera ex mutuo sub ficto nomine societatis.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Illicitus est contractus societatis mixtus, in quo datur pecunia mercatori eo pacto, ut secura reddatur per mercatorem, & tamen qui dedit eam pecuniam, lucrum aliquod percipiet. 1°. Enim lucrum non potest percipi vi mutui; quippe hoc est usurarium. 2°. Non potest pariter percipi vi societatis; ibi enim non est societas justa, ubi sors non perit deponenti: Ita videtur determinatum cap. *Naviganti de usuris*, ubi sic habetur: *naviganti, vel eunti ad nudinas certam mutuans pecunie quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius censendus est.*

CONSECTARIUM II. Illicitus est contractus societatis, in quo datur fundus excolendus ab agricolâ, eo pacto, ut juxta proportionem dividantur fructus inter agricolam & fundi dominum, & insuper additur ea conditione, quod persolvatur aliquid à colono, etiam si casu, v. g. grandine, nebula, &c. fructus fundi perierit; quia tunc industria coloni pericitatur, minimè verò fundus domini.

CONSECTARIUM III. Illicitus est contractus ille socieratis mixtus, in quo dantur animalia in societatem eā conditione, ut capitale, vel in toto, vel in parte securum reddatur per recipientem, etiamsi citra dolum & negligentiam recipientis solo fortuito casu perierit; res enim debet Domino petire. De quo ita Concilium Mediolanense. I. P. 2. tit. de usuris. In societate, inquit, animalium, quae inestimata aliui dantur ad custodiâ, sive ut operas præstet, omnes casus ejus fortuiti semper sunt periculo ejus, qui dederit, nisi id alierius socii dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit, nec fiat pactum, ut sors sit semper salva etiam ex primis fætibus, neve quidpiam certum præter sortem ex fructibus animalium quotannis solvatur.

CONSECTARIUM IV. Illicitus est ille contractus societatis mixtus, in quo ad salvandum capitale post societatem initam, supervenit factus alius contractus, vel mutui, vel venditionis; quia illi contractus sunt oppositi, unusque per alium destruitur.

Sic illicitus est contractus, quo primū dantur animalia in societatem. 2º. Dantur mutuo eadem animalia cum eo onere, ut talia

restituantur, qualia data sunt; adeò ut ex vi mutui debeant reddi mutuatori eadem, vel similia animalia, ex vi verò societatis dans animalia possit partem lucri percipere. Talis quippe pactio est injusta; nam si vigeat contractus societatis, æquum est, ut lucrum juxta dantis & accipientis proportionem dividatur; sed oportet, ut capitale pereat Domino, si casu perierit.

Si verò vigeat mutuum, justum est, ut res pereat mutuatario recipienti, sed totum lucrum est mutuatarii; quia sicut res domino perit, ita & fructificat.

Sic Illicitus est contractus, quo primò dantur animalia in societatem, secundò æstimantur, & venduntur socio cum eo onere, ut eorum pretium restituat, & interim luctum proveniens ex societate dividatur. Talis pactio est injusta; quia si vigeat contractus societatis, lucrum debet dividi secundum proportionem dantis & accipientis stante tali contractu; si capitale pereat casu, debet pertire Domino.

Si verò vigeat contractus emptionis, post emptionem capitale pertinet ad emptorem; idèò si pereat, debet perire emptori, si verò fructificet, totum lucrum est emptoris: quia sicut res Domino perit, ita res Domino fructificat.

CONSECTARIUM V. Illicitus est contractus societatis mixtus, in quo capitale secundum redditur ab uno ex sociis, quamvis deponens capitale illud faciat non animo conservandi, & exigendi capitale, si casu pereat, sed animo reddendi socium cau-

tiorem in conservando capitali. 1°. Quia non licet mentiri maximè in contractu publico; hic autem deponens mentitur, fingens velle se exigere capitale, cum revera non vult. 2°. Quia Contractus ille, ut pote usurarius, scandalum parit. 3°, Quia si contrahens decebat ab intestato, hæredes insciij intentionis testatoris juxta rigorem contractus exigent capitale, quamvis casu perierit.

PROPOSITIO II. Contractus societatis potest uniti cum aliis contractibus, modò illi contractus leges veræ societatis non destruant.

Probatur ratione. Contractus societatis potest fieri juxta beneplacitum contrahentium: ergo potest fieri vel solus, vel simul cum aliis contractibus, modò illi Contractus leges veræ societatis non destruant.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Licitus est Contractus societatis mixtus, quo quis volens inire societatem cum alio, qui non habet pecunias, quibus societatem ineat, 1°. Dat illi mutuò pecuniam, v. g. centum nummos, 2°. Ille similiter centum nummos apponit, & ex ducentis illis nummis emuntur, vel merces, vel animalia, &c. quæ post emptionem, nec sunt mutuatarii, nec mutuantis, sed individualim utriusque: & si pereant, pereunt utrique, & tamen mutuatarius remanet debitor centum nummorum. Ille Contractus societatis, et si mixtus, est licitus, modò servetur æquitas, & communio sit lucri & damni juxta proportionem

proportionem dati & accepti ; quia mutuum præcedens societatem non destruit societatem.

CONSECTARIUM. II. Licitus est contractus societatis mixtus , in quo quis v. g. dives volens inire societatem cum alio , v. g. paupere , qui non habet materiam , quā ineat societatem , dives dat pauperi non pecuniam , sed rem , v. g. dat merces mercatori , dat animalia rustico. Hæ merces , & hæc animalia æstimantur ab æquis æstimatoribus ; & per talē æstimationem à divite implicitè venduntur pauperi quoad medianam partem , & retinentur à divitè quoad aliam medianam partem ; quia æstimatio facta intuitu venditionis facit venditionem. Per co tractum illum venditionis pauper remanet in omni casu obligatus ad solvendum pretium illius medietatis , quam emit , postea & pauper & dives ineunt societatem , & quilibet ponit suam medietatem in societate ; tunc totus fundus societatis pertinet indivisiū ad utrumque , & si perierit , perit utriusque. Ille Contractus est licitus , modò servetur æqualitas , & communio lucri & damni juxta proportionem dati & accepti ; venditio enim præcedens societatem , non destruit societatem , fundaturquè supra hanc legem : *Æstimatio venditio est. L. æstimatæ ff. soluto matrimonio & L. plerumque ff. de jure dotium.*

Initur plerumque societas hoc modo potissimum circa animalia. 1°. Dives dat animalia non habenti. 2°. Ea animantia æstimantur absque intuitu expressæ venditionis. 3°. Dives animantia se habet ut eorum Dominum etiam

post aestimationem; ita ut neque aperte, neque tacite velit transferre eorum dominum in accipientem; quamvis non explicitè dicat, nolo tibi vendere animantia, volo semper esse eorum Dominus, & si indiguero, vendam, cum libuerit; sed dicit tantum, do tibi animalia in societatem, do, inquam, animalia ea conditione, ut si etiam fortuito casu perierint, medium eorum pretii partem solvas; lucrum verò, si quod eveniat, æqualiter inter nos dividemus. Hunc contractum Gallicè vocant, *Gazaille*, *chatelet moyiè perte*, *moytiè profit*. Mitto alias circumstantias, quæ respiciunt æqualitatem, vel inæqualitatem, in quibus potest servari vel violari justitia, quæque circumstantiæ variaz sunt juxta varias locorum temporumve rationes.

Sisto in discussiendo predicto contractu, qualem exposui, & dico hunc contractum esse illicitum hoc ipso, quo quis retento sibi totius rei in societatem traditæ dominio, vult ut accipiens animalia medium eorum partem etiam fortuito casu & nullâ suâ culpâ pereuntem indemnem servet; est enim ille Contractus omnino contrarius huic principio juris: *res Domino perit*; nam quæcumque interveniat aestimatio, res non potest dici vendi nolente Domino.

Si tamen Dominus vellet vel expressè vel tacite per aestimationem accipienti vendere medium partem animalium, & accipiens nosceret se per predictam aestimationem fieri Dominum medietatis emptæ & traditæ in societatem, per quam animalia collectivè sumpta

æquè ad accipientem ac ad tradentem pertine-
rent; tunc contractus ille esset licitus, modo
in aliis circumstantiis servaretur æqualitas:
tunc etiam posset dividì licetè inter utrumque
lucrum & damnum, ut supra dictum est. Quod
de societate animalium in isto casu diximus,
de aliis rebus in societatem traditis intelligi
debet; scilicet quod sors æstimata absque in-
tuitu venditionis Domino pereat.

§. III.

De mutua obligatione in euntium societatem.

PROPOSITIO unica. Statutis pactis &
conventionibus legibus societatis consentaneis,
statutâ æqualitate rerum, de quibus
initur societas; sociorum quilibet debet ins-
picere fundum societatis quasi rem suam, ut
eum conservet & adaugeat; & inspicere eun-
dem fundum societatis quasi rem alienam, ne
sibi aliquid fundi appropriet: qui secus egerit,
peccat; & si damnum afferat, tenetur ad res-
titutionem.

Probatur 1°. Ex jure civili. In contractibus
societatis fides exuberet L. 3. C. pro socio. In
prædictis autem Officiis sita est illa fidei exu-
berantia: ergo prædicta debent observari ab
his, qui societatem inierant.

2°. Ratione. Sumptis simul diversis sorti-
bus ejusdem societatis, nempe hinc pécuniâ,
animantibus, pascuis, & similibus; inde in-
dustriâ, curâ, labore, & hujusmodi pretio
æstimabilibus, quæ omnia simul collecta uni-
versum fundum societatis constituant: Ille

cumulus exurgens ex singulis sortibus ex omnium sociorum collectivè , & disjunctivè nullius : ergo tenetur quilibet res illas quasi suas curare , & ab illis quasi alienis abstinere , quando autem damnum teneatur reparare , qui fidem in societate non servat , his verbis comprehendiosè explicat Antoninus : *In societate damnum procedens ex naturâ rei traditæ pertinet ad tradentem , sequens ex culpa negligentiae ad suscipientem , ex fortuito casu spectat ad utrumque . P. 2. tit. 1. cap. 7. §. 39.* Nempe ut quilibet pars sortis , quæcumque sit , suo Domino pereat , scilicet pecunia apponenti pecuniam , animal apponenti animalia , industria apponenti industriam .

Consectaria bujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. *Pro eo , qui tradit rem , quæ est materia societatis . Qui apponit res , v. g. pecuniam , merces , pecora , debet res sanas , & non corruptas apponere , v. g. pecuniam veram , & non adulteratam , merces bonas , & non fucatas , pecora sana , & non morbida . Quod si quod conventum est , non attulerit , tenetur damnum & societati & Reipublicæ enascens reparare ; quia ex D. Thom. *Qui dat occasionem damni , & pereat , & tenetur ad restitutionem .**

Sic qui apponit res corruptas , si vitio suo pereant , damnum omne refunditur in eum , qui res adulteratas apposuit , v. g. si moneta adulterata fisco addicatur , si merces fucatae putrefiant , si animalia morbida pereant , totum illud imputabitur deponenti juxta illud

S. Antonini : *Damnum procedens ex natura rei traditae pertinet ad tradentem.*

CONSECTARIUM II. *Pro apponente industriam in societate.* Qui apponit industriam, talem debet apponere, qualem suis rebus adhiberet; quia causa societatis non ipsius solius est, sed omnium simul sociorum, sic si res pereant, vel culpâ, vel dolo ipsius, tenebitur restituere.

Sic si pastor pecora sibi commissa negligentiâ perire permittat; si mercator merces sibi traditas, vel incuriâ corrupti, vel diligentia subtripi, finat, ad restitutionem tenebitur: quia custodiam præstare debuit L. 52. ff. pro socio. §. 23.

Sic si pastor ex dolo pecora morbida pro sanis substituat, aut ea in scio Domino vendat, & mortua mentiatur; si mercator merces sibi traditas bonis adulteratas substituat, & eas labefactatas fingat aut eas in scio socio vendat & casu periisse simulet, ad restitutionem tenebitur. Quia socios inter se dolum & culpam præstare oportet. L. 52. ff. pro socio §. 3. si verò socius non minorem adhibeat industriam; quam rebus suis, tunc ad nihil tenetur, imputentque sibi socii, quod negligentem socium elegerint. Sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet, quilibet homo prudens §. ult. instit. de societate lib. 3. tit. 26.

CONSECTARIUM III. *Pro utroque socio.* Neuter sociorum potest se gerere, quasi solus esset Dominus fundi cumulum societatis constituentis, sed solum quasi Dominus una cum sociis; quia revera res societatis

nullius est disjunctivè ; sed est omnium sociorum collectivè.

Sic neuter sociorum potest sibi privatim res societatis attribuere ; si secùs fecerit , reus furti habebitur. *Rei commandis nomine cum socio furti agi potest , si per fallaciam dolo malo amovit , vel rem communem celandi animo contrectavit ,* inquit jus civile L. 45. ff. pro socio.

Sic neuter sociorum potest damnum causatum societati debitibus officiis erga societatem compensare ; quia compensatio non potest fieri ex aliundè debitibus: *non compensatur ,* inquit lex, *compendium cum negligentia* L. 16. ff. pro socio.

Sic neuter sociorum potest totum fundum societatis obligare , nisi deputetur à societate : *nemo ex sociis potest plus parte suâ alienare* L. 68. ff. pro socio.

Sic neuter sociorum debet pati solus totum damnum societati obveniens casu , sed omnes collectivè; quia omnes collectivè sunt Domini. *fatalia autem damna socii non coguntur præstare.*

Sic neuter sociorum potest quotam suam portionem nisi finità societate distrahere.

C O N S E C T A R I U M . IV. *circa dissolucionem societatis.* Neuter sociorum potest intempestivè sine causâ legitimâ dissolvere societatem . & qui injustè dissolvit , tenetur ad restitutionem damni ; quia in omni contracta servandæ sunt pactiones , & qui violat justitiam , tenetur restituere. *Si intempestivè renuntietur societati , esse pro socio actionem* L. 14. ff. pro socio. Dissolvitur autem justâ de causâ sequentibus modis.

¹⁰ Mutuo sociorum consensu ; quia iisdem causis dissolvitur , quibus constituitur. *Diximus dissolvi societatem dissensu ,* inquit lex ,

hoc ita est, si omnes dissentiant. L. 65. ff. pro socio §. 3.

2°. Si tempus desierit; quia non ultrà extenditur obligatio societatis. Quod si tempus finitum est, liberum est recedere; quia sine dolo malo id fiat L. 65. ff. pro socio §. 6.

3°. Si negotiis societatis impositus sit finis; quia non ultra patet obligatio. Item si alicujus rei societas fit, & finis negotio impositus, finitur societas L. 65. ff. pro socio §. 10.

4°. Si alter sociorum fiat insufficiens ad societatem persequendam; putà quia egestate premitur, bonis suis cessit morbis laborat, &c quia tunc non potest pactis stare. Dissociamur, inquit lex, egestate. L. 4. ff. pro socio. Item bonis à creditoribus venditis unius socii distrabi societatem Labeo ait L. 65. ff. §. 1. pro socio. Item si quis bonis suis cesserit. . . . Sed hoc casu si adhuc consentiant in societatem, nova videtur incipere societas. lib. 3 inst. tit. 26. de societat. §. 8.

5°. Morte alterius sociorum; quia tunc non potest pactis stare. Morte unius societas dissolvitur, ei si consensu omnium coita sit, plures verò supersint, nisi in coeundā societate aliter convenerint. L. 65. ff. §. 9. pro socio. Hæres autem socii lucro & damno negotiorum ante mortem initorum communicat; minimè verò negotiis post mortem testatoris seu ineundis nisi novo consensu admittatur in societatem. Hæres, ait lex, socius non sit, nisi fuerit adscitus; verum tamen omne emolumentum societatis ad eum pertineat, simili modo & damnum agnoscat L. 63. ff. pro socio §. 8.

6°. Finita vel dissipata societate sit com-

putatio omnium expensarum , sortium , &c. ut cuiuslibet detur lucram juxta debitam proportionem & damnum pariter juxta eandem proportionem quilibet patiatur ; quia æqualitas non potest aliter observari , ideo ait lex . *Et si distracta esset societas , nihilominus divisio rerum superest.* L. 65. ff. pro socio §. 13.

§. IV.

De societate in matrimonio & in bonis dotalibus.

Matrimonium contractus est , qui societas conjugalis dicitur ; quatenus contractus eiusdem muniri debet conditionibus , quas in contractibus exigimus ; quatenus vero societas eiusdem legibus subjacet , quibus aliæ societates : sed quia speciales possunt esse difficultates circa bona dotalia , ideo de his hic agemus .

Dum femina in' matrimonium , potest habere bona dotalia , & bona paraphernalia . Bona dotalia sunt ea , quæ marito dantur ad sustinenda onera matrimonii , quorum usufructum habet maritus . Bona paraphernalia sunt ea , quæ extra dotem sunt , quorum dominium & usum habet mulier . De utrisque agendum .

P R O P O S I T I O I. Vir non habet proprietatem bonorum dotalium , sed usufructum , & eorum tutelam . Itaque mulier habet bonorum illorum dominium proprietale ; vir vero dominium utile , & curam bonorum illorum gerere debet .

Probatur 1°. Ex jure civili. *Quamvis in bonis mariti dos sit, mulieris tamen est L. 75. ff. de jure dot.. Dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas suggestit.* L. 7. ff. de jure dot. *In rebus dotalibus virum præstare oportet tam dolum quam culpam; quia causa suâ dotem accipit.* L. 17. ff. de jure dotium. Ergo maritus non habet rerum dotalium dominium, sed solum usufructum, & eorum tutelam.

2°. Ratione. Illa omnia exigit, 1°. Natura bonorum dotalium, quæ illæsa conservari debent, 2°. Debilitas sexus fœminei; fœmina quippe rebus gerendis impar curatorem rerum suarum virum habere debeat, 3°. Illud pariter exigit officium virtutis erga uxorem, cum caput sit mulieris, sicut mulierem, ita & mulieris bona gubernare debeat. Demum illa est intentio dotem constituentium; quippe si pater dotem constituant, ad eum dos reversura est, si dotata filia sine liberis decesserit: ergo dos debet præstari indemnissim à viro. Si alii constituant, ut plurimum eandem apponunt conditionem: ergo dos debet semper præstari indemnissim curâ viri.

S. V.

Vir non est proprietarius fundi dotalis.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Vir consentiente uxore, aut uxor consentiente viro, nequeunt bona dotalia vendere, nec oppignorare, nec eadem novâ servitute onerate, vel ea bona

servitute , quā gaudent , privare , nisi in
ingente necessitate , & hoc autoritate iudicā.
Ita jubet jus civile : fundum dotalē non solum
hypothecā titulo dare ne consentienē muliere ma-
rius possit , sed nec alienare ; ne fragilitate sue
naturae in repentinam deducatur inopiam . L.
unicā C. de rei uxoriæ act. §. 15. neque jus
permittit servientes fundo debitas posse maritum
mittere , neque ei alias imponere . L. 5 ff. de
fund. dotal. Quod tamen illud liceat urgente
necessitate : uxori , inquit lex , ob has causas
dos reddi potest , ut se fūisque alat , ut parentis
præstet alimoniam , aut egentem virum , fra-
trem , sororemve sustineat . L. 13. ff. de jure
dotium . §. 1.

C O N S E C T A R I U M II. Soluto matri-
monio citrā mortem alterius conjugatorum
matitus non potest dotem retinere ; quia non
est illius Dominus , sed debet eam filiis con-
servare , si nati sint filii ex matrimonio , vel
eam reddere uxori , si sit sui juris , aut ejus
hæredibus , si defuncta est , aut eis , à quibus
profecta est dos , si sit reversibilis , ut docet
jus : soluto matrimonio solvi , inquit , mulieri
dos debet . L. 2. ff de soluto matrimonio . Si sui
juris mulier est , dos ab ejus patre profecta ,
reverti ad eam debet . Si vero defuncta sit ,
ejus danda est hæredibus . Ibid.

C O N S E C T A R I U M III. Maritus solu-
to matrimonio debet restituere non solum do-
tem ; sed etiam accessoria dotis ; quia non est
eorum Dominus , sicuti nec dotis . Quia ipse
fundis , inquit jus , est in date , quodcumque
propter eum consecutus fuerit à muliere maritus ,

quandoque restituere mulieri de dote agenti. L.
52. ff. de jure dotium.

CONSENTARIUM IV. In restituenda dote marito adjudicabuntur dona , si quæ ei facta sint ab uxore , & omnes expensæ non annuæ , sed extraordinariæ , factæ non ad voluptatem , sed ad utilitatem vel necessitatem : quia in omni restitutione æquum est , fieri compensatio eorum , quæ data sunt cum his , quæ accepta sunt.

Sic si conventum fuerit , quod dos in toto vel in parte apud maritum remanebit , conventionis observanda erit.

Sic si maritus expensas necessarias , v. g. ædificia tuitura sustinuerit , vel utiles , v. g. si novalia in fundo facta sint , hæ omnes expensæ compensari debent. *Ego non tantum necessarias , sed etiam utiles impensas præstandas à muliere existim*, inquit jus civile. L. ult. ff. de fundo dotali.

Sic expensas nec necessarias , nec utiles , sed ad solam factas voluptatem jus jubet non debere compensari. *In voluptuariis vero , si voluntate mulieris factæ sunt , exactiōnem perire lex permittit* C. L. I. §. 5. de rei uxoriæ actione.

Sic annuæ expensæ , vel ad arandum fundum , vel ad colligendos fructus , vel ad solvenda tributa , compensari non debent ; quia , ut ait lex , onus fructuum hæc impendia sunt. L. 13. de impen. ususfruct.

CONSENTARIUM V. De iuris contractu mulieris et eiusdotem. *De iure contractu mulieris et eiusdotem*. *De iure contractu mulieris et eiusdotem*.

§. VI.

Maritus est usufructuarius bonorum dotalium.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Maritus rebus dotalibus quasi suis fruitur ; sic habet jus : *Dolis fructum ad maritum pertinere debere aequitas suggestit ; cum enim ipse onera matrimonii subeat , aequum est etiam eum fructus percipere.* L. 7. ff. de jure dotium.

C O N S E C T A R I U M II. Maritus contra detentores bonorum dotalium habet actionem , etiam dissentiente uxore , non secus ac res propriæ essent. *De his , ait lex , quæ in domum data ac direpta commemoras , marii tui esse actionem nulla est dubitatio.* L. 2. cap. de jure dotium.

C O N S E C T A R I U M III. Maritus acquirit dominium fructuum è dotalibus bonis provenientium ; quia sunt quædam accessoria dotis , sed non fructuum extraordinariorum , qui non sunt accessoria dotis.

Sic anni reditus pertinent ad maritum , v. g. arbores caducæ , modò novæ conserantur : sic lapides in fundo crescentes quasi fructus habentur. Contrà verò arbores ingentes , lapides ædificiorum , non habentur quasi fructus , & nummi ex eâ venditione recepti , sunt dotis. L. 32. ff. de jure dotium.

C O N S E C T A R I U M IV. Maritus non acquirit dominium fructuum à bonis paraphernalibus provenientium ; quia uti non est usufructuarius

fructuarius illorum bonorum, ita nec eorum
fructus debet suos facere, ut habetur in jure
civili: Hac lege decernimus, ut vir in his re-
bus, quas extra dotem mulier habet, quas Græ-
ci parapherna dicunt, nullam uxore prohibente
habeat communionem. L. 8. C. De pactis con-
venitis super dote.

S. VII.

*Maritus est curator bonorum dotalium ex offi-
cio, & bonorum paraphernorum ex decentia,
si hanc curam ei mulier commiserit.*

Consectaria bujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Maritus tenetur
dotem præstare indemnum, si dolo, culpâ,
vel negligentia perierit; tum quia est cura-
tor; tum quia est societas in rebus dotalibus:
*Virum, inquit jus, præstare oportet tam dolum
quam culpam; quia causâ suâ dotem accepit.* L.
17. ff. de jure dñi.

CONSECTARIUM II. Maritus tenetur
dotem rigore juris ab injustis detentoribus exi-
gere, à patre vero, vel liberali donatore pre-
cibus postulare; si neglexerit tenebitur præ-
stare; quia tale est officium curatoris. Si non
petierit, inquit lex, maritus, tenebitur bujus
culpæ nomine, si dos exigi potuerit, L. 20. ff.
de pact. dotal. S. 2.

CONSECTARIUM III. Si mutet dotem
in deterius, pericula suo mutabit; quia id
periculi sequitur personam curatoris: *Dotem,*
inquit, à patre & à quovis alio promissam, si

vir novandi causâ stipuletur, cœpit viri esse periculum, cum ante mulieris fuisse. L. 35. ff. de jure dotum.

C O N S E C T A R I U M IV. Si maritus uxori debita finat negligentia suâ præscribi, tenebitur solvere, si negligat interesse exigere, tenebitur compensare; quia hæc cura spectat curatorem: *Si petere neglexerit vir, cum id facere posset, rem periculi sui fecit. L. 16. ff. de fund. dot.*

C O N S E C T A R I U M V. Quoties res æstimata in dotem datur, toties maritus summam statuti pretii præstare tenetur indemnem; quia æstimatio hæc facit venditionem, & societas conjugalis reddit maritum tutorem pretii æstimatarum rerum: *Maritus quasi emptor & comodum sentiat, & dispendium subeat, & periculum expectet, Lege un. C. de rei uxoris actione.*

C O N S E C T A R I U M VI. Si uxor marito bonorum paraphernorum curam dederit, decet maritum eas res quasi suas gerere, & de dolo & de culpâ teneri; quia ad hæc tenebetur erga extraneum, à fortiori erga uxorem. *Dum autem, ait lex, apud maritum remanent eadem cautiones, & dolum & diligentiam maritus circa eas res præstare debet, quemcirca res suas habere invenitur. L. ultima in fine. C. de pactis conventis super dote.*

CAPUT X.

De Muto & Usurā.

ARTICULUS I.

Quid sit mutuum, quid usura, an sit peccatum, & quale.

§. I.

Quid sit mutuum.

Mutuum, si nomen spectes, est contrac-
tus faciens aliquid de meo tuum. Si rem
consideres, mutuum est contractus, per quem
mutuans transfert in mutuatarium dominium
& usum rei, quæ per ipsum usum integrè con-
sumitur, eâ lege, ut postea tantumdèm ejus-
dem generis vel valoris restituat.

Res usu consumptibiles sunt illæ, quarum
usus est earum consumptio; sicut vinum &
panem consumimus eis utendo ad victum.
Monetam ipso usu quasi consumimus, dum eâ
utimur, ad commutationes faciendas: undē
in talibus non debet scorsini computari usus
rei à re ipsa, sed cuicunque conceditur usus,
hoc ipso conceditur & ipsa res.

Res usu alteratæ, sed non consumptæ,
sunt illæ; quarum usus non est earum con-
sumptio, ut sunt ædes, vestes, equi, &c.
& in iis non consistit, nec fieri potest mu-
tuum.

A aij

Qui dat mutuò , dicitur mutuator , creditor;
Qui accipit mutuò , dicitur mutuatarius , & debitor.

S. II.

Quid, & quoniam sit usura.

Usura latè sumpta est Quælibet accessio , vel augmentum , vel fructus , qui ex aliquâ re percipitur. Ità jus civile. ff. de usuris.

Usura strictè sumpta est Lucrum ex vi satis mutui proveniens.

Usura alia est aperta ; alia palliata.

Usura aperta est contractus mutui , cum pacto expresso lucri vi mutui.

Usura palliata est ea , cuius turpitudo velatur aliquo prætextu honesto.

Usura tamen aperta , quam pallitata , alia est realis , alia mentalis.

Usura realis est , pactum externum accipiendi aliquid lucrum ex mutuo , vel expresso , vel implicito.

Usura mentalis est voluntas interna accipiendi aliquid lucrum vi mutui.

Usura mentalis , alia est purè mentalis , alia mixta.

Usura purè mentalis est interna intentio percipiendi lucrum ex mutuo , absque exteriori datione , vel receptione.

Usura mentalis mixta est intentio interna percipiendi aliquid ex vi mutui , conjuncta cum exteriori datione & receptione rei , quæ datum mutuò . His positis sit.

§. III.

Quale peccatum sit usura.

PROPOSITIO unica. Usura, seu lucrum proveniens ex vi solius mutui, est peccatum contra justitiam, ut docet scriptura, monent concilia, ratio naturalis dictat, jus civile & jus Gallorum ostendunt.

Probatur 1°. Ex Scripturā Deuterou. 23. v. 19. Non F. G. E. N. E. R. A. B. I. S fratri tuō ad usuram, pecuniam, nec fuges, nec quamlibet aliam rem, sed a iūno. Et Psalmo 14. ubi dicitur: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo... qui jurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suā non dedit ad USURAM. Et ex Psalmo 54. ubi, dum describitur urbis Babylonice iniquitas, dicitur: Non defecit de plenis ejus USURA & dolus. Et Ezech. cap. 18. v. 13. Ad USURAM dantēm, & amplius recipientem numquid vivet? non vivet... morte morietur & sanguis ejus in ipso erit. Et cap. 22. v. 12. civitati Jerusalem scelera ab ipsa commissa his verbis exprobrat: USURAM & SUPERABUNDANTIAM accepisti; & avarè proximos tuos calumniabarīs; meique oblitus es ait Dominus. Et Lucæ cap. 6. v. 34. Si mutuum, inquit, dederitis his, à quibus speratis accipere; quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fenerantur, ut recipiant aequalia... mutuum date nibil inde sperantes. MUTUUM DATE. Hoc ponitur inter consilia, inquit D. Thom. NIHIL INDE SPERANTES. Hoc erat sub ratione præcepti. 2. 2. q. 78. a. 15.

Aa iiij

ad 4. Ergo ex Scriptura est peccatum contra justitiam.

2°. Ex Patribus. Usura à multis patribus comparatur cum homicidio, cum furto & rapina: sic enim habet Gregorius Nissenus: *Malignam fænorum excogitationem si quis apelle furtum & homicidium, non peccabit. Nam quid refert suffosso pariete quemquam erecta possidere, ac fænorum necessitate illicita possidere!* Am. brosius vero idem habet. lib. de bono mortis, cap. 12. Relatus 14. q. 5. Can. 10. *Si quis, inquit, usuram acceperit, rapinam facit, vita non vivit.* August. autem ibidem relatus. Can. 11. Ita scribit ad Macedonitum Epis. 54. *An crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fænore.* Demum D. Thom. 2. 2. q. 78. a. 1. in C. sic concludit. *Dicendum, inquit, quod accipere usuram pro pecunia mutata est secundum se injustum: quia venditur id, quod non est, per quod manifestè inequalitas constituitur, quæ justitia contrariatur:* Atqui homicidium, fursum, rapina, injustitia, cui usura comparatur, est peccatum: ergo usura est etiam peccatum.

Respondent quidam his auctoritatibus eas usurpas esse illicitas, quæ extorquentur a pauperibus; minime vero eas, quæ ex conventione exiguntur ab his, qui re nostrâ mutuâ utuntur, vel ad negotiandum, vel ad vivendum splendide.

Sed hæc assertio omnino falsa est. Primo Scriptura & Patres, ut patet ex locis allatis, vituperant omne genus usurpæ, eamque cum furto & rapina comparant; furtum autem pec-

catum est , sive diviti sive pauperi res auferatur ; ergo & usura , sive à paupere sive à dīvite eam accipias. Confertur etiam cum homicidio , quo pateat illicitam esse omnino & in singulis casibus usuram , nisi fiat autoritate Dei , quales erant usuræ , quas Judæi à gentibus poterant exigere. Sicuti in omni casu illicitum est homicidium. Ideo dicit Ambr. lib. de Tobia cap. 15. Quod non minus crudeliter impetratur usuris , quam gladiis. Sine ferrò dimicás , inquit , qui usuram flagitat , sine gladio se de hoste ulciscitur , qui fuerit usurarius exactior inimici. Nec aliter Ambrosius excusat Judæos ab usuris , quas exigeabant ex permisso Dei ab illis gentibus , quas deleturi erant , nisi supponendo , quod usuraruim exactio sit certum genus belli. *Ubi* , inquit , *jus belli* , *ibi etiam jus usuræ* : Ibid. Demum & Scriptura , & Patres , & Concilia damnant etiam eas usuras , quæ à negotiatoribus exiguntur , ut docet Ambr. Ibidem. Plerique , inquit , refugientes præcepta legis , cum dederint pecuniam negotiatoribus , non in pecunia usuras exigunt , sed de mercibus eorum tanquam emolumenta percipiunt. Et ut indicet omnibus quascumque usuras esse interdictas , addit illud Scripturæ : Neque usuram accipi , scilicet à quocumque , neque omnium rerum.

3º. Ex Conciliis Nicæno. Can. 18 Clerici usuram accipientes , dejiciuntur è Clero. Ex Illiberitano. Can. 2. & Clerici & Laïci usurari ab Ecclesia projiciuntur. In Concil. Lateran. 2. & 3º. Omnes usurarii à Sacramentis arcen-tut , infames habentur , Christiana sepulturā privantur , eorum oblationes rejiciuntur. Cap.

13. in Concil. Viennensi omnes puniendi sunt, ut hæretici, qui affirmaverint usuram non esse peccatum: ergo usura & omnibus & erga omnia interdicta.

4°. Ex jure civili. Juxta jus civile triplex est usura, *lucratoria*, quā aliquid sumitur ex vi mutui. L. 17. ff. de pactis. *Punitoria*, quā aliquid sumitur, non propter avaritiam peccatum, sed propter moram culpabilem non solventium. L. 17. ff. §. 3. *Compensatoria*, quā præstatur justum interesse. L. Ead. §. 1. de usuris. *Lucratoriæ usuræ*, improbae illicitæque sunt. L. 20. C. ex quibus causis infamia interrogatur; quia lucrum non est querendum, inquit lex, ex eâ re, cuius damnum aut periculum ad nos non spællat. L. 67. ff. §. 1. *Pro socio*. *Punitoriæ usuræ*, non sunt licitæ, nisi cum adest damnum præsumptum ex parte creditoris, & culpa ex parte debitoris: ergo ex jure civili illicita est usura, seu lucrum ex vi mutui.

Istud adeo verum est, ut ipsimet pagani usuram longè magis noxiā habuerint, quam furtum, quam homicidium, quam seditionem. *Majores nosiri*, inquit Cato de re rustica, sic se habuerunt, & ita legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fœnereatorē quadruplicē. Et idem Cato apud Ciceronem. 2. de officiis ille, qui quæsierat, dixisset: *Quid fœnerari? tum Cato;* *quid hominem,* inquit, *occidere?* insinuans usuram esse speciem homicidii. Quo circa Tacitus. Lib. 5. annalium vocat usuram *Vetus urbis malum*. Eo quod ex usuris seditiones oriantur, artes quiescant. Et ut ait Plinius: *vigeat solum excogitata fœnore quæ-*

tuosa segnitia; Usura ergo vermis est, qui, & mutuatoris, & mutuatarii hereditatem corrodat: mutuatoris quidem, ejus segnitiem sovendo; mutuatarii vero, ejus omnem industriam consumendo; cum id omne, quod suo labore lucratur, vix solvendis usuris sufficiat.

Demum Justinianus. L. unica. C. de Sententiis, quae pro eo quod interest proferuntur, usuras omnes ad titulum lucri cessantis, & damni emergentis restrinxit: *Cum, inquit, pro eo quod interest, dubitaciones antiquae in infinitum produlta sint. Sancimus itaque in omnibus casibus, qui certam habent quantitatem, vel naturam, veluti in venditionibus, locationibus, & omnibus contractibus, & proinde in mutuo, hoc, quod interest, dupli quantitatem non excedere:* Ergo non debentur usuræ, nisi cum intervenit interesse, seu damnum. In aliis autem casibus, qui incerti esse videntur, iudices, qui causas dirimendas suscipiunt, per suam subtilitatem requirere teneantur, ut hoc, quod IN RE VERA INDUCITUR DAMNUM, HOC REDDATUR, & non ex quibusdam machinationibus, & immodicis perversionibus incircuitus inextricabiles redigatur... & hoc non solum in DAMNO, sed etiam in lucro nostra amplectitur constitutio: Ergo ex jure civili illicta est usura, quæ non fundatur in LUCRO cessanti, vel DAMNO emergenti.

5^a. Ex jure Gallorum prohibita est etiam usura; sic enim Sanctus Ludovicus edicit anno 1254. Prohibemus, inquit, districte, quod nullas usuras faciant Barones, Senescallii nostri, vel aliae quecumque personæ. Usuram intelligimus,

quidquid est ultra sortem. Eadem sanxit Philip-
pus. IV. an. 1312. his verbis. Confirmant nbtre
Ordonnance, deffendons toutes sorte d'usures,
de quelque facon qu'elles soient, comme deffen-
dues de Dieu, & des Saints Peres. Similem
legem tulit Ludovicus XII. an. 1510. art. 4.
Pour éviter qu'aucune usure ne se commette dans
nôtre Royaume; enjoignons à tous nos Justiciers
& Officiers . . . de proceder contre les coupables
d'usure, selon la disposition des Loix. Art 65.
Deffendons à tous Notaires de recevoir aucun
Contract usuraire, sur peine d'être privez de
leur état, & d'amende arbitraire, Eadem præ-
cipit Carolus IX. an. 1567. Nous deffendons
l'usure pour le bien & utilité publique de nôtre
Royaume, & soulagement de nos Sujets, à ce
qu'ils puissent vivre & negocier, sans être op-
pressez d'usures, comme certains de nôtre Royau-
me poussent du malin esprit, & sans aucune crain-
te de Dieu, commettent & pratiquent journel-
lement. Et Henricus III. sic statuit in comi-
tiis Bleſſis habitis. Deffendons à toutes person-
nes de quelque qualité & condition qu'elles soient
d'exercer usures par eux, ou par gens interpo-
sez. Hinc patet usuras & jure civili Roma-
notum & jure Gallorum prohiberi.

6°. Ratione 1°. Si aliquid justè exigeretur
 supra sortem in mutuo, vel hoc esset pro mu-
 tuatione, vel pro te mutuatâ, vel pro usu,
 non pro mutuatione; quia mutatio non au-
 get pretium rei mutuatæ, sicut nec venditio
 auget pretium rei venditæ. Non pro te mu-
 tuatâ; quia modo restituatur eadem in gene-
 re, vel alia prorsus æquivalens, ponitur æqua-
 litas; ut cum mutuò dedisti centum, & sed-

duntur tibi centum. Non pro usu rei mutuæ ; quia usus in rebus mutuatis non distinguitur à re mutuatâ. Adde quod completâ mutatione usus rei mutuatae non est mutuatoris, sed mutuatarii : Ergo in mutuo nihil accipi potest supra sortem ex vi solius mutui.

2º. Vel res mutuo data est frugifera ratione sui , ut animalia ; vel frugifera ratione industriæ , ut argentum ; vel omnino sterilis , ut panis , vinam , &c. Si res mutuata sit frugifera ratione sui , fructus debet cedere in utilitatem mutuatarii , qui est Dominus rei mutuatae ; res enim Domino fructificat. Si res mutuata est frugifera ratione industriæ mutuatarii , fructus debet cedere in utilitatem mutuatarii ; quia est causa fructus enascentis ex sua ipsius industria. Si res sit omnino sterilis , injustum est exigere fructus ex re omnino sterili.

3º. Qui accipit usuram , bis eandem rem vendit , v. g. rem quatenus rem , & rem quatenus usualem ; cum tamen res mutuò data ab usu non differat ; & ita contra justitiam agit , & proinde peccat.

Ergo patet ex Scriptura , ex Patribus , ex Conciliis , ex jure civili , tum Romano , tum Gallorum , & ex ratione , quod usura sit peccatum mortale contra justitiam commutativam .

ARTICULUS II.

*Quinam sint tituli liciti sumendi, ut dicunt,
interesse, id est, aliquid supra sortem.*

PROPOSITIO I. Toties mutuans potest aliquid supra sortem exigere à mutuatorio, quoties ratione mutui perit aliquid mutuanti de bonis, quæ actu habebat, vel quæ probabiliter acquisitus erat.

Probatur. 1°. Æquitas naturalis postulat, ut qui confert Beneficium, præstetur indemnus; *Iniquum enim est, ut aliis benefaciendo, nobis noceamus:* Ergo mutuans potest aliquid exigere supra sortem, quando aliquid damni patitur ratione mutui.

2°. In omni contractu, res, quæ sunt materia contractuum, debent reduci ad æquitatem; adeo ut contrahentes ita se habeant, ut unus tantum rependat, quantum alter ratione contractus vel dedit, vel amisit; alias enim justitia læderetur.

Ergo in contractu mutui, mutuatarius tantum debet rependere, quantum mutuator ratione mutui vel dedit, vel amisit: ergo si mutuator ratione mutui vel verum damnum passus sit, vel lucrum revera eventurum (*idque ex causâ mutui*) non recepit, de hoc præmoritus mutuatarius tenetur reparare illud damnum; & ita mutuans potest aliquid exigere supra sortem in his casibus, in quibus mutuum fuit causa *damni emergentis, vel lucri cessantis.*

Consecataria

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Licitum est ratione *damni emergentis* ex mutuo recipere aliquid supra sortem, servatis certis conditionibus infra recensendis. Etenim si damnum emergens mutuanti, & nascens ex vi solius mutui, non repararetur, res quæ sunt materia Contractus mutui, non reducerentur ad æqualitatem; quia mutuatarius non tantum rependeret, quantum mutuans ex vi mutui vel dedit, vel amisit.

Dixi servatis certis conditionibus; quia seclusis illis conditionibus *usuram* caput aliquid recipere ratione *damni emergentis*.

1a. Condicio est ut mutuum sit causa damni. Nam si damnum veniat aliunde, v. g. ex negligentia mutuantis, mutuatarius non tenetur reparare damnum, sed mutuans deberet illud sibi imputare ob suam negligentiam.

2a. Condicio ut mutuan præmoneat mutuatarium de domino, quod patitur ex vi mutui; quia forte posset iste meliori conditione alibi res mutuò accipere. Et si casu impræviso damnum eveniat post mutuum jam peractum, præmonendus est mutuatarius, ut indemnem servet mutuatorem.

CONSECTARIUM II. Licitum est ratione *lucri cessantis* ex mutuo recipere aliquid supra sortem servatis certis conditionibus infra recensendis: quippè si lucrum proximè venturum mutuanti, & cessans ex vi mutui, non repararetur à mutuatario, res, quæ sunt materia Contractus mutui, non reducerentur ad

æqualitatem; quia mutuatarius non tantum rependeret, quantum mutuans ex vi mutui amisit; quippe lucrum cessans aliquo est pre^tio æstimabile, sicut damnum emergens: neque enim mercator paratam habens pecuniam ad negotiationem, ex qua lucrum ut centum sperat, minus aliquando æstimat lucrum illud in spe, quam lucrum in re. Et sicut si fureris triticum paratum ad statim seminandum, plus aliquando noces, quam si aliud furatus fueris; quia triticum seminale censemur pluris valere quam aliud: ista pecunia parata ad negotiationem plus aliquando æstimanda est, quam alia pecunia actu possessa.

Dixi servatis conditionibus; quia seclusis his conditionibus, usura esset aliquid accipere ratione lucri cessantis.

1^a. Conditio est, ut mutuum sit unica causa lucri cessantis, v. g. si non habeas nisi certam pecuniam, vel negotiationi, vel emendo prædio destinatam, eamque de mutuo, tunc cessat tibi lucrum, quod mutuatarius debet compensare.

2^a. Conditio est, ut non tantum exigatur ex mutuo, quantum potest in rigore sperare; quia debent deduci expensæ, & lucrum in spe non tanti debet æstimari, quanti æstimatur lucrum in re.

P R O P O S I T I O I I. Sistendo intra jus naturale, quando certa est quantitas lucri cessantis, & damni emergentis, tantum præcise potest recipi, & debet dari supra sortem, quantum est damnum emergens, vel lucrum cessans; quando vero incerta est hæc quantitas, sistendo intra terminos juris civilis, tan-

tum potest recipi , & debet dari , quantum determinat jus civile.

Probatur prima pars. Quando aperta est omnino & mutuatario , & mutuanti quantitas damni emergentis & lucri cessantis , sistendo intra jus naturale sufficit , quod mutuatarius reddat mutuanti valorem documenti , quod mutuator passus est ex vi mutui , vel ratione lucri cessantis , vel ratione damni emergentis ; quia in mutuo sicut & in aliis contractibus satis est , quod res utriusque contrahentis reducantur ad æqualitatem.

Et ita dum statuta & edicta decernunt certam aliquam præstationem . v. g. quinque pro centum , non potest illa accipi à mutuante , si lucrum cessans , vel damnum emergens ex mutuo sit manifestè minus , quam quinque ; quia edictum principis supponit esse in mutuante titulum ad quinque . & semper includit hanc tacitam conditionem : ergo si non cessat mutuanti lucrum ut quinque ex centum mutuatis , usurarius est accipiendo quinque , & tenetur restituere id , quod accepit supra damnum emergens , vel lucrum cessans ; manet enim semper obligatio naturalis.

E contra potes accipere plura quam quinque , si manifestè lucrum cessans , vel damnum emergens ad plura , quam ad quinque assurgat : etenim regum edicta non prohibent fieri in foro interno , quod fieri naturalis æquitas postulat ; naturalis autem æquitas postulat , ut res , quæ sunt materia contractuum , reducantur ad æqualitatem exactam , quando ea certò & distinctè potest cognosci.

Probatur secunda pars. Quando incerta est

B b ij

quantitas lucri cessantis & damni emergentis, tunc commodius est contrahentibus, ut pacificantur de certa summa ad viri prudentis arbitrium. & hæc certa summa debet accipi juxta edicta regum, & juxta terminos præcriptos à jure civili.

In hoc enim casu nihil fit contra æquitatem naturalem, & hic contractus utriusque parti contrahenti commodus est; æstimatio autem præfinita ab edictis regiis debet censeri prudentissima: quippe nullus præsumi potest vaorem pecuniarum examinasse exactius, quam examinarunt ii, qui præsunt constituendis regum edictis.

Sic quoties incerta est quantitas lucri cessantis, vel damni emergentis, toties mutuans potest exigere à mutuatario interesse juxta præscriptum principis; quia præscriptum illud censetur prudens, legitimum & justum,

Præscriptum autem principis est hujusmodi; ita enim sanxit Carolus IX. in Comitiis Au-relianensis art. 60. cuius hæc sunt verba: *contre les condamnez à payer certaine somme de deniers dûe par cedules, ou obligations, seront adjugez les dommages & intérêts, requis pour le retardement du payement, à compter du jour de l'ajournement, qui leur aura été fait, & ce à raison, à scavoir entre Marchands du denier douze, & entre toutes autres personnes du denier quinze; excepté toutefois les Laboureurs, vignerons, & mercenaires, envers lesquels les débiteurs seront condamnez au double de la somme, en laquelle ils se trouveront redevables, sans que nos Juges la puissent moderer..... Ubi nota quod debitor tenetur solvere non usuras,*

sed damnum, & interesse compensare : & hoc solum post petitionem factam coram judice.

Et circa hanc petitionem non eadem est in Gallia consuetudo. In curia Burdigalensi mutuatarius condemnatur ad solvendum interesse ab eo die, quo mutuans juridicè petiit debitum, etiam si in sua petitione nullam fecerit expressam mentionem illius interestis. In curia Tolosana si mutuatarius expressè obligaverit se se ad solvendum interesse, & in obligatione aperte appareat justa causa sumendi interesse, tunc à die conventionis mutuatarius damnum emergens vel lucrum cessans solvere compellitur. Si verò causa justa sumendi interesse non constat, solvere cogitur solum à die petitionis juridicæ. In curia verò Parisiensi præter petitionem juridicam requiritur sententia judicis, & usuræ non nisi à die sententiæ solvuntur.

M O N I T U M. Stipulatio inter mutuantem & mutuatarium, quæ apud Tolosates sufficit ad exigendum interesse cum aperto titulo; petitio illa juridica, quæ apud Burdigalenses sufficit ad exigendum interesse : & illa sententia judicis, quæ apud Parisenses requiritur ad percipiendum interesse ; non sunt titulus justus accipiendo interesse coram Deo, si aliundè non adfit lucrum cessans, vel damnum emergens ; quia & stipulatio, & petitio, & sententia ascribentes coram hominibus interesse mutuanti, supponunt cum verè pati ; aut lucrum cessans, aut damnum emergens : aliás interesse non adjudicarent, tunc enim non est interesse, sed usura, ut infra dicetur.

ARTICULUS III.

De usura mentali.

PROPOSITIO I. Quicumque sine pacto exteriori optat recipere aliquid superiore fortem ex vi mutui, est usurarius mentaliter.

Probatur ratione. Ex dictis usurarius est, quicumque accipit aliquid ex vi mutui; quia usura est lucrum ex vi solius mutui proveniens: ergo qui mente solùm lucrum illud meditatur recipere, est usurarius mentaliter.

Consecrarium hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM unicum. Usuram purè mentalem committit, qui nihil dat exteriori, sed interiori optaret habere aliquid, quod daret mutuō, v. g. frumentum, vinum, argentum, &c. ut ex mutuo iucrum faceret, & ditione fieret; quia usuram nutrit in mente.

PROPOSITIO II. Usuram committit non purè mentalem, sed in aliquo realem, qui de facto dat aliquid mutuō, v. g. frumentum, vinum, argentum, &c. eā intentione, ut sibi aliquid pretio æstimabile rependatur ex vi mutui, quamvis non exprimat suam mentem exteriori.

Probatur 1°. Est usurarius in mente; ut pater ex. Consecratio præcedenti & siquid recipiat ex vi mutui, tenetur restituere.

2°. Urbanus Papa ait; *qui non alias mutuō traditurus, eo proposito mutuam peccniam cre-*

dit, ut licet omni conventione cessante, plustramen sorte recipiat, pro hujusmodi lucri intentione, quam habet, judicandus est male agere, & ad ea, quae taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendus. cap. consuluit extra. *De usuris.*

C O N S E C T A R I U M unicum. Usuram simul & simoniam non merè mentalem, sed etiam in aliquo realem committit, qui aliquid dat mutuò, v. g. frumentum, vinum, &c. eà intentione, ut sibi, vel filio, vel amico confertur Beneficium Ecclesiasticum; hic enim mente & usurarius, & simoniacus est; quia & usuram, & simoniam interius fovet, & re aliquo modo exequitur.

ARTICULUS IV.

De usurâ exteriori & aperta.

P R O P O S I T I O unica. Usuram exteriorē & apertam committunt, quicumque pasciscuntur sibi dari aliquid pretio æstimabile ex vi mutui.

Probatur Ratione. Primo usuram committunt; quia intendunt aliquid sibi dari ex vi mutui. Secundo usura illa est exterior; quia pacto externo statuta est. Tertio usura illa est aperta & patens; quia nullo involucro tegitur. Ergo illi omnes, qui pasciscuntur sibi dari aliquid pretio æstimabile ex vi mutui, veniam, realem, & apertam usuram committunt.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Usuram realem & apertam committit, qui de facto dat mutuò aliquid, v. g. argentum, frumentum, &c. pasciscens sibi aliquid dandum supra sortem, sive illud sit munus à manu, sive à lingua, sive ab obsequio; quia ex pacto exigit aliquid ex vi mutui. Ita D. Th. 2. 2. q. 68. ar. 2. ad 3. si aliquis ex pecunia mutuata ex pacto exspectet, vel exigat, quasi per obligationem patiti taciti, vel expressi, recompensationem muneris ab obsequio, vel à lingua; perinde est ac si exigeret, ac expectaret munus à manu; quia utrumque pecuniâ aestimari potest, ut patet in iis, qui locant operas suas, quas manu vel lingua exercent: si verò munus ab obsequio, vel à lingua, non quasi ex obligatione rei exhibeat, sed ex benevolentia, quæ sub estimationem pecunie non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expectare.

C O N S E C T A R I U M II. Usuram realem & apertam committit, qui dat mutuò eo onere & pacto, quod mutuarius emat merces apud se, quod molat in suo molendino, quod agros suos colat, &c. Est usurarius juxta Antoninum; quia hæc obligatio non sequitur necessariò gratiam mutui, præcipue si ultra justum exigat, & tunc tenetur ad restitucionem totius damni ille, qui onus illud imposuit . . . Ita Antonin. parte 2. tit. 1. cap. 7. §. 5. & 8. Si quis mutuat alteri eā intentione, vel pacto, ut eat ad molendinum suum, surnum, vel apothecam suam ad emendum, vel

ut intret scholas sub eo , & hujusmodi , alias non mutuaturus , usuram committit , etiam si non majori pretio vendit propter hoc , seu plus ab eo , quam ab aliis petet ; ratio est , quia commoditatem seu utilitatem inde recepit , quæ pretio estimari potest .

C O N S E C T A R I U M III. Usuram apertam committit , qui principi vel Magistratuī mutuum dat eo pacto , quod accipiat aliquod officium à Rege , vel ut eximatur à tributis solitis ; quia accipit aliquid pretio estimabile ex vi mutui . Ita D. Th. opusculō de regimine Judæorum ad Ducissam Brabantiae . Quod si hoc pacto mutuum dant , ut officium accipient , absque dubio pactum est usurarium ; quia pro muto accipiunt officii potestatem .

C O N S E C T A R I U M IV. Reus usuræ clamantis , ut dicunt , & aperte est , qui dat muto argenteum , frumentum , &c. & cogit mutuarium dare aliquid præter id , quod muto accepit , v. g. mutuans dat centum , & exigit centum & quinque , vel exigit schedulam obligatoriam , quâ teneatur solvere plus , quam accepit ; quia tunc accipit aliquid ex vi mutui . Ideo damnata est hæc proposicio per facultatem Parisiensem tanquam falsa , scandalosa , & usuraria ; majori cum animositate quam ratione condemnari obligatorias promissiones ad solvendum lucrum supra capitale .

C O N S E C T A R I U M V. Usuram pariter realem committit , qui mutuat fruges , argenteum , &c. eo onere & pacto , ut sibi idem , aut simile aliquando muto detur ; quia accipit aliquid ex vi mutui ; ita D. Th. 2. 2. q. 68. ar. 2. ad 4. lices mutuanti unum , scilicet

simul aliquid aliud mutuum recipere ; non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum . . . Gratitudo tamen exigit , ut similia officia rependamus , & ita ut mutuantur , cum indiguerit , mutuumus , ut notat ibid.

D. Th.

C O N S E C T A R I U M VI. Reus est usoræ apertæ , qui mutuò dat eo onere , quod mutuarius non exigit reparationem honoris & famæ , quam justè potest exigere ; licet enim fama non sit pecuniâ æstimabilis , tamen obligatio restituendi famam potest pretio æstimari , cum homines sæpè illud onus argento redimant.

Dixi justè ; nam si injustè exigeretur , posset quis mutuum dando absque usurâ se redimere ab injusta vexatione.

C O N S E C T A R I U M VII. In crimen usuræ apertæ labitur , qui mutuò dat fruges , argentum , quod alibi habet , eo onere , quod cum majoribus sumptibus ad se deferantur , v.g. habes frumentum ruri , das illud mutuò , & exigis , quod mutuarius vehat tibi frumentum in urbe reddendum : quia accipis aliquid ratione mutui , nimirum expensas necessarias advehendum frumentum.

C O N S E C T A R I U M VIII. Non est immunis ab usurâ apertâ , qui mutuum dat eâ conditione , ut mutuarius , vel alias fidejubeat , vel spondeat pro ipso in aliquo negotio : quia sponsionem pecuniâ æstimabilem ex vi mutui reportat : & si fidei-jussio damnum afferat mutuatio , mutuans tenebitur damnum reparare.

C O N S E C T A R I U M IX. Non excusat

poteſt ab uſurā aperta, qui pecunias mutuè dat ea conditione, ut eadem pecuniæ reddantur eo tempore, quo ſunt pluris valituræ: quia accipit aliquid ratione mutui, nimirū magis pretium pecuniarum. Vide legem rogaſti de præscriptis verbis.

C O N S E C T A R I U M X. Veram & aper- tam uſutam exercent, qui dant mutuò vi- num, frumentum, &c. eā conditione, ut ſibi venundetur ager, vīnea, aut alia res, quæ aliās non venderetur à mutuatario: accipiunt enim aliquid pro mutuo, nimirū utilitatem, quæ provenit ex fundo vendito. Et ſi fundus involuntariè vendatur, tenentur contractum reſcindere. Si vendatur infra justum pretium, tenentur dampnum reparare.

C O N S E C T A R I U M XI. Uſuratii aperti & publici cendendi ſunt, qui dant mutuò ar- gentum, aurum. &c. eā conditione, ut ab iphis emantur quædam ſua jura desperata, aut inutilia, v. g. agri steriles, aut aliud quid- piam id genus: quia ex vi mutui imponunt onus mutuatario. 1°. Onus emendi, quod nolleſt emere. 2°. Onus emendi aliquid, quod non eſt utile emptori. 3°. Onus emendi aliquid pluris, quam valcat, quo in caſu ad reparationem omnis damni tenentur.

C O N S E C T A R I U M XII. Rei uſuræ aper- tæ habendi ſunt, qui mutuò dant cum eo pacto, ut mutuatarius, vel totum mutuum, velejus partem à debitoribus ad ſolvendum tar- dis & diſſicilibus accipient, iþi verò mutuum ſolvant præſenti pecuniā. Ita Baldus, ita pa- riter Concil. Mediol. ne cui, inquit, liceat cum altero ita contrahere, ut iþi totam pecuniæ

summam ei, qui dederit, solvat, cum ille partim pecuniam dederit, partim nominibus debitum, quae difficile exigi possunt, vel in rebus plurim, quam valeant, estimatis.

CONSECTARIUM XIII. Inter usurarios adnumerandi sunt publicani, & regiorum tributorum collectores, qui vel à civitatibus, vel à privatis civibus accipiunt aliquid pretio estimabile, non ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, sed ratione dilationis, vel ex eo quod mitius cum illis agant; quia accipiunt aliquid ex vi mutui. Ad illud credit, quod diximus ex D. Th. consecratio 5. & 6.

CONSECTARIUM XIV. Toties usura committitur, quoties aliquid ex vi mutui accipitur, sive mutuum detur pauperi, sive detur diviti, etiam si dives utatur pecunia mutuata, vel ad lucrum, vel ad delicias. 1°. Quia usura nihil est aliud quam lucrum ex vi mutui, unde quaque veniat lucrum illud, sive à paupere, sive à divite. 2°. Sicut furtum semper est peccatum, sive diviti, sive pauperi, rem, quae tua non sit, auferas, quamvis gravius sit furari pauperi, quam diviti: ita exigere lucrum propter mutuum, peccatum est, sive illud exigas à paupere, sive à divite; quamvis gravius sit usuram exigere à paupere, quam à divite. 3°. Divus Thomas docet, quod in necessitate licitum sit accipere mutuum ab eo, qui usuras exercet, Propter aliquid bonum, quod est subuentio sue necessitatis vel alterius; Peccate vero eum, qui sine necessitate ac iperet pecuniam ad usuram; quia cooperaretur peccato usurarii: Ergo supponit Sanctus Doctor quod mutuatarius & mutua-

tor peccant, quando ex mutuo consensu unus dat, alter vero recipit pecunias ad usuram ; quod enim est ab intrinseco malum, ex mutuo contrahentium consensu permitti non potest ; usura autem est ab intrinseco malum, ut docet D. Thom. quæst. 13. de Malo. art. 4. reducitur enim ad furtum. Et Alexander III. cap. Super eo de usuris, docet expressè, quod cremen usurarum viriusque testamenti pagina defensione.

ARCICULUS V.

*De usurâ exteriori, sed palliata sub involucro
alterius Contractus diversi à mutuo.*

PROPOSITIO unica. Toties usura palliata committitur, quoties mutuans & mutuarius varios ineunt contractus, quibus id, quod mutuò datur, quod vocant capitale, salvum servatur, & interesse percipitur.

Probatur Ratione. Tunc aliquid accipitue ex vi mutui sub aliquo alio contractu involuti : ergo usura palliata committitur.

Consecaria hujus Doctrinae

CONSECTARIUM I. Reus est usuræ palliatæ, quicumque ratione anticipatæ solutio- nis præcisè minus solvit, quam debeat. De quo ita D. Thom. his verbis : *Ille, qui ad certum terminum debet, si ante terminum solvat, ut ei de debito aliquid remittatur, usuram com mittere viderur; quia manifestè tempus solutio nis vendit, undè ad restituionem tenetur.* Op. 672

C O N S E C T A R I U M II. Ille etiam reus est usuræ palliatæ , qui ratione anticipatæ solutionis conjunctæ cum emptione aliquid emit minori pretio ob anticipatam solutionem , ut docet etiam. D. Thom. Si quis emptor , ait , velit rem emere vilius , quam sit justum pretium , eò quoddam pecuniam ante solvit , quam possit ei res tradi , est peccatum usuræ ; quia etiam istæ anticipatæ solutiones pecuniae habent rationem mutui , cuius quoddam pretium est , quod diminuitur de justo pretio rei . 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7.

C O N S E C T A R I U M III. Usurarius est usuræ palliatæ , quicumque plus accipit , quam ei debeatur , & hoc ob dilatam solutionem ; tunc enim accipitur aliquid ob dilatam solutionem , quæ est quasi quoddam mutuum : etenim non exigere mutuum , cum solvi debet , quid est aliud , quam dare mutuum pro certo tempore .

C O N S E C T A R I U M IV. Usuram palliatam exercet , quicumque ratione dilata solutionis junctæ cum venditione , carius vendit merces suas ob dilatam solutionem , vel qui cogit emptorem ad solvendum plura , quam emerit ; quia accipit aliquid ex vi mutui : Si aliquis carius velit vendere , inquit D. Thom. quam sit justum pretium , ut de pecuniâ solvendâ emptorem expectet , manifesta usura committitur , palliata tamen sub involucro venditionis ; quia hujusmodi expectatio pretii solvendi , habet rationem mutui . Ibid.

C O N S E C T A R I U M V. Usuram palliatam committit , qui contractum . Mohatra vocatum init : Qui vendit aliquid alicui certo pretio ,

inquit Papa, cum onere, quod idem sibi iterum vendatur minori pretio, qui contractus solet vocari mohaira, usuram committit. Ita Innoc. XI. & Anton. ait. *Talis contractus usurarius est, & omni malignitate, & duplicitate plenus.* 2. part. tit. 1^o. cap. 8. Parag. 3. Eundem contractum damnat. cap. 5. *Usura. Quia, inquit, geminata illa venditio non sit, nisi ut pallietur usura.*

C O N S E C T A R I U M VI. Usuræ palliatæ reus est, qui nolens pecunias petenti mutuū dare, citra lucrum ex mutuo perceptum, cum petentis consensu simular se ab eo fundum emere, eumque fundum nomine non re emptum eidem locare; ut per palliatam emptionem & locationem lucrum ex mutuo percipiat, v. g. quinque pro centum: *Ibi enim, inquit Cajet, non est vera venditio, nec vera emptio, sed mutuum palliatum sub dictis contractibus; secus esset, si super domo, vel agro constitueretur per pecunias census.*

C O N S E C T A R I U M VII. Usura palliatur sub contractu venditionis conditionatæ in sequentibus casibus 1^o. Si venditio non fuerit justo pretio. 2^o. Si vendor rem venditam redimere cogatur intra certum tempus, & nisi redemerit, res conditionatè vendita censeatur absolute vendita. 3^o. Si res vendita debeat redimi majori prelio, quam fuerit vendita; quia in his omnibus casibus usura latet sub illis simulatis contractibus. Ita Concil Mediol sub Carolo Bonom. tit. de usurâ. *Ne, inquit fiant contractus, ubi non antecedat emptio certæ rei immobilis prelio iusto, vel ubi vendor redimere cogatur, vel ubi non possit red mere, nisi post certum tempus.* *Quomodo licita sit retro ven-*

ditio, dictum est suprà, ubi de venditione.

CONSECTARIUM VIII. Non excusatur ab usurâ palliatâ, quicunque mutuò dat, & accipit pign s pro assecuratione mutui, & ex pignore accipit aliquod emolumentum. Usuram enim verè committit, si non computet fructus in solutionem capitalis: Si quis, inquit, D. Thom. Pro pecunia sibi mutuatâ, vel alia re usuali, v. g. pro frumento, pro vino mutuato obliget rem aliquam, cuius usus pretio estimari potest, debet usum illius rei ille, qui mutuavit, computare in restitutionem ejus, quod mutuavit; alioquin si usum illius rei quasi gratis sibi superaddi velit, idem est ac si pecuniam reciperet pro mutuo, quod est usurarium. 2. 2. q. 68. art. 2. ad 6. Idem dicitur cap. Conquestus de usuris. Et retinens pignus, nedium fructus receptos debet computare in sortem, immo eos, quos percepisset verus possessor.

CONSECTARIUM IX. Usuram palliatam exercent, quicunque mutuò dant, sed ea conditione, quod si intra certum tempus non redgatur mutuum, nec recuperari, nec repeti poscerit pignus traditum pro assecuratione mutui. De his ita Concil. Parisien. Qui tempore necessitatis nihil commodare pauperibus volunt, nisi acquirant fundum aliquod in pignus, saeneratores sunt. Cap. 53. & Concil. Mediolan. sic habet: Prohibetur, ne res detur pignori eâ conditione, ut si ad dictum tempus res redempta non sit; res libera sit emptoris, vel ejus, qui pignori accepit. Idem vetat jus civile cap. de Pact. Pig. & jus Can. cap. Significante de Pignoribus.

CONSECTARIUM X. Usuram sub ficto cambio tegit, qui mutuò dando pecuniam,

idem recipit lucrum, quod solent campores recipere, qui pecunias hic datas cum aliis pecuniis in loco longè remoto dandis permuntant; quia cambium illud est fictum ad palliandam usutam excogitatum. Ita de hoc cambio Carol. Bott. m. *Ne fiant cambi a*, ait, *cum litterae ad locum destinatum non mittuntur, & ibi non fit solutio, sed uno & eodem loco pecunia datur, & accipitur.* Concil. Mediol. de usuris..... De cambio sicco, minuto & locali dictum est supra, ubi de cambio monetarum.

C O N S E C T A R I U M XI. Usuram sub ficta societate tegit, qui dans pecunias suas in societatem, ut dicunt, vult tamen, ut salv sit sors principalis, & ei aliquid quolibet anno pro emolumento pecuniae in societatem traditæ persolvatur: quia ficta est societas, quoties sors principalis non pericitatur. Sic docet Concil. Mediol. 1° *Ne, inquit, in societe, in qua alter pecuniam conferri, alter operas, lucri distributio constituatur, nisi per quatas partes.* 2° *Ne ultra eas ceras pecuniarum summa, vel quid aliud conferenti pecuniam persolvatur.* 3° *Ne fiat pactio, ut sors salv sit, f. ususve communie dividantur.* Concil. Mediol. Ibid Quomodo ineunda sit societas, dictum est supra.

C O N S E C T A R I U M XII. Ratione injustæ estimationis... usurarius est contractus, quodantur animalia, vel merces a estimatæ ultra debitum pretium; quia æstimatio pro venditione habetur. L. Pleniusq. ff. de jure dotium. Cum ergo venditio ultra pretium debitum sit usura palliata; ergo & æstimatio ultra debitum pretium.

C O N S E C T A R I U M XIII. Ratione aestimationis conjunctæ cum simulata societate. Usurarius est contractus , quo animalia & merces æstimantur debito pretio , sed æstimata debito pretio traduntur societati eo pacto , quod integrum capitale non periclitabitur , sed fructificabit deponenti ; quia si æstimatione sit vera venditio , res æstimata est vendita : si vendita est emptoris : si est emptoris , debet fructificare emptori , & non venditori ; quia res Domino fructificat , & ille , qui animalia vel merces emit , tenetur solum reddere premium , de quo conventum est.

C O N S E C T A R I U M XIV. Palliatur usura sub involucro cessionis , quoties accipitur aliquid supra sortem ex vi solius cessionis aliquis summæ , cui debebatur interesse ratione lucri cessantis aut damni emergentis : Cessionarius verò sine titulo damni emergentis vel lucri cessantis , vult aliquid ultra sortem accipere ; quia generalis regula est , quod non detur titulus sumendi interesse , nisi vel lucrum cessans , vel damnum emergens.

Sic Titius vendidit fundum frugiferum Sempronio , iste non habens pecuniam , quā solvat fundum , quem emit , promisit solutionem interesse Titio , qui licet illud interesse accipit : titulum enim habet ; quia scilicet privatū fructibus fundi à se venditi . Titius credit Mœvio debitam sibi summam à Sempronio , Mœvius ex vi solius cessionis non potest licet interesse accipere , nisi aliundē habeat titulum damni emergentis , vel lucri cessantis . Ita Cabassutius . Lib. Theoricae praxis . cap. 7 . num 17 .

Sic ficer cedit genero summam sibi debitam, & ex ea summa constituit dotem. Gener pro dote non soluta, & quam potest, & vult modo aliquo utili collocare ad sustinenda onera matrimonii, potest interesse accipere; sed si maritus eam summam alteri cessavit, ex vi solius cessionis, cessionarius non potest interesse accipere.

CONSECTRARIUM XV. Palliatur usura sub specie pecuniae realiter numeratae, & mutuo traditae, quoties pecuniae nondum persolutae convertuntur in capitale, ex quo novum adhuc interesse percipiatur; hoc enim merito prohibet jus utrumque & civile & Ecclesiasticum, ne usuræ usuris supernascentes debitores opprimant. Si enim habet jus civile L. ut nullo modo Cod. de usuris. Hac apertissimâ lege definimus, nullo modo licere cniquam usuras præteriti temporis, vel futuri in sortiem redigere, & earum usuras iterum stipulari, sed & si hoc fuerit subsecutum, usuras quidem semper usuras manere, & nullum usurarum aliarum incrementum sentire, sorti autem antique tantummodo incrementum usurarum accedere. Et Pius V. constitutione de censibus prohibet, ne census anteà constituius augeatur ex pensionibus debitibus quidem, sed non solutis, quavis ex iam solutis augeri possit.

ARTICULUS VI.

De aliquibus titulis sumendi aliquid supra sortem.

Hic tituli vulgo referuntur à Canonistis.

PRæter titulum damni emergentis, & lucri cessantis, soleat à quibusdam assignari alii tituli sumendi interesse, de quibus titulis hie agemus, non eos rejiciendo, sed explicando. Illi tituli possunt his carminibus comprehendendi.

Feuda, fidejussor, pro dote, stipendia Cleri, Sponie datum, sors indemnisi, conventio pœnae.

PROPOSITIO unica. Quandò in mutuo suscipitur ex pacto aliquid supra sortem, toties debet intervenire, vel damnum emergens, vel lucrum cessans, vel novus aliquis contractus superadditus mutuo, qui tamen non defruat naturam gratuiti mutui.

Probatur 1°. Ex jure civili. Usuræ lucratoria sunt illicitæ, solæ usuræ compensatoriae permituntur: ergo non est aliud titulus sumendi interesse, nisi lucrum cessans, vel damnum emergens. Unde aptissimè ait Corvinus in suis Aphorismis. ff. lib. 22. tit. Itaque, inquit, quotiescumque creditoris nihil interest, id est nihil patitur damni, sciat toties se contra officium facere, & indulgentiam legum abutiri, si ex officio mutuationis, quod debet esse gratuitum, vel aucte, vel etiam post moram, lucrum aucepitur.

2°. D. Thomas 2. 2. q. 78. art 2. ad 1. Non alios titulos percipiendi interesse admittit, nisi quando mutuator occazione mutui, aut

damnum patitur, aut non lucratur, quod posset lucrari. Qui duo tituli solent denominari, lucrum cessans, aut damnum emergens: ergo omnes alii tituli suspecti habendi sunt, nisi ad istos reducantur.

3°. Ratione. In omni contractu res, quæ sunt materiâ contractuum, debent reduci ad æqualitatem, alias violaretur justitia commutativa: ergo & in mutuo. v. g. Ego mutuatorius non debeo plura rependere, quam accipi, si acceperim centum, debeo centum rependere: Ergo si quid ultra rependam ex pacto, hoc ideo rependo, ut reparem, vel damnum emergens, vel lucrum cessans mutuatoris, alias mutuator non habet jus exigendi, quod rependo.

¶ Quod si absit titulus lucri cessantis, vel damni emergentis, debet necessariò intervenire novum pactum, quo adstringar rependere aliquid supra sortem; quod pactum justum erit, si non destruat gratuitum mutuum: injustum verò. si destruat gratuitum mutuum; quia contractus de unâ & eâdem re inter personas easdem exerciti sunt injusti, quando unus destruit alium.

Consecaria hujus Doctrinæ, in quibus explicantur singulæ voces prædictorum carminum.

C O N S E C T A R I U M I. In quo explicatur hæc vox, *feuda*: **C**um Dominus mutuò dæc vassallo argentum, &c. & à vassallo suo remissis ei servitiis feudum in pignus accipit, potest fructus fundi sui licite accipere, nec tenetur eos computare in sortem; quia ex ta-

Si mutuatione & oppignoratione Dominus
damnum patitur: privat enim se servitiis sibi
a vassallo exhibendis. Deinde Dominus habet
dominium directum supra fundum sibi oppig-
noratum: Ergo potest licet fructus ejus ac-
cipere; quia res Domino fructificat. Ita habe-
tur cap. *Insinuatione de feudis. Insinuatione*
præsentium declaramus, quod gageria, quam de
fundo Ecclesiæ tuæ dignosceris recepisse, à te po-
test liberè detineri, fructibus non computatis in
soritem, ita vidolices . . . vi M. Servitio feudi
sit immunis.

CONSECTARIUM II. In quo explica-
tur hæc vox, *fidejussor*. Qui pro alio sponden-
do damnum aliquod patitur, vel quia solvit
debitum, vel quia labores subiit, &c. Potest
pro mutuo dato aliquid supra sorte accipere;
quia fidejussor (ut supponimus) damnum pas-
sus est. Ita docetur cap. *Pervenis de fidejusso-*
ribus. Moneratis eosdem, ut memorato Clerico
pecuniam, quam pro iis solvit, restituant, ip-
*sumque servent indemnem, & *damna etiam,**
quæ propter hoc pertulit, resarciant.

Si verò fidejussor nullum damnum patere-
tur spondendo, usurarius esset, si aliquid ac-
cipetet.

CONSECTARIUM III. In quo explica-
tur hæc vox, *pro dote*. Quandò gener ob one-
ra matrimonii sustinenda damnum patitur, po-
test acciper interest, vel vice dōtis accipe-
re fundum. non computando fructus in
sortem: quia nutriendo uxorem sine dote, dam-
num patitur: Onerosa quippè res est mulier
nutrienda sine dote. Ita docetur cap. *Salubri-*
ter de usuris: tunc generum ad fructus possessorum

num, que sibi à socero sunt pro numeratâ dote pignori obligatae, computandos in sortem, non credimus compellendum, cum frequenier dotis fructus non sufficiant, ad onera matrimonii sustinenda.

Quod si nihil damai pateretur; vel quia nulla sustineret onera matrimonii; vel quia lubens voluisset accipere uxorem sine dote; vel quia fructus, vel ex toto, vel in parte excederent onera matrimonii, tunc usurarius esset: quia non haberet titulum damni emergentis, vel lucri cessantis; nisi expressè conventum esset, quod loco pecuniae dotalis numerandæ daretur fundus frugifer.

Ideo heredes non sustinentes onera matrimonii debent computare fructus in sortem; vidua pariter, si non sustineat onera matrimonii: sed si vidua sustineat onera matrimonii, nec habeat, unde vivat, potest accipere interesse. Ita Sylvius: dos enim est fundus debitus viduae, sicut legitima debetur filiis, ergo sicut legitima non mutuò data, sed remanens in manu heredis, est fundus ex natura sua dans interesse, ita & fundus dotalis, non quidem datus mutuò; sed remanens in manus, qui dotem constituit.

CONSECTARIUM IV. In quo explicantur hæc voces, *stipendia cleri*. Cum Clericus fundum Ecclesiasticum aliter redimere nequit, quam mutuando, & prætextu pignoris illum suscipiendo de manu Laici, tunc potest citra usuram, vel non computare fructus fundi in sortem, vel dominium ipsius fundi exigere pro mutuo; quia tunc damnum patitur, nimis iuquam detentionem fundi proprii.

Deinde mutuo utitur, non ad lucrandum; sed ad injustam vexationem redimendam. Ita habetur cap. *Plures de usuris in fine.*

C O N S E C T A R I U M V. In quo explicantur hæc voces, *sponte datum.* Citra usuram potest accipi, quod sponte offertur; quia usura est, cum aliquid, non ex gratitudine, sed ex necessitate & pacto exigitur; sed ne sub nomine spontanæ obligationis usura lateat, attendat quisque ad hæc verba Hilatii super illud Psalmi: *Qui munera super innocentem non accepit. Ita David eam in muneribus docet servandam esse rationem, ut sumantur à nobis, quæ sint grata & utilia offerentibus, non que nos faciant venales, nec insidiosa innocentibus sint, nec muneribus sumptuosa, officio potius, quam cupiditate sumpta, honore magis ingesta, quam metu, charitate magis suscepta, quam lucre.*

C O N S E C T A R I U M VI. In quo explitantur hæc voces, *sors indemnisi.* Postquam mutuator gratis mutuò dedit pecunias, frumentum, &c. Si rogetur mutuans à mutuatario, ut mutuans sponte & nequaquam invitus suscipiat in se per novum contractum periculum sortis, potest absque vitio usuræ aliquid recipere, non ratione mutui, sed ratione periculi in se suscepti; quia suscipere periculum est contractus assecurationis, qui non est illicitus, ut infra dicetur, & hic contractus assecurationis non destruit contractum mutui: quippe mutuatarius potuisset susceptionem periculi tertiaræ personæ proponere, & aliquid pro suscepere in se periculo offerre: Ergo & potest eandem conditionem proponere mutuatori;

tori ; quia non est pejoris conditionis , ex eo quod gratis mutuum contulerit. Tum istud debet provenire à mutuatario , & non à mutuante ; quia si veniat à mutuante , ibi est usura palliata , ut dicitur cap. *naviganti vel eunti ad nundinas de usuris.* Ita tenet Fagnanus explicans prædictum caput , tam n melius & tutius est nunquam pascisci de servando capitali indemnii.

C O N S E C T A R I U M VII. In quo explicantur hæc voces , *conventio pœnae.* Postquam mutuator gratis mutuò dedit argentum , auro , &c. si rimeat mutuatum non solutum ad condicium tempus , potest pœnâ conventionali cogere morosum debitorem ad solvendum condicò tempore . & aliquid exigere ultrà sortem , si non solvat , non ratione mutui , sed ratione novi contractū , nimirum conventionalis pœnae ; quia interest publicæ utilitatis , ut pacta serventur , & pœnæ , de quibus voluntarie conventum est , subeantur , non ante declarationem judicis , sed post declaracionem juridicam , ut diximus , ubi de lege pœnâ. Punitorias ergo usuras duæ causæ lici as reddunt , ex parte creditoris præsumptum damnum , quod interesse v'gō nominant ; ex parte debitoris mora , non innocens , sed culpabilis , quæ , cum delictum sit , puniri debet. Ita habetur C. L. 22. de usuris.

Nota tamen , quod si creditor mallet debitorem potius incurrire pœnam , quam in termino solvere , esset usura , ut ait Scotus in 4. dist. 15. art. 2.

Si pœna apposita excedit interesse , præsumitur usura. Leg. *prædia de actionibus empt.*

Præsumitur pariter usura, quando apponens pœnam consuetus est fœnerati. Leg. Julianus.

Quandò mutuatarius non solvit in termino præfixo, non ex dolo, sed sine culpâ, non potest in conscientiâ ab eo exigi pœna conventionalis; quia innocens non debet puniri.

Demum in praxi tituli de periculo sortis, & de pœna conventionali, debent esse suspecti, & non nisi raro permittendi, scilicet quandò constat mutuatorem non lucrum querere, sed solam mutuatarii utilitatem peroptare, & solam capitalis assecurationem intendere.

ARTICULUS VII.

De variis titulis sumendi interesse excogitatis a quibusdam autoribus.

PRÆTER prædictos titulos excogitatos à Canonistis, quidam alios titulos excogitauit, quos omnes recensebimus, & refutabimus.

PROPOSITIO unica. Falsus est omnis titulus sumendi interesse, nisi interveniat, vel lucrum cessans, vel damnum emergens, ut patet ex dictis: ergo falsi sunt sequentes tituli, quos sola avaritia excogitavit.

Conjectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Utilitas, quam capie mutuatarius ex mutuo, non est titulus su-

mendi interesse; ex eo enim quod mutuantarius accipiat aliquid utilitatis ex re mutuatâ, nulla est ratio mutuatori recipiendi lucri; quippe illa utilitas debet cedere non in bonum mutuantis, sed in bonum mutuararii: sicut iniquum esset aliquid exigere supra justum pretium rei venditæ propter utilitatem, quæ emptori ex re empta eveniret.

CONSECTARIUM II. *Delectatio*, quæ provenit mutuatorio, ex eo quod res mutuò data aliquam delectationem sibi pariat, mutuatori eadem delectatio quasi eripiatur; est titulus falsus; quia valor rei mutuatae non debet pensari ex privatâ & inordinatâ privatorum hominum cupiditate, sed ex rationali hominum estimatione. Et sicut venditor non potest rem vendere supra justum pretium propter delectationem, quam capit in possessione rei; ita nec mutuans potest ob similem delectationem, quâ privat se mutuando, aliquid exigere supra sortem.

CONSECTARIUM III. *Dilatio solutionis ad certum tempus*, non est justus titulus sumendi aliquid supra sortem; quia de ratione mutui est, ut mutuator non possit repetere mutuum, nisi ad condicium tempus; quia dilatio seu tempus non est aliquid, quod ad mutuantem pertineat, & proinde pro eo nihil potest accipere. Etenim Alex. VII. Damnavit hanc propositionem: *licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

CONSECTARIUM IV. *Venditio rei usualis* non est titulus sumendi interesse. Quidam exigunt aliquid supra sortem, respicien-

res mutuationem quasi venditionem , & dicentes , quod sicuti in venditione potest res vendi supremo , medio & infimo pretio v. g. vendi supremo pretio , & emi infimo : ita & res mutuata potest dari infimo pretio , & recipi supremo , & sic mutuatariū teneri aliquid dare supra sortem . Titulus ille est iustus ; quia hic contractus non esset mutuatio , sed venditio .

C O N S E C T A R I U M V. *Locatio rei mutuatae* est falsus titulus . Quidam exigunt interesse ratione locationis rei mutuatae , dicentes quod res mutuata locatur , sicut equus locatur : & sicut datur aliquid pro locatione equi , ita & dari debet aliquid pro locatione pecuniae . Ille titulus est falsus ; quia aliud est mutuare , aliud locare ; quia qui locat , est Dominus rei locatae , & ita potest ratione usus aliquid accipere : sed qui mutuò dat , non remanet Dominus rei mutuatae ; & ita non potest pro illius usu aliquid recipere .

C O N S E C T A R I U M VI. *Major estimatio pecuniae numeratae* , quam numerandae , est falsus titulus . Quidam accipiunt aliquid ex mutuo , dicentes , quod pecunia numerata est pretiosior numerandâ . Ille titulus est falsus ; quia idem est valor pecuniae numeratae & numerandae : ideo damnata fuit sequens .

P R O P O S I T I O cum numerata pecunia pretiosior sit numerandâ , & nullus sit , qui non majoris facial pecuniam præsentem , quam futuram , potest creditor aliquid supra sortem à mutuariō exigere , & eo titulo ab usura excusari .

C O N S E C T A R I U M VII. *Periculum somi intrinsecum* est falsus titulus sumendi interesse .

Quidam recipiunt interesse , dicentes , quod res mutuò data præcipue pauperi homini non satis noto , periculo est obnoxia , & ita ratione illius periculi , potest sumi aliquid supra sortem. Sed titulus ille est falsus , 1° . ut dicit D. Th. opusculo 42. de usuris cap. 6. *ratio periculi etiam circa sortem non tollit rationem usuræ in mutuo* , ut probatur in capitulo navi-ganti de usuris 2° . Si fas esset usuram sumere ob periculum intrinsecum sortis , nunquam à divite , semper verò à paupere licet usuras accipere ; quia sors semper periclitatur apud pauperes , tardò verò apud divites. 3° . Nihil aliud requiritur ex vi justitiae , nisi ut res , quæ sunt materia contractus mutui , reducantur ad æqualitatem : Ergo injustè se gerit mutuator , qui ob periculum sortis exigit aliquid ; aut saltem cum redditus mutuum , debet computare in sortem , quidquid à tempore mutationis datum est.

CONSECTARIUM VIII. *Constitutio regia* est falsus titulus. Quidam exigunt interesse ; quia Rex ita permittit , sed Rex non permittit , ut sumatur aliquid supra sortem , nisi quatenus supponit mutuatorem habere justum titulum . vel damni emergentis , vel lucri cessantis . Et dato quod permitteret , illa licentia non excusat coram Deo , ut optimè docet D. Th. *leges humanae dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones aliquorum hominum imperfectorum , in quibus multæ utilitates impedirentur , si omnia peccata districte prohiberentur pœnis adhibitis* ; & ideo usuras lex humana concessit , non quasi estimans eas esse secundum justitiam , sed ne impedirentur utili-

326 MORALIS CHRISTIANA:
tates multorum. Et inst. lib. 2. tit. 4. res. que
usu consumuniur, neque ratione naturali, neque
ratione civili, accipiunt usumfructum.

CONSECTARIUM IX. Status pupillo-
rum, est falsus titulus sumendi interesse. Tu-
tores vel Curatores pecuniam pupilli, vel
minoris non possunt mutuo dare, exigendo
aliquid supra sortem. Ita docet Concilium
Mecliniense post Concil. Medioli. tit de usotis.
Quoniam usura jure divino & canonico omnibus
Christianis sub pena peccati mortalis interdicitur,
neque facienda sunt mala, ut eveniant bona, Sy-
nodus statuit, & ordinat, ne quis Tutor, aut
Curator sub praetextu augendi patrimonii paupe-
rum pupillorum, aut sub eorum curatela exis-
tentium, pecunias illorum sub certo lucro singu-
lis annis ultra sortem recipiendo, mutuo det,
retentâ facultate repetende sortis, declaratq[ue]
hujusmodi contractus usurarios. Et constitu-
tiones Aurilianenses. art. 1002. sic habent: les Tu-
teurs & les Curateurs des Mineurs feront tenus si-
tôt qu'ils auront fait Inventaire des biens apparte-
nans à leurs pupilles, faire vendre par autorité
de Justice les meubles perissables, & employer en
rente ou héritage par avis des parens & amis
les deniers, qui en proviendront. Ubi dicitur
bona mobilia pupillorum, non in mutuum esse
collocanda, sed in emptione, vel censu, vel
bonorum immobilium. Idem docet Sylvius in
Binsfeldium, & probat multis Conciliis Pro-
vincialibus. Et talis est usus in Gallia juxta
Bochelum in sua bibliothecâ, ubi sic habetur:
*cette proposition d'usure portée par la Loy de Fran-
ce, est générale & ne regoit limitation pour la
faveur des pupilles ou autres personnes.* Ainsi

DE MUTO ET USURA. 327
fut-il jugé par Arrêt sur plaidoyer le 13. jour de
Juin, la Cour seante aux Augustins.

ARTICULUS VIII.

*De casibus, in quibus videtur usura committi, nec
tamen revera committitur.*

PROPOSITIO unica. Ut committatur usura, debet intervenire contractus, vel explicitus, vel implicitus mutui, & ex mutuo debet immediate percipi res pretio æstimabilis.

Probatur. Usura est lucrum ex vi mutui immediate proveniens: ergo si res proveniens ex mutuo non sit pecuniæ æstimabilis, qualis est amicitia, non erit usura; vel si lucrum periatur, & non sit mutuum, vel si lucrum veniat aliundè quam ex mutuo, non erit usura: usura enim est lucrum ex vi mutui, & non aliundè proveniens.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Non est usurarius, qui mutuat, ut sibi conciliet amicitiam & gratitudinem mutuatarii; quia amicitia & gratitudo non sunt res, quæ soleant apud homines pecuniæ æstimari. Recompensationem eorum quæ pecuniæ non mensurantur, licet pro mutuo exigere, putat benevolentiam & amorem ejus, cui mutuatur, vel aliquid hujusmodi, ait D. Th. 2. 2. q. 78. a. 2.

CONSECTARIUM II. Non est usurarius, qui mutuat, ut recuperet rem sibi in-

328 MORALIS CHRISTIANA.
justè detentam, aut ut se liberet ab injusta
vexatione, v. g. à litibus injustis; quia ut
optimè ait Cajet. *Mutuator non acquirit alienum, sed in primo casu acquirit suum, in secun-*
do conservat.

CONSECTARIUM III. Si quis, in-
quit Sylvius in Binsfeld. mutuet, intendens
sibi comparare amicitiam alterius, ex quâ deinde
lucrum expectet, non est usura, imo nec alterius
generis peccatum; quia lucrum non sequitur
immediatè ex mutuo.

CONSECTARIUM IV. Contractus
census anni redimibilis ex parte recipientis
pecunias, & irredimibilis ex parte dantis,
non est usurarius, quamvis tantum lucrum
recipiatur ex pecunia data, quantum recipi-
tur ex pecuniâ mutuata: quia talis contractus
non est verum mutuum, sed vera emptio
pensionis.

CONSECTARIUM V. Mons pietatis,
in quo quibuscumque egenis mutuo datur,
& accipitur tantum aliquid pro expensis, si
fiat juxta constitutiones Pontificum, non
est usura; sed ut magis pateat, quid de censu
& de monte pietatis sentiendum sit, fuisse de
utroque agendum.

ARTICULUS IX.

De pensione censuali.

§. I.

De naturâ censûs annui.

Census, ut contractus, est pactum, quo
acquiritur jus ad exigendam annuam pen-
sionem, qui obligatur ad solvendam illam pen-
sionem, dicitur *censuarius*. Qui habet jus
percipiendæ pensionis, dicitur *censualista*. Hæc
definitio non aliter probatur, quam communis
omnium Doctorum consensu, qui censum ita
definiunt.

§. II.

De varia censûs divisione.

Census potest dividî multipliciter. 1°. Ex
parte rei, supra quam fundatur. Census
alius est realis, alias personalis, aliis
mixtus. Census realis est jus percipiendæ
pensionis ex frugiferâ, v. g. ex domo, ex
agro, ex prato, & perit pereunte re, supra
quam fundatur.

Census personalis est jus percipiendæ pen-
sionis ex personâ industriâ suâ lucrum afferen-
te, & perit mortuâ personâ, supra quam
fundatur,

Census mixtus, est jus percipiendæ pen-

330 MORALIS CHRISTIANA.
sionis ex re simul & personâ ; etenim res
simul & persona obligantur.

2°. Ex parte durationis. Census alius est
perpetuus , alius temporalis. Census perpetuus
est ille , qui nullo tempore definito circum-
scribitur. Census temporalis est ille , qui ad
certum tantum tempus est duraturus , v. g. ad
decem annos , ad vitam.

3°. Ex parte modi. Census alius est consig-
nativus , alius reservativus. Census consigna-
tivus est ille , quo quis retento bonorum suo-
rum dominio directo & utili , assignat alteri
aliquam pensionem ex illis eisdem bonis.
Census reservativus est ille , quo quis transfert
dominium utile bonorum suorum in alterum ,
reservatâ sibi annuâ pensione super illis
bonis.

4°. Ratione cessationis. Census alius est
redimibilis , alius irredimibilis. Census redi-
mibilis est ille , qui refusione certæ pecuniæ
redimi potest. Census irredimibilis est ille ,
qui refusione pecuniæ redimi non potest.

5°. Ratione rei , quæ percipitur. Census
alius est pecuniarius , alius fructuarius. Cen-
sus pecuniarius est ille , qui pecuniâ solvitur.
Fructuarius est ille , qui fructibus penditur ,
v. g. vino , frumento , oleo.

PROPOSITIO I. Census annuus potest
absque vitio usuræ emi & vendi , modò obser-
ventur certæ conditiones.

Probatur 1°. Autoritate Martini V. & Ca-
lixti III. Qui Pontifices interrogati de hujus-
modi contractibus dixerunt licitos esse , ser-
vatis quibusdam conditionibus , ut patet ex
corum Bullis.

2º. Ratione. Jus exigendi pensionem annuam est pretio estimabile : ergo potest & emi & vendi absque vitio usuræ. Quando autem emitur pensio , non emitur pecunia , sed emitur jus exigendi talem pecunia quantitatem quolibet anno solvendam : sicuti qui emit agrum , non emit fructus agri , sed jus percipiendi fructus quolibet anno nascituros ; & licet pensiones collectivè sumptæ sint longè majoris pretii , quam summa , quā emptæ sunt , tamē emptio non est injusta ; quia non emuntur pensiones exigendæ , sed jus exigendi pensiones. Sicut licet fructus è prædio aliquo colligendi sumpti simul intra omne tempus , quo fundus potest fructificare , possint esse in majori quantitate & valore , quam pretium , quod pro fundo datum est , tamē emptio non censeretur injusta ; quia non emuntur fructus successivè colligendi , sed jus percipiendi fructus quolibet anno nascituros.

PROPOSITIO II. Quando statuitur pensio annua , eadem requiruntur conditio-nes , quæ in emptione & venditione.

Probatur ratione. Talis contractus est vera venditio. Qui dat argentum , ut acquirat jus pensionis , ceu censualista , est verus emp-tor ; quia emit tale jus. Qui accipit argen-tum , ceu censuarius , subjiciendo se oneri solvendi pensionem , est venditor ; quia vendit talem obligationem : ergo cum talis contractus sit emptio & venditio debet habere condi-tiones emptionis & venditionis.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Quoad personas censualista debet habere dominium argenti, quod numeratur; quia est emptor. Censualis debet habere dominium pensionis, quæ solvitur; quia est venditor.

CONSECTARIUM II. Quoad res. Si census sit realis, res, super quam constituitur, non debet esse alteri obligata; quia sicuti res jam vendita non potest vendi, ita neque res jam obligata potest de novo obligari. Debet insuper res esse pensioni assecrandæ sufficiens; quia alias fraudaretur censualista, sicut fraudaretur emptor, si res venalis non responderet pretio.

Sic census sit personalis, persona, in qua fundatur, debet suâ industriâ esse sufficiens assecurandæ pensioni; alias jus pensionis esset nullum, ut potè non fundatum; sicut in qua esset venditio, si venderetur id, quod non est.

CONSECTARIUM III. Quoad pretium. Jus pensionem percipiendi debet vendi & emi justo pretio, quod tale judicatur, vel per legem à Republicâ statutam, vel per consuetudinem. Solitum pretium est modò date quinque pro centum.

CONSECTARIUM IV. Quoad modum statuendi pensionem. Census debet esse irreducibilis ex parte censualistæ, & redimibilis ex parte censuarii; quia ita determinarunt Pontifices; etenim si censualista posset annuam pensionem recipere, & insuper prouta

mutu capitale exigere, talis contractus degeneraret in mutuum conjunctum lucro, atque ita contractus esset usurarius.

C O N S E C T A R I U M V. Quoad necessitatem numerandi pecuniam. Dum census creatur, tunc pecunia debet actu & realiter contam testibus & Notario numerari. Hoc exigit Bulla Pii V. ad præcavendos diversos modos fœneratorum, qui numerant nonaginta & scribunt centum, qui numerant reverâ centum, & centum scribunt; sed ex numerata summâ substrahunt decem aut plura. Isen centum constituunt ex mercibus venditis & pro arbitrio taxatis; ex usuris non solutis, & aliis variis modis, quibus avaritia tegitur, & palliantur usuræ. Non peccaretur tamen contra justitiam, si pecunia olim fuisset vel certe numerata, vel aliquo justo titulo debita: Sed cavendum esset, ne quid falsi enuntiaretur in instrumento publico; quia numquām licet mentiri.

C O N S E C T A R I U M VI. De rebus super quas constituitur census. Falsum est, quod census nequeat constitui, nisi super unam rem determinatam; quia ex usu communiter recepto constituitur generaliter super omnia bona censuarii. Falsum pariter, quod census nequeat constitui super personas; quia usus contrarius prævalet, qui cum nihil habeat iniqui, observari potest. Ita Soto. Lib. 6. q 5. Bullæ Pp. non exigunt has conditiones, sed Bartholomaeus Mitanda eas suo judicio induxit.

ARTICULUS X.

De Monte Pietatis.

MONS Pietatis est cumulus rei usu censumptibilis, v. g. pecunie, frumenti, &c. Ad mutuandum e gentibus, ad certum tempus, sub idoneo pignore, in quo vel nihil accipitur, vel aliquid moderatum accipitur quolibet mense pro expensis necessariis.

P R O P O S I T I O unica. Montes pietatis sunt liciti, modo fiant cum conditionibus supra statutis.

Probatur 1° Ex Constitut. Pauli II. Sixti IV. Innocen. VIII. Alexandri VI. Concil. Lateranensis sub Leone X. ubi illi montes habentur ut liciti.

2°. Ratione. Tunc non committitur usura, quando aliquid sumitur ultrà sortem pro indemnitate mutuantis; quia damnum emergens est titulus legitimus percipiendi interesse: at qui ita est in proposito: Ergo non committitur usura in montibus pietatis.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Ut mons pietatis nomini suo plenè responderet, mutuarii nihil deberent dare præter pignus, quod refusa forte intra annum aut circiter integrum ipsis restitui debet. Ita docent constitutiones supra citatæ.

C O N S E C T A R I U M II. Mons pietatis regnet adhuc nomen suum, quandò aliquid mo-

deratum accipitur pro solis expensis necessariais ad conservandum montem. Ibid.

CONSECTARIUM III. Mons pietatis in impietatem & usuram degenerat, si sumatur aliquid pro mutuo, pro adaugendo monte pietatis, aut pro fictitiis aliis titulis. Ibid.

CONSECTARIUM IV. Mons pietatis veram impietatem continet, si sub praetextu juvaminis egenorum, fiat illis gravamen, vel in fraudulenta subhastatione pignorum, vel in enormi pensitatione menstrua, vel in immoderato impendio aedificiorum, vel in excedenti numero ministrorum, & excedenti corrum stipendio. Ibid. quia tunc sub nomine pietatis palliatur usura.

ARTICULUS XI.

In quo explicatur, quid requiratur in contractu mutui, quoad personas, quoad res, quoad modum contrahendi.

PROPOSITIO unica. Ut mutuum sit validum 1º. Mutuator debet habere rei, quam mutuò dat, dominium, & administrationem; mutuatarius verò debet posse mutuatæ rei dominium recipere. 2º. Res mutuò data & acceptata debet esse ipso usu consumptibilis. 3º. Mutui datio & acceptatio nihil debet habere, quod legibus adversetur.

Probatur Ratione. Ex dictis de contractibus in communi. 1º. Personæ contrahentes debent esse habiles ad contractum, quem ineunt. 2º. Res, quæ sunt materia contractus, debent esse in eo commercio, quod requiritur ad s-

E e ij,

nem contractus, qui initur. 3°. Modus contrahendi debet esse juxta leges: ergo ut contractus mutui sit validus debet habere prædictas conditiones. 1°. Enim cum per mutuum transferatur rei mutuò datæ dominium, mutuator debet habere & rei illius dominium, & administrationem, mutuatarius verò debet posse illud recipere. 2°. Cum finis mutui sit, quod res usu consumptibiles ab uno contra hente in alium transferantur, res mutuò datæ debent ipso usu consumi 3°. Demum cum nullus contractus legi contrarius sit validus, si mutuum contrà leges ineatur, nullius erit vigoris.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Quoad personas.
Illi solum possunt mutuò dare, qui possunt transferre dominium; quia contractus mutui non sit, nisi eo fine, ut mutuatarius acquirat rei mutuæ dominium. Illi verò non possunt mutuò dare, qui non habent rerum dominium vel administrationem.

Sic pater-familias potest mutuò dare res suas, filius-familias bona castrenia, uxor bona paraphernalia; quia hi omnes habent rerum prædictarum dominium, & administrationem.

Sic è contrà pater-familias non potest mutuò dare bona uxor, nec uxor bona mariti, nec filius bona familiæ.

Sic tutores possunt res pupilli mutuò dare, & curatores res minoris, modò faciant conditionem pupilli & minoris meliorem; quia eti-

non habeant dominium earum rerum, habent tamen illarum administrationem, & agentes nomine vel pupilli, vel minoris, una cum pupillo & minore, vere habent rei mutuo datæ dominium.

Administratores Reipublicæ possunt mutuò dare, modò ad id mandatum habeant, & modò conditionem Reipublicæ meliorem faciant; quia nomine Reipublicæ agentes, vere habent dominium rei, quam dant mutuò. L. 27. ff. de rebus creditis.

Sic si tutor, & curator, & administratores Reipublicæ conditionem pejorem faciant illius, cuius curam gerunt, id damno suo faciunt, ut dicemus, ubi de officio tutorum & curatorum. Illi iidem, qui possunt mutuò dare; quia habent rei mutuatæ dominium, possunt etiam mutuò accipere: quia possunt rei mutuò datæ dominium accipere. L. 2. ff. de rebus creditis §. penultimo.

C O N S E C T A R I U M II. Quoad res. Illæ solum res possunt mutuò dari, quæ ipso usu consumuntur. *Mutui datio*, inquit jus civile, consistit in his rebus, quæ pondere, numero & mensurâ consistunt. Id est, quæ ipso usu consumuntur. L. 2. ff. de rebus creditis.

Sic vinum, oleum, frumentum, &c. possunt mutuò dari; quia ipso usu consumuntur.

Sic etià moneta, ut potè excogitata ad commutationes faciendas, potest mutuò dari, quippè ipso usu quasi consumitur; & licet in se ipsâ non pereat, dum eà utimur, perit tamen utenti; eam enim amplius non habet in sua potestate, ubi eâ usus est.

C O N S E C T A R I U M III. Quoad modum
Ecclij

Mutuum, quod est contrà leges irritantes, est nullum; illud verò quod est contrà leges prohibentes, est illicitum; quia ad leges solum pertinet, vel irritare, vel prohibere contractus, qui Reipublicæ nocere possunt.

Sic contractus mutui manifestè usurarii, & ut tales declarati per leges, sunt in utroque foro nulli & invalidi; tales sunt contractus, quos suprà recensuimus, tanquam manifestam usuram continentest.

Sic contractus palliatam usuram continentest, sunt illiciti in foro interiori, & in foro exteriori sunt invalidi, si per sententiam judicis declarentur usurarii.

Sic contractus, quo mutuò datur argentum filio-familias utriusque sexus ab eo, qui scit eum esse filium-familias, est invalidus & nullius; & filius-familias, qui mutuò accepit pecunias, non cogitur coram judgeas solve-re, ex vi *Senatus-Consulti Macedoniani*, in his scilicet casibus, in quibus viget Senatus-Consultum Macedonianum, cuius hæc sunt verba: *Placere, ne cui, qui filio-familias pecuniam mutuam dedisset, etiam post mortem parentis ejus, cuius in potestate fuisset, actio petitioque daretur: ut scirent, qui pessimo exemplo fænerarent, nullius posse familias bonum namen expectata patris morte fieri.* Quod ut clarius per-
ecat, sit.

9.

De Senatus-Consulto Macedonianis.

Hujus Senatus-Consulti Macedoniani causa.

sam præbuit fœnerator Macedo, qui filiis-familias mutuam pecuniam credere solebat ad luxum; undè tandem flagitiis obruti, ad quodvis flagitium impellebantur; quo Senatus-Consulto prohibitum est, ut non liceret pecuniam creditam petere post mortem patris, nec à filio-familias sui juris facta, nec etiā ab ejus successoribus, aut sociis; ut sic improbi fœneratores eas pecunias perderent, quas pravâ fœnerandi intentione, contrà bonos mores filiis-familias mutuò dedissent. Ita L. 1. ss. de Senatus-consulto Macedoniano.

Cessat tamen Senatus-Consultum Macedonianum in sequentibus casibus.

1°. Si filius-familias pro patre-familias publicè habeatur, & in eo errore fuerit bona fide ille, qui pecuniam mutuò dedit: *Si quis, inquit jus, patrem-familias esse credit;* quia publicè pater-familias plerisque videbatur, sic agebat, sic contrahebat, sic munieribus fungebatur; cessabit Senatus-Consultum.

2°. Si volente patre-filius-familias pecuniam mutuò acceperit, vel mutationem paternam habuerit: *Hoc amplius cessabit Senatus-Consultum,* inquit Lex 7. S. 15. *Si pater solvere cupit, & quod filius-familias mutuum sumpserit, quasi ratum habuerit.*

3°. Si pecunia accepta à filio insumpta fuerit his oneribus, quæ patri incumbebant, v. g. nutritiæ familiæ, solvendis debitibus paternis: *Proinde, inquit jus civile, si accepit pecuniam, & in rem patris vertit;* cessat Senatus-Consultum; patri enim non sibi accipit. L. 7. ibid. 5. 12.

4°. Si filius-familias factus sui juris, debi-

tum agnoverit, novâque stipulatione se obligaverit. L. 20. ff ibidem. Si pater-familias factus, inquit jus, *novatione facta*, eam pecuniam expromisit.

5°. Si debitum contraxerit ergâ creditorem, non pecunias accipiendo mutuò, sed emendo aliquid sibi necessarium, putâ vestes necessarias, libros necessarios, arma necessaria, &c. Quia tamen, inquit jus civile, pecuniae numeratio non occurrit, cessat Senatus-Consultum; quod ita est intelligendum, si non *fraus* Senatus-Consulto sit excogitata. L. 3. ibid. §. 3.

6°. Si mutuo pecunias acceperit, vel ad liberalem, vel ad mechanicam artem addiscendam. Quod dicitur *in eo*, inquit cadem lex, qui studiorum causâ absens mutuum accepferat, cessare Senatus-Consultum: ita locum habet, si probabilem modum in mutuo non excessit. §. 13.

M O N I T U M 1°. In his tamen casibus, in quibus in foro exteriori viget Senatus-Consultum Macedonianum, *Manet*, inquit jus, *obligatio naturalis*. L. 10 ff. ibid. Atque idè, si solutæ sint pecuniae mutuò acceptæ, *solutum non repetunt*, inquit jus, *qui ob pœnam creditorum actione liberantur*. L. 9 ff. §. 4. ibid. 2°. Id, in quo mutuatarii facti sunt ditiores, restituendum est; quia nemo potest damno alterius fieri locupletior. 3°. Si filius-familias mutuando sincerè promiserit solutionem, tenetur stare missis, ut diximus, ubi de promissione.

ARTICULUS XII.

De pœnis usurariorum.

USuratiis aliæ destinantur pœnæ jure naturali, aliæ jure civili, aliæ jure Canonicō.

Jure naturali. 1^o. Usurarii tenentur restituere omne damnum, quod per usuras causatum est; quia juxta regulam juris; *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* 2^o. In eorum defectu eorum hæredes ad eam restitucionem tenentur. cap. *Tua nos.* De usuris. ubi sic habetur. *Filiis ad restituendas usuras, eā sunt distinctione cogendi, quā parentes sui, si vivearent, cogerentur. Idipsum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum.* 3^o. Possessiones, quæ de usuris comparatæ sunt, debent vendi, & ipsarum pretia iis, à quibus usuræ sunt extortæ, restituui. cap. *cum tu.* De usuris.

Jure Canonico usurarii si non restituant, ad communionem altaris non admittuntur; si in hoc peccato decesserint, Christianâ sepulturâ privantur; eorum oblationes ab Ecclesiâ non accipiuntur; ita habetur cap. *Quia in omnibus.* De usuris. *Constituimus, inquit, ut] usurarii manifesti, id est, ut explicat Glossa, qui vel confessi sunt usuram, vel condemnati sunt ut usurarii, vel usuram nullâ tergiversatione celare possunt; Usurarii, inquam, manifesti, nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, ascipient sepulturam: sed nec oblationes eorum quisquam accipiat: Et qui eos sepelierit, ipso facto excommunicationem incurrit, & ab hac pœna*

usurarius morti proximus non solvit, nisi satisfactionem exhibuerit competentem. Ita cap. Eos. De sepulturis. Clement. i. Ubi sic habetur. *Qui usurarios manifestos scienter sepe lire presumit, ipso facto excommunicationis sententiae subjacere decernimus.* Et cap. Quia frustra. De usuris dicitur. *Usurarius... nisi prius ipse restituuerit usuras, quas ab aliis nosciuntur recepisse, nullatenus audiatur.*

Jure civili usurarii infames habentur. Ita L. 20. C. ex quibus causis infamia irrogatur. *improbum fænum, inquit jus, exercentibus, & usuras usurarum illicite exigentibus, infamie macula irroganda est.*

CAPUT XI.

*De quasi contractibus.**Præmium.*

EA est hominum conditio, ut necessaria alii aliis indigeant; & proinde aliqui interdum cogantur permittere res suas geri etiam ab his, cum quibus nihil expressè contraxerunt. Sic qui vel ob teneram ætatem, ut pupilli, vel ob valetudinem, ut infirmi, vel ob longinquitatem, ut absentes, res suas curare non possunt, coguntur permittere easdem res ab illis administrari, qui præ summâ, quâ pollut, vi & industria, & sibi, & aliis invigilare possunt. Hinc enascitur mutua obligatio inter eos, qui ministrant, & eos, quibus ministrantur, quæ obligatio dicitur quasi contractus, eò quod ab obligatione contractuum non longè distat. De obligatione ortâ ex quasi contractibus bîc agemus,

§.

Quid & quotplex sit quasi contractus.

Quasi contractus est negotium, quod inter aliquos tacite & sine expresso consensu gestum, obligationem parit simillimam obligationi contractuum.

Quasi contractus est multiplex, tutelæ administratio, negotiorum gestio, rerum communio, hæreditatis aditio.

Tutelæ administratio est quasi contractus, quo tutor & pupillus ad invicem obligantur; tutor, ut gerat vicem parentis; pupillus, ut subeat vices filii.

Negotiorum gestio est quasi contractus, quo ministrator, & is, cui ministratur, obligantur, sicut mandans & mandatarius.

Rerum communio est quasi contractus, quo qui habent res communes obligantur ad invicem, sicut hi, qui inierunt simul societatem.

Hæreditatis aditio est quasi contractus, quo qui adit hæreditatem & legatarii obligantur ad invicem, sicut donator & donatarius.

ARTICULUS. I.

De munere Tutorum & Curatorum.

TUTOR est ille, qui tuetur personam pupilli, qui se præ ætate defendere non potest: Tutor enim personæ, non rei, datur.

CURATOR est ille, qui res minoris adminis-

erat. Juxta praxim juris tum Gallicani, tum Romani in paucissimis distant tutores à curatoribus; ideo de tutoribus & curatoribus hic simul agemus.

Pupillus est ille, qui nondum est assecutus annos pubertatis. Annus pubertatis in masculis accedit post annum 14. in foeminis post 12. complectum. Minor est ille, qui nondum assecutus est annum 25.

§. I.

De necessitate Tutorum & Curatorum.

PROPOSITIO I. Necessitas publica postulat, ut stabiliantur tutores & curatores, qui erga pupilos & minores vices parentum gerant, & quod pupilli & minores tutores & curatores quasi parentum loco habeant.

Probatur 1º. Scripturā. D. Paulus necessitatem statuendi tutores pro pupillis, & curatores pro minoribus, & mutuam eorum obligationem satis apertè indicat, his verbis: *Quanto tempore bēres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & auctoribus est usque ad p̄finitum tempus à patre.*

¶ 2º. Ratione. Experientiā constat, quod pupilli p̄ae ætate se defendere non possunt; nequè minores p̄ae inscitiā res suas administrare: Ergo ad communem matrem, scilicet ad Rēpublicam spectat, ut tutores pupillis, & curatores minoribus provideat: cum illo tamē onere, ut tutoribus & curatoribus debitus honor exhibeat, pupillis & minoribus debita

DE QUASI CONTRACTIUS. 345
debita cura impendatur ; alias insufficienter
his defectibus provideretur : ergo necessitas
publica postulat , ut stabantur Tutores &
Curatores.

Ex hoc generali principio sequentes infun-
tuntur propositiones.

§. II.

De his , qui Tutelā & Curatelā indigent.

PROPOSITIO Illata ex superiori propo-
sitione.

Hi omnes Tutelā indigent , qui se & sua
defendere non possunt.

Hi omnes Curatelā indigent , qui bona
sua administrare non possunt.

Probatur Ratione. Tutores non ob alium
finem à Republicā statuuntur , quām ut per-
sonam & rem pupilli tueantur ; Curatores vero
statuuntur , ut eorum tueantur bona , qui suis
rebus invigilare non possunt. Ex quo sequi-
tur , quod hi , qui hic sufficiuntur , egent Tu-
telā vel Curatelā.

Consecaria huius Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Infantes tam mas-
culi quam fœminæ egent Tutelā , donec per-
venient masculi ad annum 14. completum ,
fœminæ vero ad annum 12. completum ; quia
tempus pubertatis ita præfixum est à jure lib.
1. institu. titul. 22. impuberes autem censem-
tur se defendere non posse.

CONSECTARIUM II. Minores tam
Tome. IV. F f

masculi quam fœminæ , qui 25. annum non excedunt , egent Curatela ; quia tempus minoritatis ita præfixum est à jure , & minores censentur rebus suis invigilate non posse : lib. 1. instit. titul. 23.

CONSECTARIUM III. Amentes & furiosi curatoribus indigent ; hi enim ob furiam vel amentiam res suas curate non valent : *mente captis , quia rebus suis ,* inquit Justinianus , *superesse non possunt , Curatores dandi sunt L. 1. instit. titul. 23.* Furiosi , licet majores virginis quinque annis sint , tamèn in curatione sunt . Ibidem . Furor autem & dementia debet juridicè probari ; quia posset quis dementiam fingere , ut onera civilia detrectaret , vel malitiosè posset alicui amentia affingi , ut bonis suis spoliaretur .

CONSECTARIUM IV. Curatores statendi sunt pro prodigiis , quibus juridicè interdicitur bonorum suorum administratio ; quia male res suas administrant . *Lege ,* inquit jus civile , *duodecim tabularum prodigo interdictur bonorum suorum administratio.* L. 1. ff. de curat.

CONSECTARIUM V. Curatores dandi sunt his qui surdi sunt & muti , & ob morbum debiles ; hi enim ob infirmitatem naturalē rebus suis superesse non possunt . *Surdis & mutis ,* inquit Justinianus , *& qui perpetuo morbo laborant , quia rebus suis superesse non possunt , curatores dandi sunt.* Instit. lib. 1. titul. 23. de curat.

CONSECTARIUM VI. Bona testatoris , cuius hæreditas nondūm suscipitur , item bona illius , qui ære alieno gravatus est , vel qui re-

DE QUASI CONTRACTIBUS. 347
bus suis cessit : hæc , inquam , bona sub. Curâ
Curatoris alicujus juridicè statuuntur , ne
bona illa pereant , neve legitimi hæredes hæ-
reditate debitâ & creditores bonis suis or-
bentur.

CONSECTARIUM VII. Communitas
sive Ecclesiastica sive civilis eget Tutoribus
& Curatoribus ; quia ut potest coalescens ex
pluribus , singuli nequeunt res suas gerere , sed
aliquem debent præponere rebus gerendis ido-
neum : ideo civitates reguntur per consules ,
Collegia per Syndicos , &c. eadem autem
sunt obligationes Consulum , & Syndicorum ,
quæ Curatorum.

§. III.

*De his , quibus Tutela & Curatela potest vel
non potest committi.*

PROPOSITIO unica. Hi Tutores &
Curatores debent institui , qui sufficienter
valent & personam & res pupilli defendere , &
negotia minorum administrare .

Probatur Ratione. Tutores & Curatores
non ob alium finem statuantur à Republicâ ,
& destinantur ab Ecclesiâ , quam ut provideant
his , qui se vel sua custodire non possunt : er-
go debent his dotibus præmuniti , quibus &
personam pupilli tueri , & bona minoris va-
leant administrare .

Conscia iudiciorum post ince.

CONSECTARIUM I. Hi jure naturali
F f ij

& civili Tutores esse debent, qui utilius & personæ & rebus pupilli prouidere possunt; quia hi utilius vices parentum gerunt. Sic pu-pillo dantur.

1º. Tutores *Testamentarii*, id est, ii, qui à patre testatore nominati sunt, juxta illud juris: *permisum enim est parentibus liberis suis testamento Tutores dare.*

2º. Tutores *legitimi*, id est, consanguinei proximiores, quales sunt mater, si velit, avia, si velit, propinquior cognatione masculus; ut qui sperant successionem minorum, iidem eadem tueantur bona, ne dilapidentur. L. i. ff. de leg. tut.

3º. Tutores *dativi*, id est hī, qui à magistratu donantur: *magistratus enim civitatis Tutores & Curatores quam primum dare curabunt*, si jam non dati fuerint, uti jubet jus civile. Ibid.

C O N S E C T A R I U M II. Hi jure naturali & civili eximuntur à Tutelā & Curatelā, qui sufficienter pupillis & minoribus prouidere non possunt; quiā aliās non satis per Rēpublicam provideretur his, qui nec se nec sua custodire possunt. Et ita sequentes personæ liberantur à Tutelā.

1º. Fœminæ, quiā sunt negotiis gerendis parēm idoneæ: *fœminæ Tutores daxi non possunt*; quiā ut docet jus civile, id munus masculorum est. Leg. ult. ff. de tut. mater tamen & avia filiorum tutelam suscipere possunt; quia amor matris erga filios, & aviæ erga nepotes supplet sexus infirmitatem.

2º. A Tutelā & curatelā excluduntur pupilli & minores, ut docet lex, qui enim ab

DE QUASI CONTRACTIBUS. 349
aliis reguntur , aliorum Tutelam vel curam
subire non possunt lib. i. inst de excus. tut.

3º. Tutores esse non possunt , amentes ,
sardi, cœci, muti, perpetuo morbo laborantes ;
quia , inquit lex, eos qui suis rebus invigilare
non possunt , aliis rebus non decet præfici.
Quod his verbis jus civile expressit. *Cœcus*,
surdus, *mutus*, *furious*, aut *valeitudinarius*
deponere tutelam potest. L. 40. ff. de excus.
Tut.

4º. Septuagenarii propter eamdem rationem.
Excusantur à Tutelâ & Curatelâ , inquit jus
civile , qui *septuaginta annos compleverunt* L.
2. ff de exus. Tut.

5º. A Tutelâ excusantur , qui quinque li-
beros legitimos viventes habent , qui tribus
diversis tutelis onerantur , qui litteras nes-
ciunt. Ibid. quia hi omnes censentur pupillis
vacare non posse. Personæ regio vel Ecclesiastico
privilegio exemptæ , quales sunt Reli-
giosi , Clerici , Episcopi , & demum qui ge-
rendis Reipublicæ negotiis occupantur , &
multi alii , quos jus eximit à Tutelâ lib. i.
inst. titu. 25.

CONSECTARIUM III. Tunc finitur Tu-
tela , quando vel pupilli non egent defendi ,
vel Tutores non possunt eos tueri ; quia tunc
lex statuens Tutores fine suo frustraretur. Sic
Tutela finitur sequentibus casibus.

Ex parte Tutoris 1º. Morte naturali &
morte civili ; quia utraque mors impedit , ne
rebus pupilli vacare possit. 2º. Excusatione
vel remotione juridicâ ; quià tunc pariter non
potest rebus pupilli invigilare : *desinunt* , in-
quit jus , *esse Tutores* , qui vel removentur à

Tutelā ob id, quod suspecti visi sunt, vel quia ex justā causā se excusant, & onus administrandæ tutelæ deponunt L. 40. ff. de excus. Tut.

Ex parte pupilli 1º. morte naturali & civili ejusdem pupilli; quia utraque mors reddit pupillum incapacem possessionis: *finiuntur tutela morte pupilli*: lib. 1. instit. quibus modis finit tit 22. 2º pubertate pupilli vel ejus majoritate, cum pupilli & minores ad eam aetatem pervenient, quā nec Tutelā nec Curatelā opus est. *ibid.*

S. IV.

De munere Tutoris quoad personam.

PROPOSITIO unica. *Tutores debent necessaria cum corpori tum animæ pupillo ex ejus bonis providere.*

Probatur ratione. Tutores non possunt aliter obire vices parentum erga pupilos.

Non decet tamē ut Tutor id suis expensis faciat; quia non est verè pater, ideo sic habet Justinian. *si egeni sint pupilli, Tutor de suo eos alere non compellitur.* instit. de educ. pupil.

Consectaria hujus Doctrinæ.

1º Tutores debent exequi subjecta munia: *Providere victum & vestitum pupilli juxta ejus facultatem, modum autem patrimonii spectare debet prætor, cum alimenta decernit.* Inst. *ibid.*

2º. *Præceptores pupilio educando provide-*

DE QUASI CONTRACTIBUS. 351
re, cum Tutor non rebus dumtaxat, sed etiam moribus pupilli præponatur: *in primis preceptoribus mercedes non quam minimas poterit, sed pro facultatibus patrimonii, pro dignitate natalium constituet.* L. 12. de admi. Tut.

§. V.

De munere Tutoris & Curatoris quoad res temporales.

PROPOSITIO unica. Tutor & Curator ea tantum gerere possunt, quæ profundunt pupillis & minoribus, minimè verò ea, quæ eis officiunt.

Probatur. Tutor & Curator dati sunt loco parentum: ergo ea tantum possunt, quæ sunt utilia pupillis & minoribus, minimè verò ea, quæ eis sunt noxia; Tutor in re pupilli, tam domini loco habetur, cum Tutelam administrat, non cum pupillum spoliat. L. 7. §. 3. ff. proempt.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECARIUM I. Tutor & Curator possunt isthæc omnia, quæ cedunt in bonum pupilli & Minoris.

1°. Lites incipere, incœptas persequi, & finire. 2°. Debita activa pupilli & minoris exigere, debita verò passiva solvere. 3°. Bona mobilia vendere, v. g. supellectilia, debita incerta, &c. & eorum pretium utiliter statuere, iis mobilibus exceptis, quæ sunt necessaria, vel ad agrorum culturam, vel ad messis col-

Iectionem. 4°. Bona immobilia vendere tunc tantum, cum mobilium venditio non sufficit ad solvendum creditori, qui non contentus usuris exigit sortem capitalem.

CONSECTARIUM II. Tutor & Curator non possunt isthæc omnia; quia sunt contra bonum pupilli vel minoris.

1°. Fundo pupilli novam servitutem imponere, vel remittere servitutem, quam habet supra fundum alienum. 2°. Actiones pupillis vel minoribus calumniosas instituere. 3°. Prædia pupillis vel minoribus inutilia acquirere. 4°. Hæreditatem pupillis vel minoribus onerosam acceptare vel adire. 5°. Bona pupilli vel minoris gratuitâ largitione donare.

§. V I.

De securitate bonorum pupilli & Minoris.

PROPOSITIO unica. Tutor & Curator tantam debent in rebus pupilli & minoris administrandis curam adhibere, ut si quid vel dolo vel culpâ negligant ad restitutionem tenentur, minimè verð si casu detrimenti aliquid eveniat.

Probatur 1°. Ex jure civili. *Quidquid pupilli, dolo, vel lata aut levi culpâ Tutoris, aut Curatoris, minoresvè amiserint vel cum possent, non acquisierint, hoc in tutela seu negotiorum gestorum utile judicium venire non est incerti iudicis L. 7. C. cert. tut.*

2°. Ratione. Tutor & Curator, iste minoris, alter pupillares ex officio administrare debent: ergo si quod damnum ex illorum cul-

DE QUASI CONTRACTIBUS. 353
pa patientur pupillus & minor, Tutor & Cu-
rator ad restitutionem tenentur; omissio enim
debiti officii obligat ad restitutionem.

Consecaria hujus Doctrinæ.

Tutor & Curator tenentur ad restitutionem in sequentibus casibus. 1°. Si mobilia dolosè vendita fuerint aut ipsi Tutori aut alicui interpositæ personæ. 2°. Si mobilia vendi potuerint & ex negligentia Tutoris vel Curatoris vendita non fuerint, debuerunt enim confessim officio suo defungi. 3°. Si quod ex expensis necessariis anno quolibet residuum fuerit, utiliter non collocent, ad usuras solvendas tenebuntur. Si comparare prædia Tutores neglexerint incipiunt in usuras conveniri. Ibid. 4°. Si plures Tutores simul Tutelam gesserint omnes in solidum tenebuntur; si disparatè, quilibet tenetur prorata parte illius rei, quæ ei commissa est.

Et si quidem omnes simul gesserunt tutelam, & omnes solvendo sunt; æquissimum erit actionem dividere inter eos pro porro aibus virilibus, exemplo fidejussionum L. 1. §. II. ff. de tut. & rat distrah. 5°. Si quid casu contigerit, Tutor & Curator ad nihil tenentur: sufficit Tutori, bene & diligenter negotia gessisse; etsi eventum adversum habuit, quod gestum est L. 3. §. 7. de contr. Tute

Quâ ratione gerendæ sint Tutelæ & Curatæ.

PROPOSITIO unica. Tutor & Curator eam prudentiam adhibere debent in rebus ge-

tendis, ut nec sibi, nec pupillis, vel minoribus noceant, vel nocere præsumantur.

Probatur Ratione. Tutor & Curator parentum personam sustinent erga pupillos & minores; ergo quemadmodum parentes debent liberorum facultatibus consulere, ita & Tutores & Curatores; cum autem ex Apostolo prævidere debeamus bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus: ita se gerere debent Tutor & Curator, ut etiam hominibus certò constet de recta facultatum pupilli & minoris administratione. Quare quæ hic subjiciuntur ab illis accurate servanda sunt.

Consecrarium hujus Doctrinae.

1º. Initio Tutelæ inventarium facere. Tutores vel Curatores mox quam fuerint ordinati, sub presentiā personarum publicarum inventarium rerum omnium & instrumentorum solemniter facere curabunt. L. 24. C. de admi. Tut. ut constet, quid receperint, quid non receperint.

2º. Durante Tutelâ nihil agent sine consensu parentum & arbitrio judicū, ut constet, quo pacto se gesserint.

3º. Finita Tutelâ rationem reddent. In omnibus, quæ fecit Tutor, cum facere non debet, item in his, quæ non fecit, rationem reddet, & hoc iudicio. L. 1. ff. de Tut. & rat. distrahit.

4º. Finita Tutelâ & Curatelâ, si Tutor & Curator rebus pupilli & minoris offecerint, vel dolo, vel negligentia, restituere conabuntur;

DE QUASI CONTRACTIBUS. 355
quia rem pupilli salvam & indemnem esse
debet.

5°. Si Tutor & Curator solvere nequeant, id per hæredes Tutoris & Curatoris, vel per eorum fidei-jussores præstabitur; quia res pupilli numquam perire præstat.

De hærediis ita jus loquitur: *hæredes eorum, qui tutelam vel curam administraverunt, si quid ad eos ex re pupilli vel adulti pervenit, restituere cogentur; in eo etiam, quod Tutor vel Curator administrare debuit, nec administraverit, rationem reddere eos debere non est ambigendum.* L. ult. C. de hæred. tut.

De fidei-jussoribus sic habet: *manet fidei-jussor obligatus ad supplendam indemnitatem.* L. 2. C. de fidejuss tut.

6°. His deficientibus nominator Tutoris & Curatoris tenebitur restituere.

§. VII.

De his, quæ pupilli & minores debent Tutoribus & Curatoribus.

PROPOSITIO unica. Pupilli & minores debent Curatoribus & Tutoribus solvere, quidquid justè pro illis impensum est.

Probatur Ratione. Iniquum est Tutores & Curatores causas aliorum gerere suo ipsorum periculo; ideo ait jus civile, si egeni sint pupilli, de suo eos alere Tutor non compellitur: ergo pupilli & minores debent Tutoribus & Curatoribus solvere, quod eorum causa impensum est.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Debent rata habere omnes justas expensas. Si Tutela quis conveniatur, inquit jus, reputare potest id, quod in rem pupilli impendit L. i. ff. de contrac. tut. act. v. g. quod consumptum est decenti educatione, curâ Tutelæ; victu & vestitu matris, fratriis & sororis pupilli & minoris, si hi non habeant aliundè, undè vivant.

C O N S E C T A R I U M II. Debent damnata omnia resarcire, quæ Tutor & Curator passi sunt ob administrationem Tutelæ vel Curatelæ; quia iniquum est Tutores & Curatores pupillorum & minorum causâ egenos fieri.

A R T I C U L U S II.*De negotiorum gestione.*

Negotiorum gestio sit, cum quis negotium absentis & quidem ignorantis gerit sine mandato, & sponte suscipit sine mandato; quia si mandatum interveniat, mandatarius dici debet, & non procurator voluntarius. Sponte debet suscipere; quia si jussus faciat, Curator dici debet, & non negotiorum gestor.

P R O P O S I T I O unica. Negotiorum gestores, & hi quorum negotia geruntur, idem sibi mutuò debent, quæ Curatores & minores.

Probatur Ratione. Procurator voluntarius est quasi curator rei, quam administrat: ergo ad

DE QUASI CONTRACTIBUS. 357
ad eadem tenetur , ad quæ Curator. Et ille
cujus negotium geritur , est quasi minor : ergo
ad eadem tenetur erga procuratorem , ad quæ
minor erga Cutatorem. *Cum quis negotia ab-*
sentis gerit , ultrò citròque inter eos nascuntur
actiones. Inst. de obl. ex quasi contract.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Hi egent pro-
curatore voluntario , qui ignari rerum suarum,
nemini possunt res suas committere ; quia
bonum publicum postulat , ut bona absentium
& ignorantium administrentur.

CONSECTARIUM II. Hi possunt esse
procuratores voluntarii , qui possunt utiliter
rebus aliorum providere , minimè verò , quia
eis providere non possunt , ut dictum est de
Tutoribus.

CONSECTARIUM III. Procuratores
voluntarii ea solum possunt , quæ profundis
quorum gerunt negotia , minimè verò , quæ
eis officiunt , ut dictum est de Tutoribus,

CONSECTARIUM IV. Procuratores
voluntarii tenentur ad restitutionem , si dolosè
vel negligentè negotium suscepsum admi-
nistrent. *Si negotia absens & ignorantis gerantur*
& culpam & dolum præstare debes. L. ff. 21. de
neg. gest. Tenetur insuper lucrum cessans &
damnum emergens solvere , qui aliena negotia
gerit : usuras præstare cogitur , ejus scilicet pecu-
nia , quæ purgatis necessariis sumptibus supereft
L. 31. ibid. . . . Sive sint masculi , sive fœ-
minæ , si negotia gesserint , possunt coram ju-
dice conveniri , ut ratione reddant gestio-

nis; nam & mulieres negotiorum gestorum agere posse, & conveniri non dubitatur. L. 31. ibid.

CONSECTARIUM V. Quorum negotia geruntur, eadem debent, quæ minores erga Curatores; & ita tenentur. 1º. Rata habere, quæ gesta sunt: quod utiliter gestum est, necesse est apud judicem pro rato haberi. L. 9 ff. ibid. 2º. restituete lucrum omne cessans, & damnum omne emergens ob negotii alieni gestionem: sumptuum factorum usuras prestatre bona fides suafit. L. 18. C. 16. expensæ inutiles vel liberaliter concessæ non restituuntur: si quid utiliter... & non maternâ liberalitate expendisti inquit jus civile, id negotiorum gestorum actione, consequi potes. L. 11. C. ibid.

ARTICULUS III.

De rerum communione.

Rerum communio fit, cum extra societatem expressè initam, plures habent aliquid commune, vel ex donatione, vel ex testamento, vel ex legato.

PROPOSITIO unica. Hi, qui secum habent rerum communionem ad eadem tenentur, ad quæ obligantur hi, qui societatem inierunt.

Probatur Ratione. Rerum communio est implicita & interpretativa quædam societas: ergo ad eadem tenentur, qui secum habent rerum communionem, ad quæ tenentur, qui societatem inierunt.

Consectaria bujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Hi dicuntur habere rerum communionem , quibus aliquid dono , vel testamento , vel legato datum est ; & hi , quibus nequit fieri donatio , sunt incapaces communionis rerum .

CONSECTARIUM II. Rerum communitas potest esse , vel in rebus mobilibus , vel in rebus immobilibus ; quia potest esse eorum rerum donatio .

CONSECTARIUM III. In rerum communione res debent reduci ad æqualitatem pro rata sui juris parte . In re communi , & commodum & incommodum , lucrum & damnum debet æqualiter distribui ; bona omnia communia debent in cumulum redigi ; nihil debet abscondi ; fructus omnes percepti debent computari ; quilibet jus habens in re communi debet bonum commune , quasi rem suam inspicere , ut eam conservet ; & quasi rem alienam habere , ne eam sibi adscribat .

Neuter potest intempestivè rem communem dissolvere , sed tenetur eam dividere juxta prescriptum donantis , si donator divisit ; si non divisit . juxta consensum possessorum , si inter ipsos ita conventum fuerit ; vel juxta sententiam judicis , si inter ipsos non fuerit conventum .

ARTICULUS IV.

De hæreditatis aditione

Hæreditatis aditio est, cum quis hæres suscipiat
hæreditatem sibi debitam.

PROPOSITIO UNICA. Qui adit hæreditatem, eo ipso omnibus se obligat, quibus aliquid ex illâ hæreditate debetur.

Probatur Ratione. Aditio hæreditatis est quasi Contractus, quo hæres sumit in se omnes obligationes hæreditatis: ergo qui adit hæreditatem obligatur erga omnes, quibus hæreditas aliquid debet.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Omnis, qui hæreditatem adit sine præviâ inventarii cautione, in solidum obligatur omnibus creditoribus & legatariis. L. 34. ff. de jure deliber:æquum enim, ut qui unam cum testatore personam sustinet, omnia ejus debita solvat, quantumvis ei damnsa futura sit hæreditas.

CONSECTARIUM II. Qui vult damnosam non sibi fore hæreditatem, potest uti indulto Justiniani, qui permisit, ut intrâ tricesimum ab aditâ hæreditate diem, confici queat inventarium, quo confessio, non ultrâ vires hæreditatis creditoribus & legatariis obligatur. C. L. in de jur. delib.

CAPUT XII.

De Donatione.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit donatio.

Donatio à nonnullis , recensetur inter Contractus ; ideo post Contractus hic agemus de donationibus.

Juxta jus civile donatio est mera liberalitas , quæ nullo jure cogente ex sola animi liberalitate defertur ad accipientem L. 29. ff. de donationibus. Unde donatio sic potest definiri. *Donatio est libera alicujus rei datio.* Dicitur enim L. 10. C. de donationibus. *Nec ignorans , nec invitus quisquam donat.*

Donatio alia est absoluta , alia conditio-
nata.

Donatio absoluta ea est , quæ aliquid donatur absolutè & sine conditione ; qualis est ista his verbis concepta : do agrum meum Titio.

Donatio conditionalis ea est , quæ aliquid donatur sub conditione ; talis est ista his verbis concepta : do agrum meum Titio , si lauream in Theologią consequatur.

Donatio iterum alia est omnino gratuita ; alia remuneratoria.

Donatio gratuita ea est , quæ res donatus omnino gratuitò.

Donatio remuneratoria ea est , quæ aliquid donatur in prœmium accepti officii.

Donatio iterum alia est inter vivos , alia mortis causâ.

Donatio inter vivos ea est , quâ quis vult se vivo rem donatam alterius esse , v. g. rem dat eâ mente , ut statim velit accipientis fieri id , quod datur. L. I. ff. de donationibus.

Donatio mortis causâ ea est , quâ quis sic donat , ut velit rem datam esse donatarii , non per vitam ipsius dantis , sed post ejus mortem. Ibid.

Iterum assignatur à Juristis donatio propter nuptias ; & hæc triplex est.

1°. Donatio sponsalitia , quâ sponsi ante nuptias sibi aliquid donant intuitu matrimonii.

2°. Donatio favore matrimonii , quâ pater , vel extraneus dat aliquid alteri conjugum , conjugii , non conjugis nomine.

3°. Donatio in favorem superstitis , quâ conjux donat aliquid parti sibi superstiti.

ARTICULUS II.

Quæ conditiones requirantur , ut donatio sit valida.

PROPOSITIO unica. Ut donatio sit valida , quædam requiruntur conditiones , & ex parte donatoris , & ex parte donatarii quædam , & ex parte rei donatæ , & ex parte modi donandi.

1°. Donator debet habere & dominium & administrationem rei , quam donat , debetque eam sponte , & non coacte donare,

2º. Donatarius debet esse capax recipiendi Dominii rei , quæ donatur , debetque eam , si sit adultus , liberè acceptare. 3º. Res danda debet esse in commercio hominum. 4º. Modus per legem præscriptus in donationibus debet exactè observari.

Probatur Ratione. Donatio est modus acquirendi & transferendi Dominium rerum ; ergo requirit certas conditiones autoritate legum constitutas ; acquisitio enim & translatio Dominii fieri nequit , nisi juxta modum præscriptum à legibus , & ita.

1º. Donator debet habere & Dominium & administrationem rei dandæ. Debet habere Dominium ; quia nemo potest in alium transferre plus juris , quam ipse habet. Defectu cuius conditionis Tutores , & Curatores non possunt donare res pupilli aut minoris , quarum habent administrationem , minime verò Dominium. Debet insuper donator habere administrationem unà cum Dominio , defectu cuius conditionis pupilli & minores res suas dare non possunt , quarum quidem habent Dominium , minime verò administrationem.

2º. Donatarius debet esse capax Dominii recipiendi ; quippe eo fine fit donatio , ut res data possideatur à donatario , defectu cuius conditionis res pretio æstimabilis data talè Religioso in particulari est nulla ; quia ex Trident. Religiosus in particulari nihil potest habere proprium. Donatarius debet insuper habere libertatem , ut liberè acceptet donationem : liberalitas enim non potest nolenti acquiri. leg. 19. §. 2. ff. de donationibus,

3º. Res donata debet esse in commercio hominum ; quæ enim extra commercium sunt possideri non possunt , ut habetur , L. 9. §. 3. ff. de donationibus . *Donari non potest , nisi quod ejus sit , cui datur ,* inquit jus civile .

4º. Modus donationis debet esse conformis legibus ; donatione enim , quamvis sit iure gentium , tamen per jus civile dirigitur .

Consectaria bujus Doctrinae.

CONSECTARIUM. I. *Ex parte donatoris.* Ut donatores validè donent , debet habere & Dominium , & administrationem rei , quam daturus est : ergo validè donare non possunt , qui hinc subjiciuntur ,

1º. Infantes , & deliri senes ; intellectu enim carent , inquit Aristoteles , & proinde libertate , & administratione , quæ est necessaria ad donandum . L. 23. ff. de donationibus .

2º. Furiosi , & mente capti : quia his , ut dicit Clementina , si furiosus , deest & animus dandi , & potestas administrandi .

3º. Mancipium , sive sit servus , vel jure belli , vel jure nativitatis , vel jure emptoris : quia non habet nec rerum Dominium , nec rerum administrationem . L. 28. ff. de pactis .

4º. Monachus & quia voto abdicavit Dominium rerum temporalium .

5º. Pupillus , & minor non possunt donare res suas etiam con sentiente Tutori & Curatore ; quia ut potest exclusi à rerum suorum administratione res suas contractu lucrativo pos-

sunt augere, minime verò minuere donationibus. Id colligitu ex lege 7. ff. de donationibus.

6°. Filius-familias, qui donare quidem potest bona Castrenia & quasi Castrenia, minimè verò bona profectitia aut adventitia: quia, bonorum Castrenium habet Dominum, & usufructum; bonorum verò profectitiorum nec proprietatem habet, nec usum; bonorum verò adventitiorum proprietatem habet, & non usufructum. L. 7. ff. de donat.

7° Uxor non potest donare res dotales etiam consentiente marito; quia non habet rerum dotalium administrationem, & quia oportet rei dotalis manere indemnem, & donationibus non perire. L. 21. C. de donat. & toto titulo de fundo dotali ff. & Cod.

8. Prodigus dare non potest; quia per iudicem ei interdicta est bonorum suorum administratio. L. 28. ff. de pact.

9. Surdus simul & mutus à nativitate; quia ei per legem interdictum est donare, & insuper bona sua administrare; administratio quippe requirit, ut & verba audiantur, & proferantur. L. 1. ff. de obligationibus & actionibus. Si tamen nutibus & scriptis agant, valide paciscuntur.

10. Illi donare non possunt, quorum bona ob infandum crimen juridicè publicata sunt: quales sunt illi, qui damnavi sunt morte, vel exilio perpetuo, vel ad metalla, vel ad tritemes. Reus etiam criminis capitalis post latam sententiam, nisi ab hac sententia appellaverit L. 25. hi enim omnes non censentur habere rerum suorum Dominium.

ii. Dare non possunt fures. & raptore; eas res , quas furto acquisietunt : quia non habent eorum rerum Dominium.

12. Donatio facta ab eo , qui est ære alieno gravatus, est nulla:quia dat quod suum non est; aut si est valida , bona data manent semper subjecta hypothecæ creditorum. Sic donatio facta à Tute, à consule &c. aut invalida est , aut si valida , bona illius manent subdita hypothecæ creditoris. L. 6. C. de administratione & periculo tutorum.

CONSECTARIUM II. Ex parte donatarii. Donationes fieri non possunt nisi iis , qui sunt capaces acceptandi liberè donationem , & acquirendi Dominii , unde non potest fieri donatio his, qui hie subjiciuntur.

1º. Infantibus , & quidem ob defectum deliberatæ acceptationis ; hi enim donationem acceptare non possunt , insciæ an donatio illis nocitura sit , vel profutura. L. 5. de regulis juris.

2º. Furiosis ; hi enim infantibus comparantur. Infantes tamen & furiosi donationes acceptare valent , non quidem per se ipsos , sed per Tutores : modo hujusmodi donatio futura sit ipsis utilis , & non damnoſa. L. 26. C. de donat. & toto titulo ff. de administratione , & periculo tutorum.

3º. Demum donatio facta Monacho , pupillo , minori est nulla , nisi acceptetur ab iis, sub quorum curâ isti subjacent : quia Monachi , pupilli , & minores , ut pote aliis subditi , donationem acceptare nequeunt , insciæ an sit profutura , vel nocitura communitati , cuius nomine agunt.

His, vero, qui hic subjiciuntur defectu Dominii non potest fieri donatio,

1. Donatio facta alienigenæ jure galliæ est nulla; quia alienigena non est capax Domini accipiendi in Gallia. 2. Donatio facta mortuis civiliter est nulla, v. g. damnatis ad tritemes; quia hi non possunt acquirere rerum Dominium.

CONSECTARIUM III. *Ex parte rei donatae.* Res donata debet esse in commercio hominum, & in possessione donatoris: unde donari non possunt ea, quæ hic subjiciuntur; vel quia non sunt in commercio hominum; vel quia non sunt in possessione donatoris.

1. Donari non potest res sacra, res Religiosa, nisi ex fine, ut serviat in finem sacram; quia non est in commercio hominum L. 83 ss. de verborum obligationibus.

2. Donari non possunt bona Ecclesiastica: quia ut potè extra commercium hominum posita, non nisi certis conditionibus alienari possunt, ut patet ex cap. nulli de rebus Ecclesiasticis non alienandis. 3. Res aliena furto vel rapinâ detenta, aut deposito accepta, donari non potest: quia non est in possessione donatoris; & hæc actio non esset donatio, sed furtum; non esset liberalitas, sed rapina. 4. Donatio omnium bonorum præsentium & futurorum est nulla: quia homo non ita est Dominus rerum suarum, ut possit omnia sua dare, nihil sibi reservando; quod per testamentum suum dare possit. Ita Doctores juris communiter docent.

CONSECTARIUM IV. *Ex parte modi donandi.* Res donanda dari debet juxta præ-

cripta legum : homo enim est Dominus rerum suarum cum subordinatione ad Rem publicam ergo invalida est donatio , quæ non est juxta præscripta legum : & ita nullæ sunt sequentes donationes .¹ Ex parte donatarii nulla est donatio facta alienigenæ ; quia alienigena jure Gallorum est incapax Dominii acquirendi in Gallia , ut supra diximus . Item donatio facta Concubinae , nisi sit remuneratoria , & constet de servitio , est nulla : quia concubina censetur indigna omni donatione gratuita . L . 2 . C . de donationibus inter vitum & uxorem . Donatio facta Tutori per pupillum , Curatori per minorem , Medico per ægrotum , Procuratori , Advocato , Judici per clientem , Magistro per discipulum , confessario per pœnitentem , est nulla : quia hæ donationes censentur extortæ . Donatio facta per patrem filio suo ex adulterio nato , item filio spurio , exceptis alimentis , est nulla .

Item ex parte donatarii donatio non valet , nisi tacite vel expressè acceptetur coram donatore per donarium ipsum , vel per ejus procuratorem , vel naturalem , qualis est pater , vel per alium ad hoc specialiter deputatum ; sicuti enim non est contractus , nisi ex consensu mutuo partium ; ita non est donatio , nisi ex consensu mutuo donatoris & donatarii . Vult enim Justinianus donationem se habere ad exemplum venditionis , in qua requiritur utriusque contrahentis consensus .

2. Ex parte modi donandi . Donatio est nulla , si non fiat juxta conditiones præscriptas à principe . Sic donatio mortis causâ est nulla , si non fiat mentio expressa vel tacita mortis , vel periculi

periculi mortis. L. 31. ff. de donationibus mortis causâ. Item est nulla, si desit præsentia dantis & donatarii ob acceptationem requisitam L. 38. ff. Ibidem. Item donatio mortis causa est nulla, si fiat eâ conditione, quod erit irrevocabilis; quia privat donatorem factio[n]e Testamenti. Demum in Gallia nulla est donatio, sive gratuita, sive remuneratoria, sive reciproca, sive non reciproca, sive intuitu matrimonii, sive non, si careat insinuatione. Idque jubetur. C. L. 30 de donationibus. Est autem insinuatio coram competente judice legitima donationis factæ publicatio.

Valet tamen donatio in sequentibus casibus sine insinuatione. 1^o. In magistro militum, cum res mobiles tamen suas quam ex spoliis hostium habitas donat militibus. Leg. 34. C. de donationibus. 2^o. Cum quis donat pro reparatione dominus. L. 36. Ibid. 3^o. Cum donec pro redemptione captivorum, vel pro causâ piâ. Ibid.

ARTICULUS III.

De revocatione Donationis.

PROPOSITIO unica. Toties revocari potest donatio, quoties donator vel coacte, vel irrationaliter censetur donasse.

Probatur Ratione. Lex utrumque requirit in donatore, scilicet, quod sponte donet, & quod rationabiliter, & justâ de causâ bona sua largiatur: ergo toties potest revocari, quoties vel coacte, vel irrationaliter censetur facta donatio.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. *Donatio potest revocari in sequentibus casibus.* 1°. Quando donator excessit in donando, & adeò prodigus fuit, ut nihil sibi retinuerit, ut testetur: quia hæc donatio censetur irrationalis. Leg. Finali. C. de revocandâ donatione: quia donator debet posse testari, & filii debent posse succedere portioni legitimæ. 2°. Si donatarius enormiter esset ingratus erga donatorem, v.g. si donatori atroces infestat injurias, si inopia pressum non alat, si incarcerated non succurrat. Quæ ingratitudo debet prius probari coram judice; nam ante sententiam judicis donatarius non tenetur restituere. Ibidem. Generaliter sancimus omnes donationes, inquit jus, lege confessas, firmas, illibitasque manere; si non donationis acceptor ingratus erga donatorem inveniatur. L. ultimâ. C. de revocandis donationibus. Hæc regula locum non habet in donationibus factis Ecclesiæ; quia ingratitudo Prælati non potest officere Ecclesiæ, neque animæ donatoris, in cuius bonum censetur facta donatio. Non valet pariter eadem regula, cum donatio est remuneratoria; quia censetur facta ad compensandum acceptum officium. Nec valet pariter, cum donator de ingratitudine non coquetus est, & per vitam non retractavit donationem. Ibidem. 3°. Cum non servantur à donatario justæ & honestæ conditiones appositaæ à donatore; quia donator non consenserit donasse nisi hæc conditio-
ne, ibidem. 4°. Si donatot prole cagens 893

exiguam, sed magnam partem bonorum gratuitò, & non remuneratoriè donavit, posteà nascatur ei proles, aut filii absentes redeant, aut filius naturalis illegitimus fiat legitimus per sequens matrimonium; quia ex iusta juris dispositione inest huic donationi hæc tacita conditio: res donata tua erit nisi nascantur mihi liberi, aut redeant, quos credebam periisse, aut legitimis efficiantur illegitimi. Ita vulgo Doctores juris civilis. 5°. Si donatio facta est extraneo, tota revocari potest; si facta sit alicui ex parentibus, vel Ecclesiæ, revocari potest, non ex toto, sed ex parte, quantum necessarium est, ut proles nata congruam habeat hæreditatem. Si donator posteà suscepit liberos, inquit jus, totum quidquid largitus fuerat revertatur in ejusdem donatoris arbitrio, ad divisione mansurum L. 8 C. de revocandis donationibus. In Galliâ filii adoptati supervenientes non revocant donationem. 6°. Si donatio fuerit inofficiosa, id est contra officium paternæ pietatis; ut si pater tantum doner, ut filii priventur suâ portione legitimâ; tunc enim pater donator potest revocare donationem, & si pater id non faciat, filii possunt exigere à judice revocationem donationis; quia jus habent, vivente patre, ut conservetur hæritas, & ut mortuo patre eis adjicietur.

C O N S E C T A R I U M II. Donatio potest revocari, si fuerit facta errore terminato ad principale motivum donandi, minime vero errore terminato ad secundarium motivum donandi; quia error circa substantiam rei facit involuntarium, error vero circa accidentia

non tollit voluntarium Sic donatio facta ob causam præteritam vel præsentem, quæ vetè non est, est nulla, v. g. si dem tibi aliquid; quia egisti causam meam apud principem, si dem tibi aliquid, quia es pauper, si res ita non est, donatio est nulla; quia error est circa principale motivum. Item donatio facta per novitium monasterio, si ei voveat, revocatur hoc ipso quod non facta est professio.

Donatio vero valet, si cesset secundarium motivum, v. g. si dem quia es pauper, licet similes pietatem, ut excites meam misericordiam, donatio valet modo sis vere pauper, licet non sis vere pius; quia error est circa motivum secundarium.

Donatio isto modo præfixa: lego tibi talem fundum tringinta jugerum, talibus finibus conterminum, valet donatio totius fundi, licet sint, sive plura, sive pauciora jugera; quia error est circa accidentia. Donatarius non potest jugera plura exigere, si sint pauciora, nec tenetur reddere, si sint plura; quia, ut optime ait Baldus, mensura in tali casu non est limitans, vel præfigens extentionem fundi, sed solum designans locum & situm fundi. Idem dic de ista donatione: lego talia jocalla Petro, quæ æstimantur centum nummis, si pluris valeant, non tenetur donatarius excessum reddere hæredi, si minoris valeant, non potest exigere defectum ab hærede; quia error est circa accidentia, nimirum circa valorem. Si vero donatio isto modo præfigatur: lego tot tibi jugera in tali fundo, lego tibi tot nummos ex argento, quod est in tali ar-

cā, donatarius non potest ultrā exigere ; quia mensura tunc est limitans, & præfigens rem legatam, & non solum manifestans.

C O N S E C T A R I U M III. Donatio extorta per metum ad id incussum injustè, non vallet, nisi juramento firmetur ; quia est involuntaria. Tunc donator tenetur donare, quia juravit ; sed donatarius tenetur restituere, quia per metum coegit.

C O N S E C T A R I U M IV. Donatio mortis causā revocatur, si donatorem pœnitentem, si donatarius moriatur ante donatorem ; quia censetur facta hāc conditione, quod donatarius non potiatur donatione, nisi supervivat donatori.

ARTICULUS IV.

De variis conditionibus, quæ donationi apponi possunt.

P R O P O S I T I O unica. In donatione possunt variæ apponi conditiones, modo non sint substantiæ donationum contrariæ.

Probatur Ratione desumptâ ex jure. Donatio est contractus. L. 7. C. de donat. Ergo cum in omni contractu possint apponi conditiones, modo non sint contra substantiam contractus, illud poterit pariter fieri in donatione.

Consecatoria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Quæ conditiones non sint contrarie donationi. 1°. Donator potest Huij.

rem suam donare , vel absolutè , vel conditionatè . vel quoad proprietatem , vel quoad usum. Usum verò potest donare , vel ad semper , vel pro certo tempore ; quià quilibet liber est in suis donis. 2°. Potest donator rem suam donare , vel expressè obligando se oneri evictionis & solutionis interesse , vel nihil expressè dicendo de utroque onere ; quià est liber in suis donis. 3°. Si expressè se ad illud onus obligaverit , tenetur ; si expressè se ab illo onere exemerit non tenetur ; quià nemo potest invitus per contractum obligari. Si expressè de illo onere nihil dixerit , juxta æquitatem eximitur ; quià non æquum est liberalitatem nocere donatori. Propter eamdem rationem si quis mihi rem alienam donavit , & hæc evincatur , nulla mihi actio competit contra donatorem. Item si quis mihi summam aliquam , aut rem frugiferam promisit , is non tenetur usuras solvere ; Cum quis , inquit jus civile , donationis causâ pecuniam , vel aliquid aliud promisit , de mora solutionis pecuniae usuras non debere summæ æquitatis est. L. 18. ff. de donationibus. Si tamen dolus intercesserit , & damnum donatario accesserit , tenetur donator damnum reparare , ut dicit Labeo. Ibid. Si quis mihi rem alienam donavit , inque eam sumptus magnos fecero ; & sic evincatur , planè de dolo me posse adversus eum , id est donatorem , habere actionem constat.

CONSECTARIUM II. Quæ conditiones donationi sint contrariae. 1°. Donatio non potest fieri eà conditione , quod pro libito donatoris sine consensu donatarii eadem donatione revocari possit ; quià hoc est contra naturam

donationis. Si donationes Perfectæ fuerint, temerè revocari non possint. Lib. 2. Inst. tit. 7. de donat. 2°. Donatio non potest fieri eâ conditione, quod res donata non poterit exigi à donatario; quia donatio completa vim habet venditionis, & transfert rem ad donatarium; ita ut traditionis necessitas incumbar donatori. L. 35. C. de donationibus 3°. Donatio non potest fieri eâ conditione, ut post completam donationem possint à donatore sine consensu donatarii novæ apponi conditiones; Quia perfecta donatio conditiones postea non capit. L. 4. C. de donationibus quæ sub modo, &c.

CAPUT XIII.

De Testamentis, Codicillis, & Legatis;

ARTICULUS I.

Quid Testamentum, Codicillus, & Legatum, & quæ requirantur in Testimenti factione.

Donatio mortis causâ ea est, ut diximus, quâ quis sic donat, ut velit rem donatam esse donatarii post mortem donatoris; quia donatio mortis causâ habet affinitatem cum Testamento, Codicillo, Legato, Fideicomisso: Ideo de his omnibus hic agemus.

Testamentum, si nomen attendas, est testatio mentis; si rem inspicias, Testamentum est ultimæ voluntatis dispositio, directaque heredis institutio; itaque Testamentum duo importat. 1°. Ultimam voluntatis dispositio-

376 MORALIS CHRISTIANA.
nem. 2^o. Hæredis institutionem. Institutio
hæredis est nominatio successoris in univer-
sum jus testatoris.

Codicillus est ultima voluntatis dispositio
sine institutione hæredis.

Legatum est testatoris particulare donum
ab hæreditate selectum.

Fidei-commisum est ultima voluntatis dis-
positio, quæ testator hæredis sui fidei commit-
tit aliquid alteri tradendum, v. g. vel inte-
gram hæreditatem, vel aliquid de hæreditate.

Testamentum est duplex, aliud in scriptis,
aliud nuncupativum. Testamentum in scrip-
tis, ceu clausum est Testamentum, quod tes-
tator, vel à se, vel ab alio scriptum, sed suā
semper manu subscriptum, tradit Notario
coram septem testibus idoneis, declarando ibi
contineri ultimam voluntatis suæ dispositio-
nem.

Testamentum nuncupativum est illud, quo
testator coram testibus idoneis articulatā vo-
ce declarat ultimam voluntatis suæ disposi-
tionem, & hæredem suum nominat.

ARTICULUS II.

De requisitis ad valorem Testamento.

PROPOSITO unica. Eadem requiri-
tur conditiones in Testamento, quæ re-
quiruntur in donatione.

Probatur Ratione Testamentum est species
donationis: ergo eadem requiruntur condi-
tiones in Testamento, quæ in donatione; &
ita alij sunt conditiones ex parte testatoris.

alii ex parte hæredis , alii ex parte rei donatæ , alii ex parte modi faciendi Testamen-
tum. Quæ omnia sigillatim percutremus.

ARTICULUS III.

De his , qui Testamentum validè facere possunt.

PROPOSITIO ubica. Hi omnes Testa-
mentum possunt validè facere , qui Domi-
ni sunt rerum suarum , & qui liberam habent
rerum suarum dispositionem.

Probatur Ratione. Testator per Testamen-
tum transfert in hæredem bonorum suorum
dominium : ergo debet habere , & dominium ,
& liberam bonorum suorum dispositionem.

Consecaria hujus Doctrinae.

Hinc sequitur , quod validè testari queant ,
qui hic subjiciuntur . 1°. Reges & subditi ; qui à
illi altum , isti verò subordinatum habent re-
rum suarum dominium . 2°. Domini , & vas-
salli ; quia illi directum , isti verò utile habent
rerum suarum dominium . 3°. Quicumque sunt
extra potestatem alterius ; qui à habent & do-
minium , & liberam rerum suarum disposicio-
nem Sic minores possunt facere Testamentum
sine consensu curatorum , licet contrahere ne-
queant sine eorum consensu ; qui à contractu
conditionem suam pejorem facere possunt ,
minime verò Testamento. Sic spuri possunt
facere Testamentum sine consensu patris na-
turalis ; qui à non sunt sub potestate patris na-
turalis. Sic bello capti possunt facere Testa-

mentum ; quia captivitas bellica apud Christianos , non inducit veram servitutem. 4°. In Galliâ excommunicati , hæretici tolerati, possunt facere Testamentum ; qui habent , & dispositionem , & dominium rerum suarum. 5°. In Gallia Clerici possunt facere Testamentum de bonis ex Præbendâ provenientibus ; quia censentur coram hominibus habere bonorum illorum & dominium & dispositionem ; relinquitur enim eorum conscientiæ horum bonorum dispositio. 6°. Cœcus à nativitate cum octo testibus validè Testamentum facit. 7°. Mutus simul & surdus , si sciat scribere , validè Testamentum conficit. 8°. Spurii modo alium à patre & avo , alium à matre & aviā hæredem instituant ; & si intestari descendant , bona eorum addicuntur Regi , aut Domino , cujus sunt vassalli. Prædicti omnes , sive sani , sive ægri , possunt validè Testamentum condere.

ARTICULUS IV.

De his , qui Testamentum non possunt validè facere.

PROPOSITIO I. *Ex defœtu Domini.* Testamentum validè facere nequeunt hi omnes , qui rerum suarum non habent Dominium.

Probatur Ratione. Testator per Testamentum transfert in hæredem rerum suarum Dominium : ergo Testamentum facere nequit , qui illud dominium non habet.

Consecaria hujus Doctrinæ.

Hinc sequitur, quod Testamentum facere nequeunt, qui hic subjiciuntur. 1º. Servi, id est mancipia, sive sint servi à nativitate, sive sint bello capti, sive se vénire passi sint; quia hujusmodi servi nullum habent rerum suarum dominium. Vigebat olim triplex illa servitus, sed jam apud Christianos abolita est. 2º. Religiosus professus; quia per votum sollempne renunciat dominio rerum temporalium; bene tamen ante professionem: ita jus Galorum. *Ordonnances d'Orléans.* art. 19. *de Blois.* art. 28. Religiosus extra Galliam, v. g. in Italia, potest cum licentiâ Papæ facere validè Testamentum. 3º. Filius-familias, sive sit conjugatus, sive non, si non sit extractus è potestate paterna, vel per emancipationem, vel per mortem naturalem, aut civilem patris, non potest, etiam consentiente patre, validè Testamentum facere de bonis non castrenibus, aut quasi castrenibus; quia non habet bonorum illorum' absolutum dominium. De quo ita jus civile: *Qui in potestate parentis est, Testamenti faciendi jus non habet.* L. 6. ff. *qui Testamentum facere possunt.* Ratio Ulpiani hec est, *quia nihil suum habet.* Bene tamen de bonis Castrenibus, id est bello acquisitis, aut quasi Castrenibus, id est Clericatu, aut Magistratu, aut arte liberali comparatis; quia modi illi comparandi militiae assimilantur. De quo ita jus civile. *Omnes omnino, quibus quasi Castrenia peculia habere ex legibus concessum est, habeant licentiam in ea tantummodo ultimas*

voluntates condere. L. ult. C. qui Testamenta facere possunt. 4^o. Per supremam curiam damnatus ; vel ad mortem naturalem , vel ad mortem civilem , v. g ad perpetuas tristimes , ad perpetuum exilium ; quia hi non habent rerum suarum dominium. Miles tamen damnatus ad mortem ob delictum praeceps contra regulas militiae validè testari potest De utroque casu jus civile sic habet. *Editio prætoris bonorum possessio bis denegatur , qui rei capitalis dimnati sunt , neque in integrum restituti sunt.* L. 13. ff. de bonorum possessionibus. Si tamen non damnatus sit , sed solum accusatus , vel à sententiā appellaverit , Testamentum facere potest. *Si quis post accusationem , in custodia fuerit defunctus indemnatus ; Testamenum ejus valebit.* L. 9. ff. qui Testamenta facere possunt , & L. 13. Ibidem. 5^o. Alienigena non potest facere Testamentum in eo regno , in quo est alienigena , sed bona ejus addicuntur fisco. Sicuti enim peregrini capere non possunt hæreditatem. L. 1. C de hæredibus instituendis , ita nec Testamentum facere : bene tamen , si litteris Principis factus fuerit regnicola In occitania omnes extranei habentur pro regnolicis. Item mercatores extranei Lugduni commorantes. Hi licet extranei validè Testamentum faciunt ; *Quia cives affectio facit.* L. 7. C. de incolis. 6^o. Fugitus à regno , si extra regnum domicilium elegerit , non potest testari de bonis , quæ possidet in regno , quod deseruit ; quia aufugiens amittit bonorum suorum dominium : bene tamen , si discesserit è regno animo redeundi ; quia discessio ad tempus non auferit rerum dominium.

PROPOSITIO II. *Defectu libertatis & plene deliberationis.* Testamentum facere nequeunt, quicumque non habent plenum usum libertatis, neque liberam bonorum suorum dispositionem.

Probatur 1^o. Ex jure civili. *In eo qui testatur, inquit, ejus temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est.* L. 2. ff. qui testamenta facere possunt.

2^o. Ratione. Testator per testamentum transfert in hæredem bonorum suorum Dominium; ergo liberè debet illud efficere: ergo si plenâ libertate non fruatur, non potest facere testamentum.

Consecaria hujus Doctrinæ.

Hinc sequitur quod testari non possunt; qui hic subjiciuntur.

1^o. Amens, nisi per lucida intervalla, furiosus, phreneticus, ebrius; quia hi omnes carent usu rationis. Testamentum tamen factum ante furorem, amentiam, ebrietatem, &c. firmum & ratum est. L. 9. Cod. eodem titulo. 2^o. Pupillus, etiam si doli capax; quia non censetur habere usum rationis, de quo ita Justinianus. *Testamentum non possunt facere impuberes: quia nullum eorum animi iudicium est.* L. 2. institutionum tit. 12. quibus non est permisum facere testamentum §. 1. 3^o. Qui in testamento condendo deceptus est errore terminato ad substantiam; quia testator tunc non censetur liberè voluisse, v. g. si loco Titii hæreditis scribatur Sempronius: minimè

verò , si deceptus fuerit errore terminato ad
accidentia , v. g. si scribatur Titius nobilis
hæres esto , licet Titius non sit nobilis. 4°.
Qui in testamento condendo coactus est timo-
re injustè incusso ; quia tunc non censetur
libere voluisse : attamen preces & blanditiae
non reddunt testamentum invalidum 5°. Testa-
mentum non facit , qui proponens testamenti
factionem , eam non complevit ; sed testa-
mentum sine subscriptione , sine temporis de-
signatione , Gallicè , sans datte , deseruit ;
quia non censetur completere voluisse. 6°. Mu-
tus simul & surdus non casu , sed à nativita-
te , non potest validè testari ; quia non cen-
setur plenam habere libertatem : bene tamen ,
si sit surdus solum , vel mutus solum , modo
ipse suum scribat testamentum. De utroque
casu ita jus civile : surdus & mutus testamen-
tum facere non possunt ; sed si quis post testamen-
tum factum valetudine , aut quolibet alio casu
mutus aut surdus esse cœperit ratum nihilominus
permanet testamentum. L. 6. §. 1. ff. qui testi-
facere poss. si ponamus hujusmodi litteras scientem ,
omnia quæ priori interdicimus , hec ei manusua
scribentii permittas. L. 10. Cod. eodem titulo.
7°. Prodigus , cui per Magistratum interdic-
ta est bonorum suorum dispositio ; quia non
censetur plenam habere libertatem ; & quia
Reipublicæ interest , ne quis re suâ male uta-
tur , de quo ita Jus : is , cui lege bonis inter-
dictum est , testamentum facere non potest ; &
si fecerit , ipso jure non valet. Quod tamen
interdictione vetustius habuerit testamentum ,
hoc valebit. L. 18. ff. qui testi fac. poss.

Tamen in favorem causæ piæ testari potest prodigus ; quia non censetur rebus suis male uti, si in causas pias impendat. Id possunt etiam mutus & surdus ; quia si signis exprimant se velle res suas Deo consecrare , lex nedum vetat , sed permittit testamenti factiōnem.

Item in favorem filiorū testari possunt :
1°. Filius familias ; quia dando filiis dat iis , quibus pater , cui subjicitur , dare tenetur. 2°. Pupillus ; quia dando filiis , quos aliquando suscipiet , dat iis , quibus ut demus , natura suggerir. 3°. Prodigus ; quia dando filiis , non censetur rebus suis male uti.

ARTICULUS V.

De his , qui institui possunt hæredes.

PROPOSITIO unica. Ut testamentum sit validum ex parte hæredis , is qui hæres instituitur , debet posse recipere rerum Dominium , & tempore , quo fit testamentum , & quo moritur testator , & quo adiutur hæreditas.

Probatur Ratione. Testamentum fit eo fine , ut hæres accipiat hæreditatem : ergo is , qui instituitur hæres , debet posse accipere rerum Dominium ; & ita hæredes institui possunt omnes , qui possunt accipere rerum temporalium Dominium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Hinc sequitur quod hæredes institui possunt , qui hic subjiciuntur.

1°. Liberi, & nati, & nascituri, modo in lucem edantur. *Sancimus*, inquit jus civile, si vius perfectè natus est, licet illico postquam è terra cecidit, vel in manibus obstetricis decessit, nihilominus testamentum rumpit, scilicet, si præteritus fuerit. L. 3, cod. de posthumis hæredibus instituendis. 2°. Cogniti & incogniti; nam ut dicit idem jus, extraneum penitus ignotum hæredem quis instituere potest. L. 11. C. de hæredibus instituendis. Si extraneum ignotum possit quis hæredem instituere, à fortiori propinquum, de quo ita habetur. lib. 2. instit. titu. 14, §. 12. ii, quos nunquam testator vidit, hæredes institui possunt, veluti si fratribus filios peregrinantes, ignorans, qui essent, hæredes instituerit: ignorantia enim testantis iniuriam institutionem non facit. 3°. Non modo privati institui possunt hæredes; sed etiam & communitas, cum onere amortizationis, ut dicunt; quia communitas Dominium rerum validè acquirit, modo privilegium ad hoc à Principe obtinuerit, de quo ita Justinianus. C. de hæredibus instituendis L. 8. Collegium, inquit, si nullo speciali privilegio subnixum sit, hæreditatem capere non posse dubium non est: ergo si habeat privilegium, id poterit. 4°. Exules ad certum tempus è regno, immo & exules in perpetuum, non quidem à regno, sed è Provincia hæredes institui possunt; quia Dominium possunt acquirere 5°. Homo accusatus, sed nondum damnatus, sive sit innocens sive reus; quia si absolvatur sibi acquirit hæreditatem, si condemnatur acquirit fisco. 6°. Sputius potest esse hæres alterius testatoris à patre, vel avo, matre, vel aviâ; quia soli patris, &

avo, matri, & aviæ prohibetur constituere hæredem spuriū suū, & spurius potest instituere hæredem alium quemcumque à patre, & avo.⁷ Homo, qui vovit paupertatem extra Religionem approbatam, v. g. devoti aut devotæ viventes extra claustra. Ita Chopinus. Itene Eremitæ, Hospitalarii, non viventes intra claustra. Ita Feyretus 8. Communitas politica, communitas Ecclesiastica, communitas Monastica, nisi lex aliqua obsteret, potest hæres institui. Collegium, si nullo speciali privilegio subnixum sit, hæreditatem capere non posse dubium non est. L. 8. cod. de hæredibus instituendis 9. Institui hæredes possunt hi etiam qui testamentum facere non possunt, modo Dominium vel sibi vel aliis possint acquirere, v. g. furiosi, muti, infantes, servi, de quo Justinianus: furiosus, & mutus, & posthumerus & infans, & filius familiæ, & servus alienus testamenti fabtionem habere dicuntur. Licet enim testamentum facere non possint, attamen ex testamento res sibi vel aliis asquirere possunt. L. 2. instit. tit. 19. §. 4.

ARTICULUS. VI.

De his, quibhæredes institui non possunt

PROPOSITIO unica. Illi hæredes institui non possunt, qui vel ex iure naturali, vel ex jure positivo non possunt acquirere bonorum temporalium Dominium.

Probatur. Testamentum fit eo fine ut hæres acquirat Dominium bonorum pertinentium ad testatorem; ergo illi hæredes institui

non possunt, qui sunt incapaces acquirendi
Dominii, vel ex se, vel ex statuto legum.

Consecaria hujus Doctrinae.

Hinc sequitur, quod omnes, qui hic subjiciuntur nequeunt hæredes institui. Ex vi juris naturalis, aut gentium hæredes institui non possunt. 1. Amentes; quia ob defectum perennem rationis sunt incapaces Domini, & ad Rempublicam spectat eis Tutoris eligere. 2. Religiosi; quia jam ob votum paupertatis, inquit Rebus, pro mortuis habentur, & nullus Religiosus potest bona temporalia possidere, nisi ad summum in communi. In Regno Francie Monasteria numquam successerunt, neque succedunt, ut docet Fabri. Sic Monachi facti Episcopi non possunt succedere; quia sunt Religiosi. Sic mendicantes Religiosi; Sic Clerici regulares; sic Jesuistæ; sic milites Jerosolimitani non possunt succedere. Religiosi tamen jure antiquo Justiniani poterant succedere, nullo impedimento ex sanctimoniali conversatione generando, sive soli, sive cum aliis ad successiōnem vocantur. L. 56. C. de Episcopis & Clericis 3. Testatoris mancipia non à se manu missa; quia servi non habent Dominium.

Ex vi juris positivi hæredes institui non possunt. 1. Filius spurius idest, natus ex ea, cum qua testator non poterat habere coniugium; non potest institui hæres sui patris, nec sui avi; & vice versa pater & avus non possunt esse hæredes filii spurii; quia jus illicitam illam copulam punire voluit Novell, 82.

cap. ult. Attrauen parentes collaterales possunt habere eos, & hæredes, & testatores. Nouvel. 89. cap. 15 ita jus civile incestuosos filios perhorrescit, ut vetet illos à suis parentibus nutritri; in quo tamen corrigitur à jure Canonicō 2. Apostatæ, Hæretici, & eorum fautores post latam sententiam; quia jus voluit incapaces esse Domini, qui recedunt ab Ecclesiâ. Ita Authent. *credenies.* Ubi sic habetur *Hereticus, aut fautor Hæretorum,* &c. sic intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditates succedat C. de Hæreticis 3. Civitas hostium; quia cives non debent bonis suis hostes Reipublicæ adjuvare 4. Communitas Judæorum: quia hostis est Ecclesiæ 5. Damnatus per supremam curiam morte naturali vel civiliter: quia est in capax dominii L. 17. ff. de pénis 6. Hæres aut legatarius, qui convincitur testatorem occidisse, ad ejus uxorem accessisse, ei insigniter nocuisse, vel decumbenti in lecto, aut in carcere detento non succurrit; quia meretur ob ingratitudinem destinata hæreditate privari. 7. Servus adulterio convictus cum dominâ suâ, ejusdem Domini hæres institui non potest. Ita Inst. lib. 12. tit. 14.

Ex vi præsumptæ suggestionis testamenti hæredes institui non possunt.

1. Qui scripserunt testamentum non possunt ejus testamenti, quod scripserunt, emolumen tum aliquod percipere. 2. Tutores non possunt institui hæredes pupillorum, nec Curatores suorum minorum. 3. Medicus non potest institui hæres sui ægroti, nec judex sui clientis, nec Magister sui discipuli, nec con-

388 MORALIS CHRISTIANA;
cubina sui Amasii , nec Communitas Religiosa
novitii , qui in ea suscipitur. Ita Brodeau in
notis ad Lovetum.

ARTICULUS VII.

De requisitis in testamento ex parte testium.

PROPOSITIO unica. Ut testamentum
sit validum ex parte testium , requiri-
tur certus numerus testium , & certæ dotes in
testibus.

Probatur. Leges determinarunt certum nu-
merum testium in quolibet testamento , & cer-
tas dotes in testibus , ut omnis fraus & do-
lus tolleretur : ergo hæc omnia sunt necessariæ
observanda , ut testamentum sit validum. Ex
quo sequentia inferuntur.

Consecaria hujus Doctrinae.

Numerus testium jure Romano cívili,
ubi viget , est iste:

1. In testamento cœci requiruntur octo tes-
tes. 2. In alio testamento , sive scripto , sive
nuncupativo requiruntur septem testes. 3. In
testamento rustici rure facto sufficiunt quinque
testes. 4. In testamento , sive rure , sive in
urbe . si fiat tempore pestis , sufficiunt quin-
que , imo aliquando duo testes 5. In testamen-
to patris & matris erga filios legitimos suffi-
ciunt duo testes , vel testamentum à solo pa-
tre scriptum , aut à cunctis subscriptum filiis..
Si sit scriptum ab extraneo ad minus requirun-
tur duo testes. 6. In testamento descendentiis

erga ascēdentes : si descendens liberis careat, sufficiunt duo testes , vel testamentum propriā manu subscriptum , aut à cunctis ascēdētibus subscriptum : minime verò , si sint descendentes. 7. In testamento factō coram P̄tincipe , vel coram judice , sufficit unus testis cum Notario. 8. In testamento militari sufficiunt duo testes : Miles autem censemur īs , qui vel in castris est , vel vadit ad castra , vel exit ē castris cum licentiā ad tempus , & miles censemur per annum ab obtentā licentia ; minime vero ille , qui a un̄ congē absolu. 9. In testamento ob causas pias sufficiunt duo testes. Ita lib. 20 inst. titul. 10. In certis locis, v. g. Tolosæ , Montis-Pessulanī sufficiunt duo testes 11. In testamento , ubi viget Jus Canonicum , sufficiunt duo testes & Parochus , aut quatuor testes sine Parocho. cap. cum effeſſ extra de testamentis. 12. In testamento , in quo instituuntur hæredes ii , quibus competit hæreditas ab intestato , sufficiunt quinque testes.

Dotes testium. Testes in testamento debent esse , non cœci ; non surdi ; non muti ; non furiosi ; non pupilli ; testatoris , vel hæredis , nec fratres , nec cognati ; qui non sint nec sub hæredis , nec sub testatoris potestate positi : non infames , quales sunt histriones , adulteri , lenones : sed masculi , puberes , ad hoc rogati & vocati , singuli eodem tempore subscribentes , videntes testatorem , omnes proprio sigillo vel communi consignent. Libro 2. inst. titu. 10 istud ultimum usū contrario abrogatum est , & loco Sigilli quisque suum nomen scribit. Quas dotes hic strictim recensuimus ,

cas habes fusè descriptas apud Justinianum
loco citato.

Itaque qui hic subjiciuntur, testes in testamento esse non possunt. 1. Mulier. 2. Impuberis. 3. Servi, idest mancipia 4. Monachi Professi 5. Furiosi, nisi in dilucidis intervallis. 6. Prodigi. 7. Muti. 8. Surdi, qui omnino nou exaudiunt. 9. Legibus improbi, idest notati infamia. 10. Peregrini; testes enim debent esse cives Romani. 11. Pater in testamento filii, & vice versa filius in testamento patris. 12. Frater in testamento fratris. Demum hæres non potest esse testis in testamento, in quo constituitur, bene tamen legatarius, ut habetur L. 20 qui testamenta facere possint.

ARTICULUS VIII.

De nullitate testamenti ob varias causas.

PROPOSITIO unica. Ut testamentum sit validum ex parte forme, plures requiruntur conditiones, quibus omissis testamentum est nullum.

Probatur. Testamentum est juris publici: ergo nullum erit, si careat conditionibus à jure requisitis.

Consecataria bujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Ex parte hæredis.

1. Hæres debet nominatim exprimi, & non solis signis designari, L. 29. jubemus C. de testam. 2. Hæres, sive unus, sive multiplex, debet esse universorum bonorum cum onere

solvendi legata : quia alias testator partim testatus , partim intestatus decederet ; testamentum tamen militis potest esse tantum aliquorum bonorum.

C O N S E C T A R I U M II. *Ex parte testatoris.* Requiritur quod testator non suspendat suum testamentum conditionibus , aut impossibilibus , aut dishonestis ; sed si quas apponat couditiones , oportet ut sint honestæ & possibiles : impossibiles enim & dishonestæ conditiones pro nullis habentur. L. 2. ff. de hæredibus instituendis. Condicio est impossibilis , cum ponitur pro conditione aliquid , quod fieri non potest , v. g. Titius hæres esto , si volaverit. Condicio est dishonesta , cum ponitur aliquid pro conditione , quod legge prohibetur , v. g. Titius hæres esto , si patrem non aluerit.

C O N S E C T A R I U M III. *Ex parte testamenti scripti & nuncupativi.* 1. Ut validum sit testamentum scriptum , debet vulgari idiomatico scribi , Gallicè in Gallia , Italicè in Italia , & caractere vulgari. 2. Sufficit , quod sit scriptum , vel propriâ manu testatoris , vel manu alterius , modo non scribatur manu ipsius hæredis , aut manu ipsius Parochi , si Ecclesia instituatur hæres , aut manu alicujus , qui sit membrum ejus communitatis , quæ hæres instituitur.

Ut testamentum nuncupativum sit validum , testator debet , vel per se , vel per alium , quem testator approbet , voluntatem suam declarare coram testibus , non disjunctivè , sed collectivè præsentibus , debetque testamentum nuncupativum intra decem annos à morte

testatoris scribi , alias pro nullo haberetur : quiā testes censemur non posse firmiter ultra illud tempus revocare . quæ facta sunt Si scribatur vivente testatore , non est necesse , quod obsignetur à testatore .

Testamentum scriptum deficiens suis solemnitatibus , non valet pro nuncupativo , nec nuncupativum deficiens suis valet pro scripto , nec testamentum pro codicillo , nisi testator ita expresserit . Imo testamentum imperfectum non valebit pro substitutione , etiam si testator expresserit ; quiā substitutio est accessoriū testamento , quo deficiente debet deficere .

Si testamentum sit multiplex , & non constet , quale sit prius , quale posterius , vel utrumque careat solemnitatibus requisitis , neutrum testamentum est validum .

ARTICULUS IX.

De nullitate testamenti ob præteritionem hereditatis , qui juxta leges præteriri non poterat .

PROPOSITIO unica . In institutione testamentariâ filiorum descendantium , & avorum ascendentium , testamentum est nullum , si non instituantur descendentes , aut his deficientibus ascendentibus , nisi reddatur causa , quare non instituantur .

Probatur . Jus naturale dictat , quod pater filiis provideat hæreditatem , & quod filius carens posteris patri suo refundat hæreditatem ; ergo testamentum est nullum , si reticeantur omnino ascendentibus , & descendantibus .

Consectaria

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Sequitur, quod testamentum est nullum in sequentibus casibus.
 1°. Si pater prætereat filium legitimum, sive matrem, sive fœminam, sive emancipatum, sive non emancipatum, sive natum, sive posthumum; quia jus habent ad hæreditatem.
 2°. Si mortuis liberis prætereat nepotes per virilem sexum genitos, sive neptes, sive nepotes, sive emancipatos, sive non emancipatos, sive natos, sive posthumos; quia habent jus ad hæreditatem.
 3°. Si mater prætereat filium: quia etsi mater non habeat filium sub potestate, tamen filius habet jus ad hæreditatem mattis.
 4°. Si testator careat descenditibus, si prætereat patrem, vel matrem; quia etsi solarium sit exiguum succedere filio; hoc tamen debitum est patri.
 5°. Si testator careat omnino descendantibus, nec habeat patrem & matrem. Si habeat avum, vel aviam, atavum, vel ataviam, vel proavum, vel proaviam, &c. debet deficiente proximiori ascendentे remotiore in hæredem instituere; quia ascendentes usque ad tritavum & tritaviam habent jus ad hæreditatem. Si autem hæredes necessarios nominare omiserit, hæres necessarius, sive descendens, sive ascendens, potest accusare testamentum, in quo injustè præteritus est, & testamentum declarabitur nullum à judice, & hæreditas dividetur juxta regulas successionis ab intestato. De quibus regulis infra.

C O N S E C T A R I U M II. Hæres necessariae
Tome. IV.

rius præteritus non potest accusare testamentum , quoties fuit causa exhäuserandi , aut quoties renunciavit juri suo ; quiā si dedit occasionem præteritioni , debet sibi imputare ; si renunciavit juti suo debet pariter sibi imputare itaque hæres necessarius justè exhäuseratus non potest accusare testamentum . Causæ autem exhäuserandi sic exprimuntur in novella 125. cap. 3. 1°. Si filius parentibus manus violentas injecerit. 2°. Si graves eis injurias intulerit. 3°. Si criminalibus causis , quæ non sunt adversus principem , eos accusaverit. 4°. Si vitæ parentum insidiari tentaverit. 5°. Si novæcæ aut Concubinæ patris sese immiscuerit. 6°. Si calumniator contra patrem extiterit. 7. Si pro patre in carcere existente fidejussor existere noluerit , aut captivum redimere negaverit. 8. Si patrem testamentum condere prohibuerit. 9. Si statum vivendi dishonestum elegerit, v. g. filius histrionicum , filia meretricium exercuerit. 10. Si filius minor triginta annis , & filia minor viginti quinque annis sine consensu patris matrimonium inire tentaverit.

Exdem causæ , quæ valent ad exhäuserandum filium , valent ad exhäuserandum patrem-

Hæres necessarius , qui renunciavit hæreditati , non potest accusare testamentum in sequentibus casibus 1. Si tacuit per triginta annos. 2. Si testamentum , in quo præteritus est , approbaverit , v. g. si fuerit Advocatus pro hærede. 3. Si bona hæreditatis recusavit. 4. Si ut legatarius suscepérit legatum à testatore datum per idem testamentum , in quo ut hæres

nominandus erat 5. Si præteritio facta in testamento proposit potius, quam noceat. 6. Si præteritio facta sit non ex industria, sed casu.

Hæres necessarius ascendens, v. g. pater, avus, aut descendens, v. g. filius, nepos non possunt accusare testamentum, si præteriti non fuerint, licet æquam portionem non acceperint; sed possunt solum postulare à judece supplementum legitimæ.

Frater, & soror possunt accusare testamentum, in quo præteriti sunt; si hæres institutus sit persona inhonesta, quales sunt personæ, quæ hic subjiciuntur, v. g. homo damnatus morte naturali, vel civili, histrio, magus, leno, meretrix, spurius; quia in tali casu frater, & soror sunt hæredes necessarii.

ARTICULUS X.

De revocatione Testamenti.

PROPOSITIO unica. Testamentum quibuscumque solemnitatibus munitum potest ad libitum testatoris revocari.

Probatur. Testamentum pendet ex liberâ testatoris voluntate: ergo semper revocari potest, donec mors aecesserit.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Testamentum potest revocari, etiam si factum sit coram Principe, etiam si Princeps declaraverit testamentum illud irrevocabile, etiam si testator

396 MORALIS CHRISTIANA;
promiserit, imo juraverit, se non revocatum, imo etiam si dixerit bona omnia, quæ habet, ad hæredem à se institutum pertinere: quia nemo potest eam sibi legem statuere, ut non possit à priore voluntate recedere. L. 22. ff. de legatis & fideicommissariis L. 16. 3. at-
tamen testamentum in contractu matrimoniali conditum non poterit revocari: quia gerit vices donationis.

CONSECTARIUM I I. Testamentum prius factum in favorem, sive hæredum necef-
sariorum, sive extraneorum revocatur. 1. Do-
natione inter vivos. 2. posteriori testamento;
quia posteriora derogant prioribus.

CONSECTARIUM I I I. Testamentum prius perfectum revocatur per posterius perfec-
tum, sed prius imperfectum non revocatur per posterius imperfectum, sed utrumque nullum est; quia caret solemnitatibus requi-
fitis; à fortiori testamentum perfectum co-
ditum cum septem testibus non revocatur per
testamentum imperfectum conditum cum quin-
que testibus. Tamen testamentum militare
imperfectum revocat prius testamentum non
militare licet perfectum; quia ex privilegio
testamentum militare imperfectum censetur
validum. Quod si miles declaraverit se velle
utrumque testamentum valere, prius & poste-
rius testamentum valebunt in eo, in quo non
opponuntur; quia miles potest decidere cum
duplici testamento.

CONSECTARIUM IV. Testamentum prius factum revocatur per secundum. Atta-
men requiritur specialis derogatio. 1. Si prius
testamentum contineat clausulam derogatoriam

quæ debet expresse enuntiari. 2. Si sit in favorem filiorum.

C O N S E C T A R I U M V. Ut Testamentum prius factum revocetur , sufficit 1. Ut testator coram septem testibus , aut coram totidem testibus , qui sufficerent ad testamentum , declareret se nolle factum prius testamentum valere ; quia res eisdem causis dissolvitur , quibus constituitur. 2. Si decem anni fluxerint , sufficit , ut id dicat coram tribus testibus. 3. Ut testator factum testamentum laceret. 4. Ut universitati datione bona sua largiatur.

C A P U T X I X.

De Hæreditatibus , que ab intestato deferuntur.

HAECENUS de hæreditatibus , quæ ex testamento deferuntur . egimus ; jam de his , quæ ab intestato deferri possunt , agendum.

ARTICULUS I.

In quo traduntur quædams notiones necessariae ad explicandas hæreditates ab intestato.

S. I.

Quis intestatus, & quot, & qui possint ejus bonis succedere.

INTESTATUS est ille, qui hæreditatem relinques, aut omnino non fecit testamentum, aut non jure fecit, aut quod fecerat, ruptum irritumque factum est, aut si ex eo nemo hæres existit. Ita Justinian. lib. 3. Inst. tit. 1.

Sic Titius habens bona temporalia, non cogitat de condendo testamento, & moritur nullo facto testamento, vel facit testamentum sine debitissimis solemnitatibus juris, aut faciens testamentum cum solemnitatibus juris, retinet posthumum, qui ei annascitur; vel demum hæres designatus recusat hæreditatem. In his singulis casibus Titius dicitur mortuus intestatus.

Homini intestato succedere possunt. 1^o. Descendentes. 2^o. Ascendentes. 3^o. Collaterales. 4^o. Matitus, vel uxor. 5^o. Fiscus. Descendentes sunt hi, qui à nobis ortum ducunt. Ascendentes verò hi, à quibus nos ortum ducimus. Collaterales sunt hi, qui sicut & nos ex eodem sanguine ortisunt. Uxor & maritus sunt hi, qui matrimonio conjunguntur. Fiscus est, aut Respublica, aut regnum, in quo decedit intestatus.

§. II

Qui & quot descendentes?

Descendentes sunt hi, qui à nobis vel immediate, vel mediate ortum ducunt. Et hi sunt. 1°. Liberi. 2°. Nepotes & neptes. 3°. Pronepotes & proneptes 4°. Abnepotes & abneptes. 5°. Adnepotes & adneptes. 6°. Trinepotes & trineptes,

Liberi, alii sunt naturales solum, alii legitimi solum, alii naturales simul & legitimi, alii legitimati; ut dicunt.

Liberi naturales solum sunt hi, qui ex illegitimo concubitu nati sunt, qui nascuntur ex coitu meretricio, vel incestuoso. Qui nascuntur ex coitu meretricio, id est ex ea foemina, cum qua iniri poterat conjugium, possunt fieri legitimi. Qui nascuntur ex coitu incestuoso, id est ex ea foemina, cum qua iniri nequit conjugium, nequeunt fieri legitimi.

Liberi legitimi solum sunt hi, qui nobis sunt filii via legis, scilicet per adoptionem.

Liberi naturales simul & legitimi sunt hi, qui oriuntur à nobis ex legitimis nuptiis.

Liberi naturales legitimati sunt hi, qui orti ex illegitimo, sed non incestuoso concubitu, sunt legitimi, vel per rescriptum principis, vel per sequens matrimonium initum cum ea, cumqua habitus fuit illius concubitus.

§. III.

Qui & quot ascendentes.

Ascendentes sunt hi, à quibus, vel immediate, vel mediately ortum ducimus. Et hi sunt, 1°. Pater & mater, 2°. Avus & avia, 3°. Proavus & proavia, 4°. Abavus & abavia, 5°. Atavus & atavia, 6°. Tritavus & tritavia.

Parentes alii sunt naturales solum, alii legitimi solum, alii naturales simul & legitimi, alii legitimati, ut diximus de liberis; eodem enim modo de parentibus ratiocinandum, quo de filiis.

§. IV.

Qui & quot Collaterales.

Collaterales sunt hi, qui ex eodem sanguine ex quo & nos orti sunt, vel qui ex eodem sanguine oriuntur, ex quo ascendentes nostri nati sunt.

Sic considerando rem descendendo, Collaterales sunt 1°. Fratres & sorores, 2°. Fratrum & sororum filii, 3°. Fratrum & sororum nepotes & neptes, 4°. Fratrum & sororum pronepotes & proneptes, 5°. Fratrum & sororum abnepotes & abneptes.

Sic considerando rem ascendendo, Collaterales sunt, 1°. Fratres & sorores tum patris & matris meæ, corumque filii & filiæ, nepotes & neptes, pronepotes & proneptes, abnepotes & abneptes, 2°. Fratres & sorores tum

avi, tum aviæ, eorumque filii & filiæ, nepotes & neptes, pronepotes & proneptes.^{3°}. Fratres & sorores, tum proavi, tum proaviæ, eorumque filii & filiæ.^{4°}, Fratres & sorores atavi & ataviæ.

§. V.

Quid sit in stirpes & in capita succedere.

Successio fit in capita, quando tot partes sunt hæreditatis, quot sunt capita succedentium, v. g. tot sunt partes, quot sunt capita filiorum.

Successio fit in stirpes, quando tot sunt partes hæreditatis, quot sunt capita, & cuiuslibet capitis portio dividitur his, qui caput illud repræsentant. v. g. Titius habens duos filios moritur intestatus, alter ex illis filiis moritur relinquens quatuor filios, qui sunt nepotes Titii. Tota hæreditas Titii dividetur in duas partes æquales, una dabitur filio Titii superstiti, & altera pars dividetur æqualiter quatuor nepotibus; filius succedit in capita, nepotes vero in stirpes.

§. VI.

In quot partes solet dividi Hæreditas.

Hæreditas solet dividi in duodecim partes; sicuti as dividitur in duodecim denarios. Juristæ solent diversas hæreditatis portiones hoc modo exprimere. As, seu qui est hæres ex aſſe, succedit duodecim partibus, seu toti

hæreditati. *Deunx*, undecim. *Dextans*, decem. *Dodrans*, novem. *Bes*, octo. *Septunx*, septem. *Quincunx*, quinque. *Triens*, quatuor. *Quadrans*, tribus. *Sextans*, duabus. *Uncia*, uni tantum parti ex duodecim.

ARCICULUS II.

Quis sit ordo successionis ab intestato ex Novella Imperatoris.

S. I.

Quo ordine succedant descendentes.

Regula 1a. Si, qui decedit intestatus, relinquat solum liberos ex justis nuptiis procreatōs, hi omnes liberi, sive mares, sive foeminæ ex æquo succedunt, sive in singulos æqualiter dividitur hæritas; liberi in capita; istorum vero filii in stirpes succendent. Ita Novell. 118. cap. 1.

Regula 2a. Si, qui decedit intestatus, relinquat solum filios legitimos, sed diversimodè legitimatos, isthæc observanda sunt.

Filii legitimati per sequens matrimonium, sive nati ex eadem, sive ex alia matre una cum filiis naturalibus & legitimis, æqualiter succedunt, & in allodialibus, & in feudalibus. Novell. 89. cap. 8.

Filii naturales legitimati per rescriptum Principis tantum succedunt patri, nullis extantibus liberis naturalibus & legitimis simul; non tamen in feudo, nisi id in rescripto continetur.

De filiis legitimis per adoptionem , aut legitimatis per oblationem curiae nihil dico ; eorum enim notitia (parum inservit in praxi pro casibus conscientiae .

Regula 3a. Si , qui decedit intestatus , relinquat filios naturales non legitimatos , haec observanda sunt .

Filii incestuosí , id est nati ex ea , cum quia initio nequit matrimonium , nec succedunt , nec eis , jure civili , alimenta debentur . *Authentica ex complexu. C. de incestuosis nuptiis.* Sed Jure Canonico ab hereditate repelluntur , & eis providetur nutrimentum . Et meritò quo ad hoc jus civile per Canonicum corrigitur ; *Naturalia enim jura , inquit Justinianus , civilis ratio perimere non potest.* Lib. 3. tit. 1. §. II.

Filiī naturales tantum , non extantibus filiis legitimis , vel legitimā uxore , succedunt in duabus unciis una cum matre dividendis . In reliquis partibus succedunt proximè cognati . Novell. 89.

Filiī naturales tantum , extantibus filiis legitimis , vel uxore legitimā , non succedunt ; alendi tamen sunt boni viri arbitrio . Ita Novell. 29. cap. 12. Matti tamen una cum filiis legitimis succedunt .

S. II.

Quo ordine succedant ascendentes:

Regula. 1a. Si , qui decedit intestatus , non relinquat , neque descendentes , neque collaterales , id est , neque liberos , neque fratres

vel sorores , ascendentes proximiōres succēdunt , v. g. pater & mater succedunt æqualiter , & quidem in capita , sicuti liberi , tam masculi , quam fœminæ succedunt æqualiter in capita. Deficiente patre , succedunt avus & avia ex parte patris , & deficiente matre , succedunt avus & avia ex parte matri , sed in stirpes .

Regula. 2a. Si , qui decedit intestatus , non relinquit liberos , sed superstites relinquit ascendentes , v. g. patrem & matrem , & collaterales , v. g. fratres & sorores , aut eorum filios . Fratres & sorores unā cum ascendentibus proximioribus succedunt , nepotibus ulterioribus exclusis .

Regula. 3a. Si , qui decedit intestatus , non habeat parentes legitimos , sed solum naturales , non extantibus ei liberis & collateribus , eo modo ei succedunt ascendentes naturales , quo ipse eis succederet .

§. III.

Quo ordine succedant collaterales ,

Regula. 1a. Si , qui moritur intestatus , non relinquit ascendentes , vel descendentes , sed solum fratres aut sorores naturales vel legitimos , vel legitimatos , vel mortuorum fratribus & sororum filios ; fratres & sorores viventes , & demortuorum fratribus & sororum filii , succedunt æqualiter , sed fratres & sorores viventes succedunt in capita ; filii vero demortuorum fratribus vel sororum in stirpes succedunt .

Regula

Regula 2a. Si , qui moritur intestatus , non relinquat , neque , ascendentēs , neque descendētēs , neque fratres & sorores , neque frātrum aut sororum liberos , cognati ulterioris gradūs , ex sola gradūs prærogativa , succēdunt in capita.

§. IV.

Quo ordine succedat maritus & uxor & fiscus.

Regula unica. Si , qui decedit intestatus , non relinquat , neque ascendentēs , neque descendētēs , neque collaterales usque ad decimū gradū , marito succedit uxor , & maritus uxorī. Et si , qui decedit intestatus , non relinquat , nec vir uxori , nec uxor virum , succedit fiscus.

§. V.

De formula Testamenti publici à Parochio aut ejus Vicario conscribendi.

Quoniam sēpissimē contingit , ut Parochi p̄cipiū rurales , eorumque Vicarii cogantur confiscere Testamenta propter defectum Notariorum : hoc enim eis licet in tali casu per edictum Regium Henrici III. Blesius datum anno 1579. art. 63. Ne errent in hujusmodi confectione Testamentorum ; ideo placuit hic inserere subjectam formulam Gallice idiomatica.

*Formulaire d'un Testament , qui peut être re-
tenu par un Curé , ou son Vicaire.*

Au nom de Dieu soit que ce jourd'huy , &c.
dans le lieu de , &c. avant ou après midi
pardevant moy N. N. Prêtre & Curé ou Vi-
caire de la Paroisse , &c. a été constitué en
personne N. N. habitant de , &c. Lequel étant
malade dans un lit d'une telle chambre de
sa maison ; mais pourtant en tous ses bons
sens , jugement & mémoire , voyant , enten-
dant , connoissant & parlant , considerant qu'il
n'y a rien de plus certain que la mort , ni de
plus incertain que son heure , pour prevenir
les contestations , qu'il y pourroit avoir après
son decés à cause de ses biens , a fait & or-
donné son présent Testament , comme s'en
suit . Premièrement ledit N. N. Testateur a fait
le signe de la croix sur sa personne , deman-
dé pardon à Dieu , & prié les Saints & Sain-
tes du Paradis d'interceder pour luy . A dit
qu'il veut être enterré au Cimetiere de la Pa-
roisse , &c. Pour les honneurs funebres il s'en
remet à la discretion de son heritier bas nom-
mé , & pour les prières qu'il luy soit dit tant
de Messes , &c. Donne & legue à N. N. la
somme de N. N. payable à , &c. moyenant
quoy le fait & institué son heritier particu-
lier , veut qu'il ne puisse autre chose preten-
dre ni demander sur ses biens , &c. & en tous
& chacuns ses biens meubles & immeubles ,
noms , droits , voix , & actions presens & ave-
nir ledit N. N. Testateur a fait , institué , &
de sa propre bouche nommé son heritier ge-

neral & universel N N. pour par luy joüir , faire , & disposer des biens & heredité dudit Testateur , tant en la vie , qu'en la mort , à ses plaisirs & volontez après le decés dud. Testateur , qui a dit & declaré ce dessus étre sa seule & derniere volonté , qu'il veut & ordonne étre valable par forme de Testament , Codicille , Donation , & autre disposition à cause de mort en la meilleure forme , que de droit pourra mieux valoir , cassant , revoquant , & annullant tous les autres Testamens , Codicilles , & Donations à cause de mort , qu'il peut avoir cy-devant faits , & par exprés tous legs pies , fondations , & clauses derogatoires , qui pourroient étre contenus en sesdites dispositions , qu'il exprimeroit dans la presente , s'il s'en souvenoit , comme voulant & entendant que le present soit son seul dernier & valable Testament , duquel ledit Testateur a prié les Temoins bas nommez de luy connus , qu'il a faits appeller , de vouloir se souvenir . & moy dit Curé ou Vicaire de le luy vouloir retenir , en l'absence de Me. N.N. Notaire dudit lieu , ou bien , attendu qu'il n'y a point de Notaire audit lieu , ce que j'ay fait , recité , & passé dans la maison dudit Testateur , en présence de N N. , N.N. &c. le jour & an que dessus

Qui talia conficiunt Testamenta , monendi sunt. 1°. Quod debeant adhibere testes septem , qui sciant & possint , quantum fieri poterit , consignare instrumentum , aut saltem debet fieri mentio de causa , propter quam non consignarint , de hoc requisiti. Idem dici debet de Testatore , qui etiam si fieri potest ,

debet consignare , aut saltem debet fieri mentio de causa , propter quam non consignavit , de hoc requisitus . 2°. Debent observare quod ipsi non possunt institui heredes , aut legatarii , in eo Testamento , quod conficiunt . 3°. Debent facere in Testamento mentionem de omnibus filiis & filiabus , etiam posthumis aut posthumabus Testatoris , alioquin Testamentum nullum esset , aut si desint , debent nominare patrem & matrem , & alios ascendentes & descendentes in linea recta . Quod si Testator exheredaret quemquam illorum , deberet fieri mentio de causa , ob quam hoc facit . 4°. Debent quantum hujusmodi Testamentum sic consecrum tradere alicui ex Notariis publicis , qui illud transcriberet in suo cartulario , ut qui indigebunt tali Testamento , possint ad illud securrere .

§. VI.

De formula Testamenti clausi.

Cum possit etiam plerumque fieri , quod idem Parochi aut eorum Vicarii rogentur aliquando ab iis , qui suam in ipsis collocant fiduciam , ut velint sibi Testamentum , quod vocant clausum , confidere , suasque ultimas voluntates in scriptis redigere , operæ pretium visum est etiam hujusmodi Testamenti formulam hic subjicere ; ne quis in re tanti momenti propter suam imprudentiam , aut decipiatur alios , aut ipse decipiatur .

Formulaire du Testament clos.

Je soussigné N. N. de telle qualité habitant de, &c. me trouvant en parfaite santé du corps & de l'esprit, ou bien étant infirmé ou malade selon le cas, & en tous mes bons sens jugement & memoire, voyant, entendant, connoissant & parlant, pour prévenir les contestations, qui pourroient arriver après mon décès à cause de mes biens, j'ay fait mon Testament, comme s'en suit. J'ay fait le signe de la croix sur ma personne, demandé pardon à Dieu, & prié les Saints & Saintes d'intercesser pour moy. Je veux que mon corps soit enterré, &c. m'en remettant à la discretion de mon heritier bas nommé pour mes honneurs funebres, ordonnant pour le repos de mon ame qu'il soit dit tant de Messes, &c. Je donne & legue à N. N. &c. & en tous chascuns mes biens, meubles & immeubles, noms, droits, voix & actions presens & avenir, je fais, institué, & nomme mon heritier general & universel N. N. pour par luy en jouir, faire, & disposer après mon décès à ses plaisirs & volontez tant en la vie qu'en la mort. Et telle est ma dernière volonté, que je veux être valable par forme de Testament, Codicille, Donation, & autres dispositions à cause de mort, en la meilleure forme que de droit pourra mieux valoir, cassant, revoquant & annulant tous les autres Testamens, Codicilles, Donations & autres dispositions à cause de mort, que je puis avoir cy-devant faits, & par exprés tous legs piez, fondations &

clauses derogatoires , qui pourroit y être contenus , que j'exprimerois dans le present , si je m'en souvenois , comme voulant & entendant , que le present soit mon seul dernier & valable Testament , lequel j'ay écrit de ma main , ou bien lequel j'ay fait écrire par une main à moy assidée . Et après l'avoir lu & relu mot à mot , l'ayant trouvé conforme à ma volonté , l'ay signé au fonds de chaque page & à la fin dudit Testament . Fait à tel lieu , &c. le tel jour , &c.

Suprà formulam superiùs scriptam isthæc observanda veniunt . 1°. Necessarium est , ut Testamentum clausum valeat , quod Testator sciat legere & scribere , quod ipsum scribat & consignet suo chirographo omnes ejus paginas ; aut si fecerit scribi per manum sibi fidem , ipse saltem consignet omnes ejus paginas , & suá propriâ manu conclusionem Testamenti scribat , in qua mentionem faciat , quod ipse fecerit scribi Testamentum per manum sibi fidem . 2°. Hujusmodi Testamentum , sic scriptum & exactè reseratum debet super scribi per Notarium publicum , aut saltem defec-
tu Notarii per Parochum ; aut ejus Vicarium , si hæc super-scriptio fiat in extremo vitæ periculo ; & in ea superscriptione debent obser-vari cædem solemnitates , quæ servantur in Testamentis publicis conficiendis , & adhiben-di testes septem sicut in illis . 3°. In isto Tes-tamento , sicut & in publico omnes filii & filiae Testatoris nominandi sunt , & iis deficientibus nominandi sunt omnes ascendententes & descendentes in linea recta . 4°. Ille , c ujus manu utitur Testator ad scribendum Testamen-

tum, non potest esse hæres, nec legatarius, sicuti nec ipsius frater aut soror, nec pater aut mater. Quod si ille, qui scripsit Testamentum, sit Religiosus, tunc nec ipsa Religio, nec ullus privatus ejusdem Religionis, potest esse hæres, aut legatarius in illo Testamento.



TRACTATUS TERTIUS.

De variis speciebus injustæ acceptionis vel detentionis boni alieni.

Si attendamus modum accipiendi vel detinendi injustè rem proximi, duæ sunt generales species injustæ acceptionis & detentio-
nis, scilicet furtum & rapina. Per furtum res proximi occultè accipitur vel detinetur. Per rapinam res proximi palam & renitente Do-
mino violenter eripitur.

Si attendamus rem alienam, quæ accipitur vel detinetur injustè, quatuor sunt species injus-
tæ acceptionis, scilicet peculator, abigatus,
plagiatus, & sacrilegium.

CAPUT I.

De Furtio.

Nota. Furtum est occulta & injusta ablatione vel detentio rei alienæ invito rationabiliter Domino. Variæ sunt species furti.

1°. Furtum simplex est actus, quo quidam alicui privato clanculum subripitur.

2°. Peculatorus est actus, quo quis ex publicis pecuniis intervertit aliquid aut usurpat.

3°. Abigatus est actus, quo, non res inanimes, sed pecora, è locis, in quibus pascunt, abiguntur & rapiuntur.

4°. Plagium est actus, quo non res vel pecora, sed homo, sive servus, sive liber, abducitur.

5°. Sacrilegium est actus, quo vel sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro aufertur. Sacra res dicitur ea, quæ cultui divino mancipatur, ut Ecclesia, vel res Ecclesiæ.

ARTICULUS I.

Quod & quale peccatum sit furtum.

PROPOSITIO unica. Furtum est peccatum ex suo genere mortale.

Et ita peccat mortaliter, quicumque privatâ autoritate aufert bonum alienum invito rationabiliter Domino, si rem auferat delibetate, & res ablata sit notabilis.

Probatur 1°. Scriptura. Et dixit ad me, has

est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ; quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur. & omnis jurans similiter judicabitur. Zachariæ 5. Paulus vero ait, neque fures, neque adulteri regnum Dei possidebunt. 1. ad Corinth 6. Ergo cum furtum mereatur Dei maledictionem, & excludat à regno cœlorum, est peccatum mortale.

2º. Furtum in omni lege tanquam grave peccatum prohibetur, ut patet inductive; nam in lege naturali sola instigante conscientia Jacob vult furtum morte puniri, ita enim Laban alloquitur: *Quod autem furis me arguis, apud quemcumque inveneris Deos tuos;*, necetur corans fratribus nostris. Genes. 31. Fratres Joseph eidem pœnæ se addicunt: *Apud quemcumque, inquiunt, fuerit inventum seruorum tuorum quod queris, moriatur.* Genes. 44. In lege Mosaïca dicitur: *Non furtum facies.* Jus civile fures pœnis corporalibus addicit. Jus Canonicum Epist. ad Amphiliocium Canone 61. Fures à communione per longum tempus excludebat: Ergo cum furtum tam gravibus pœnis subjiciatur, debet esse ex suo genere mortale peccatum.

3º. Furtum est contrarium justitiae, quæ suum uniuicue tribuit: ergo cum justitia sit virtus ad salutem necessaria, furtum contrarium justitiae debet esse peccatum mortale.

Hinc patet enumeratas omnes species furti in materia gravi & cum plena deliberatione esse peccata mortalia.

*Consectaria hujus Doctrinae.**De speciebus Furti.*

C O N S E C T A R I U M I. Furtum simplex est peccatum mortale , de quo ita Abacuc . cap . 2 . *Væ qui multiplicat non sua , usquequæ & aggravat contra se densum lutum : Innuens quod si- cut homo infixus luto emergere non potest ; ita fur ex peccato suo vix potest emergere .*

C O N S E C T A R I U M II. Peculatus est pec- catum mortale , de quo ita Joannes apud Lu- cam . 3 . *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis , faciatis .*

C O N S E C T A R I U M III. Abigatus , de quo titul . 47 . digest . est etiam peccatum mor- tale .

C O N S E C T A R I U M IV. Plagium est pec- catum mortale , de quo Exod . 21 . *Qui furatus fuerit hominem , & vendiderit eum , convictus noxæ morte moriatur .*

C O N S E C T A R I U M V. Sacrilegium est etiam peccatum mortale , de quo ita Josué loquens de sacrilegio Achan . *Anathema in medio tui Israël , non poteris stare coram hosti- bus tuis , donec deleatur ex te , qui hoc conta- minatus est scelere . Josué 7 .*

ARTICULUS II.

In quo percurruntur varii casus , in quibus furum committitur.

§. I.

De furtis commissis ab extraneis omnino;

CONSECTARIUM I. Peccant peccato furti hi , quos hic subjicio.

1º. Pauperes , qui aliquid subripiunt divitibus , quamvis divites ob rem subtractam grave non ferant incommodum. Ita Catechismus Trid.

2º. Pauperes , qui furantur vel in gravi vel in levi necessitate ; quia debent potius pati illum necessitatem quam furari ; non peccant tamen , si in extrema necessitate sumant , quod est ad vitam necessarium. Sic enim discipulos suos colligentes spicas , quibus nutritentur , excusat Christus. Utrumque docuit Innocentius X. damnando sequentem propositionem : *Permissum est furari , non solum in extrema necessitate , sed etiam in gravi.*

3º. Pauperes , qui extra necessitatem extream ligna cœdunt , vel cœsa auferunt , vel peccora in alieno fundo contra voluntatem Domini nutriunt.

4º. Qui exiguis furtis deveniunt ad quantitatem notabilem , v. g. sartores particulas panni à diversis subripientes ; textores particulas fili à diversis furantes ; molitores à diversis exiguam quantitatem grani auferentes ;

mercatores utentes falsis ponderibus , mensuris & ulnis ; venditores , qui rem venalem tantisper labefactant : quia hi omnes nocumentum ingens afferunt Reipublicæ , & ingens emolumentum acquirunt , quod retinere nequeunt absque peccato mortali. Ita Innocent. XI. damnando istam propositionem : *Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere , quod ablatum est per pauca furtæ , quantumcumque sit & magna summa totalis.*

5°. Demum qui furantur aliquid quantumvis exiguum cum ea intentione , ut ad summam aliquam ingentem perveniant , licet taliem summam non acquirant ; quia intentio illa prava facit , quod furtum , quod erat veniale , sit mortale.

§. III.

De furtis uxorum erga maritos , & maritorum erga uxores.

CONSECTARIUM I. Peccant uxores peccato furti : quando auferunt bona mariti ; quia auferunt ea , circa quæ non habent dominium. Ita docet Aug Epist. ad Ediciam : *Mulierem conjugatam non licet dicere , facio , quod volo de me , cum & ipsa non sit sua , sed capit is sui , hoc est viri.* Et non legitur Sarah domesticis rebus tanquam dominam usam suis- se , sed è contra solitam suisse Abraham dominum suum nuncupare.

Et ita peccat uxor subripiens aliquid de sua dote , vel de pretio quod acquirit vulgari suâ industriâ ; subripiens pariter aliquid de re domes- tica ,

mesticā , si subripiat , ut ludat , ut superbius , quam par est , vestiatur ; ut reservet sibi post mortem mariti ; ut vel parentibus vel pauperibus copiosius , quam par est , distribuat ; & tenetur ea restituere , & damnum illud reparare per bona dotis suæ post mortem mariti , vel per bona paraphernalia , si habeat ; quod si non habeat bona paraphernalia , & marito non supervivat , tenetur petere à marito condonationem , si presumat quod sit eam impertratura , vel defectum restitutionis per pñtentiam compensare ; cum enim uxor non sit domina prædictorum bonorum , verum sursum committit , cum ea usurpat .

C O N S E C T A R I U M III. Peccant peccato furti mariti , qui bona , quæ sunt extra dotem , ab uxoribus auferunt , & ipsa dilapidant .

§. III.

De furtis filiorum familias erga patres , & patrum erga filios .

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant peccato furti filii familias , quando auferunt bona parentibus ; quia auferunt ea , circa quæ non habent Dominium : qui substrahit aliquid à patre suo & à matre , & dicit hoc non esse peccatum , particeps homicidæ est . Proverb. 28. quia scilicet , gerens se quasi esset verus paternorum bonorum possessor indicat satis manifestè se optare mortem patris . Reos veri furti censet Justinianus eos omnes filios , qui aliquid à patre invito subripiunt . Ita

Tom. IV.

M M

enim habet lib. 4. instit. titu. 1. §. 13. H̄i inquit, qui in parentum, vel dominorum potestate sunt, si rem eis subripiunt, furtum quidem faciunt, & res in furtivam causam cadit. Et S. Antoninus parte 2. titulo. 1. cap. 15. §. 1. si filius-familias abstulit aliquid de bonis parentum contra voluntatem eorum, furtum commisit; & si est quid notabile, mortale est.... Et ad restitutionem tenetur cohæredibus, nisi pater dederit, vel cohæredes ipsos tantumdem subripuisse certò sciāt. Et ita furti reus est filius familias, qui subripit patri aurum, argentum, frumentum, &c. ut ludat, ut epuletur, &c. Parentes peccant peccato furti; si filiis subripiant, aut labefactent, quæ eis à jure conceduntur.

§. IV.

De furtis Dominorum erga servos, & servorum erga Dominos.

CONSECTARIUM V. Peccant peccato furti Domini, qui servis alimenta convenientia non præbent; dignus est enim operarius cibo suo: item si mercedem justam, dum modo fideliter famulati fuerint, non solvant; id enim strictè prohibet Deus: non morabitur inquit, apud te opus mercenarii usque mane: item etiam si ante clapsum terminum temere & sine causa è domo expellant; quo casu tenentur ad integrum solutionem.

CONSECTARIUM VI. Peccant peccato furti servi rapientes bona Dominorum, aut non ea custodientes; quia non habent jus

circa bona Dominorum; & quia ex officio tenebantur ea bona custodire, exemplo Jacob, qui die ac nocte vigilabat, ut oves Laban custodiret; die noctuque, inquit, æstiu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, siveque per viginti annos in domo tua servivi tibi. Gen. 31. v. 4. & ira peccant famuli, qui subripiunt panem, vinum, carnes, &c. ut epulentur lautiùs; ut dent parentibus suis; ut dent operariis, qui eos adjuvant, dum illi interim à labore debito quiescunt; ut dent sartoribus sutoribus &c. quos talibus munusculis remunerant ob officia, quæ ab eis accipiunt.

Item peccant peccato furti famuli, & ancillæ, & opifices, qui factâ conventione cum Dominis suis, persuadentes sibi laborem suum ultra id, de quo conventum est, esse astimandum, aliquid accipiunt compensationis nomine; stare enim debent initæ conventioni; eis quippe reponi potest illud Evangelii: amice non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum, telle, quod tuum est, & vade. Rem ita determinat Innocen. X I. damnando hanc propositionem: famuli & famulæ possunt occultè heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem iudicant salario, quod recipiunt. Ob eamdem rationem filius nondum emancipatus, administrans bona parentis, non potest clam accipere idem salarium, quod pater dare cogeretur extraneo.

Peccant pariter peccato furti famuli, ancillæ, & opifices, qui locantes operas suas non laborant juxta conditum; quia sicuti iustitiam violat, qui opus mercenariorum non remu-

neratur juxta illud : non remanebit apud te opus mercenarii usque mane ; ita justitiam violant mercenarii , qui juxta condicatum opus iunctum vel suscepsum non perficiunt. Juber enim Paulus ad Ephes. 6. v. 6. ut sint non ad oculum servientes , quasi hominibus placentes , sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo.

Si famuli , si ancillæ , si opifices sine magna difficultate restituere non possunt , jubentur compensare officiis , & obsequiis extraordinariis , quantum possunt.

ARTICULUS III.

*Quandonam ablatio rei alienæ furtum dicitur
non debet*

PR O P O S I T I O unica. Furti reus haberi non potest , qui rem exteriorem accipit iis in casibus , in quibus jus naturale vel positivum illud permittunt.

Probatur. 1º. Ut supra dictum est , homo est Dominus rerum suarum dependenter à Republica : ergo hoc ipso quod quis accipit secundum jura , juste accipit : ergo non peccat : ergo furti reus haberi non potest. 2º. Irrationalis est voluntas Domini detinentis in his casibus , in quibus jus vel naturale vel positivum permittunt , ut auferatur : ergo furti reus non est , qui tunc bonum alterius auferit.

Conjectaria bujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Furti Rei non sunt, qui alienum accipiunt ex justa causa. Sic qui hic subjiciuntur, sunt à crimen furti immunes. 1º. Qui expresso Dei jussu aliquid auferunt; quia Deus est Dominus omnium, v. g. à furto excusantur Judæi jussu Dei sumentes spolia Ægyptiorum; tum quia Deus eis ea adjudicaverat, quod utique poterat, vel ratione supremi Dominii, quod habet supra omnia, vel ex justo judicio, quo voluit impios punire, auferendo eis bona, & ea Judæis adjudicando juxta illud: *justi tulerunt spolia impiorum* Sapien 10. vel voluit laborem Judæorum compensare juxta illud: *reddidit justis mercedem laborum suorum* Sap. 10. v. 17. si tamen Moïses suâ sponte jussisset, aut Hebræi suâ sponte fecissent, profecto peccassent juxta Aug. 2. contra Faustum 72.

2º. Qui accipiunt aliquid auctoritate judicis. Ita D. Th. accipere rem alienam, vel occultè, vel manifestè, auctoritate judicis hoc decernentis, non est furtum; quia jam sit sibi debitum per hoc, quod sententialiter sibi est adjudicatum. 2. 2 q. 66 ar. 5. ad 1.

3º Qui accipit alienum non contradicente Domino, vel quia Dominus sponte consentit, vel quia accipiens jocosè accipit; furtum enim est ablatio rei alienæ contradicente Domino.

4º Qui accipit alienum etiam contradicente Domino, si hoc fiat in bonum ipsius Domini, v. g. qui auferat alicui pecunias, ne

cas ludo dilapidet ; abscondit librum hæreticum , ne cum legat ; aufert pugionem , ne se confodiat ; tunc enim ablatio rei nocituræ non est furtum , sed officium.

5°. Qui accipit aliquid invito irrationaliter Domino ; quia si Dominus sine causa contradicat , non est furtum sed debitum justè acceptum.

Sic non peccat uxor , si de bonis familie aliquid retineat , ut modestè se vestiat . ut moderatas det Eleemosinas . ut rei domesticæ provideat , ut prodigo marito ansam ludendi subripiat ; ita enim fecisse prudens Abigail legitur , cum Davidi occurrit cum muneribus.

Sic non peccant filii-familias , qui retinent aliquid ex familia , ut sibi suppedinent , quæ sunt necessaria ad victum & vestitum.

Non peccant pariter famuli , si male nutriti accipient , quæ sunt absolute necessaria , ut nutriantur. Prædicta autem ita intelligenda sunt , ut hæc necessaria , & petita fuerint , & injustè negata.

C O N S E C T A R I U M I I. Non peccant , qui accipiunt aliquid ex iusta compensatione , id est certis conditionibus infra referendis circumscripta ; tunc enim non fit injuria debitori cum teneatur ex justitia dare , quod ei aufertur ; non fit injuria Judici , cum supponatur vel nolle , vel non posse rem vero Domino adjudicare. Justam illam compensationem ita exprimit Cajetanus , *in casu* , quo quis non potest juris viâ rem suam recuperare , aut propter paupertasem egentis , aut propter dignitatem detinentis , aut propter defectum judicis , vel probationum , aut propter scandalum .

& absque scandalō potest quis secretō rem suam recuperare , non creditur reus furti ; quia tunc non propriè jus sibi ipſi dicit , sed jus naturale circa rem suam exequitur , ex quo per jus civile illam recuperare prohibetur : tenetur tamen efficerre , ut qui detinebat , sciat se non teneri ad illius restitutionem , ne si ad poenitentiam conversus fuerit , damnum incurrat ipſe , aut ejus hæres , restituendo.

Idem videtur docere cap. bona fides. De deposito , ubi vetatur compensationem fieri indeposito , licet , inquit , compensatio admittatur in aliis contractibus , si causa , ex qua postuletur , sit liquida.

Ut autem compensatio illa sit licita , sequentes requiruntur conditiones . 1°. Ut debita sint paria ; ideo debita incerta non possunt compensari cum certis . 2°. Ut compensatio non fiat cum deposito ; quia , ut ait Gregorius . IX. contra-depositum non admittitur compensatio . 3°. Ut fiat in re ex justitia & non tantum ex gratitudine debita . 4°. Ut in compensatione nihil supra debitum accipiatur . 5°. Ut ad recuperandam rem suam non possit alia via adhiberi . 6° Ut absit scandalum , & scandali periculum . Ita compensationem justam explicat Soto de justitia & jure lib. 5. q. 3. a. 3. ad 1. & D. Antoninus 2. P. tit 15. §. I.

Sunt tamen , qui contrarium tueantur . 1°. Quia , ut aiunt , prætermittitur ordō juris , & peccatur contra justitiam legalem . . . 2°. Quia licet Jacob potuisset retinere idola labani ad compensationem justam , tamen Laban exigenti idola respondit . . . Quod autem furtū me arguis , apud quem inveneris Deos tuos ,

necetur coram fratribus nostris. Gen. 31. Ubi videtur insinuare justam etiam compensationem furti speciem habere.

MONITUM. Quid in illa sententiarum varietate Confessarius in praxi observabit.

Si interrogetur , anquam facta sit compensatione .^{1°} Nunquam suadebit compensationem occultam propter periculum scandali. ^{2°} Si interrogetur , an sit licita compensatio , respondebit licitam esse juxta plures Theologos , modo observentur conditiones supra statutæ . juxta alios non esse licitam ^{3°}. Si interrogetur , postquam pœnitens propriâ autoritate compensatione usus est , examinabit , an occurrerint supradictæ conditiones , & an bonâ fide id pœnitens fecerit , si id bonâ fide fecerit , in hac hypothesi pœnitentem peccati non arguet , nec obligabit ad restitucionem , sed eum monebit periculi , cui se exposuit Si vero reperiat requisitas conditiones non fuisse observatas , si pœnitens peccaverit contra justitiam commutativam , v. g. si pœnitens usus esset compensatione circa rem non debitam titulo justitiae eum peccati arguet , obligabitque ad restitutionem , cum non suum , sed alienum acceperit. Si vero pœnitens peccaverit solum contra justitiam legalem , eum peccati arguet , sed ad restitutionem non obligabit , cum non alienum , sed suum acceperit.

ARTICULUS II.

De Rapina.

RApina est aperta & injusta ablatio rei alienæ, invito rationaliter Domino , & est peccatum mortale.

PROPOSITIO unica. Peccant mortaliter, quicumque palam auferunt bonum alienum, invito rationaliter Domino , & longè gravius, quam qui furatur : ideo est circumstantia mutans speciem , aperienda in confessione.

Probatur 1°. Ex scriptura Michææ cap. 2.
væ qui cogitatis inutile . . . Concupierunt agros, & violenter tulerunt, & raperunt domos ; & calunniabantur virum , & domum ejus, virum & hereditatem ejus. Idcirco hæc dicit Dominus ; ecce ego cogito super familiam istam malum. Quæ omnia denotant rapinam esse peccatum mortale : ergo est peccatum mortale.

2°. Exemplo Achab rapientis violenter vienam Naboth. 3. Reg. cap. 21. cui crimen istud rapinæ ita exprobavit Elias : *hec dicit Dominus ; occidisti , insuper & possedisti.* 3°. Ratione. Per rapinam palam & violenter mihi bonum attribuo: quatenus mihi alienum attribuo , pecco contra justitiam : quatenus utor violentiâ , addo circumstantiam transserentem furtum ad speciem rapinæ : ergo rapina est peccatum mortale : ergo rei sunt peccati mortalis , qui hic subjiciuntur.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M . I . Rapaces sunt, qui injusta imponunt tributa, contra quos ita loquitur Michæas cap. 3. audite principes Jacob & duces domus Israël . . . Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum, qui comedenterunt carnem populi mei & pellem eorum desuper excoriarunt; & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebetè, & quasi carnem in medio ollæ. Et ita rapaces sunt principes, qui contra jus aliquid auferunt à subditis. Ita D. Tho. 1. 2. q. 66. ar. 8. ad 3. si vero aliquid principes indebitè extorqueant per violentiam, rapina est, sicut & latrocinium; ideo ait Aug. 1 b. 4. de civi. Dei cap. 4. remotâ justitiâ quid sunt regna, nisi magna latrocinia; quia latrocinia quid sunt, nisi prava regna. Et Ezechielis 22. principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam Unde ad restitutionem tenentur, sicut & latrones; & tanto gravius peccant, quam latrones, quanto periculosis & communius contra publicam justitiam agunt, cuius custodes sunt positi.

C O N S E C T A R I U M . I I . Rapaces sunt, qui Regibus & thesauri ararii custodibus injusta tributa, & injustas leges suadent; de quibus ita Salvianus lib. 5. de gubernatione Dei. Decernunt potentes, quod solvant pauperes, decernit gratia divitum, quod pendat turba misserorum; ipsi in nullo sentiunt, quod decernunt. De quibus ita Raymundus lib. 2. titulo de raptoribus. Si aliqui damnificati sunt occasione

talis legis vel statuti , tenetur conditores & eorum heredes ad restitutionem ; tenentur etiam in solidum , qui induxerunt principes ad condendam tales leges. Item omnes observatores peccaverunt mortaliter , & tenentur ad restitutionem eorum , quæ talium legum occasione lucrati sunt.

CONSECTARIUM III. Item rapaces sunt , qui in comitiis vel præsidentes , vel suffragium ferentes , imponunt vestigalia , ultra Regis petitum & regni necessitatem , ut ditiones hant ; de quibus ita Salvianus ibid. exactio publicæ nomen in questus propriū emolumenta verterunt , & indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt.

CONSECTARIUM IV. Rapaces pariter sunt , qui in conventibus urbium imponunt onera ultra quam constitutum sit , de quibus idem dici potest , quod dictum est de aliis.

CONSECTARIUM V. Rei rapinæ sunt Publicani , qui aliquid extorquent ultra id , quod constitutum est contra illud Joannis Bapt. prædicantis in deserto : nihil amplius , quam constitutum est vobis , faciatis. Quod peccatum adeo grave est , ut in jure civili in penam triplum debeat restituiri. Lege locatio Digestorum 39.tit.4.per vim verò extoratum cum pœna tripli restituitur.

CONSECTARIUM VI. Rapaces sunt , qui atrem militarem exercentes ultra præscriptum stipendiui recipiunt , aut vi extorquent contra illud Joannis Bapt. Neminem concubitalis , neque calumniam faciatis , & con-

ren i estote stipendiis vestris. Et ita rapinæ rei sunt.

Præfecti exercitus , qui stipendia subalterno um ducum retinent. Item duces subalterni qui stipendia militum , aut equitum à Rege statuta vel minuunt , vel ex toto usurpant ; qui completas legiones vel cohortes non habent , & tamen pro absentibus militibus contra vetitum principis stipendia exigunt ; quique milites absentes per servos supplent.

Duces , qui à civibus exigunt aliquid , ut milites contineant , ut non transeant per loca à Rege præscripta. Item milites , qui ab hospitibus exigunt aliquid , ut tranquillè vivant.

Omnis demum , sive præfecti , sive duces , sive milites , qui ultra Regis iussum vel permissionem bona vel Regni , vel hostium , v. g. fruges , domos , vineas dilapidant , comburunt ; secus si illud faciant iussu Regis , cuius est examinare , an bellum sit justum vel injustum.

C O N S E C T A R I U M VII. Rapaces sunt , qui suā abutentes dignitate , rem alienam auferunt , v. g. agros , vineas pauperum injustis titulis sibi appropriant , de quibus ita Scrip. Prover. 23. ne attingas parvorum terminos , & agros pupillorum ne introeas ; propinquus enim illorum fortis est , & ipse judicabit contra te causam illorum.

C O N S E C T A R I U M VIII. Rapinæ rei sunt , qui cogunt pauperes etiam invitatos , ut res suas vendant , de quibus ita Concilium Arelatenense 5. Canone 22. ne comites , vel Vicarii , seu judices , vel centenarii sub mala occasione

cazione vel ingenio res pauperum emant , nec per vim tollant , aut quolibet argumento subripiant.

C O N S E C T A R I U M IX. Rapinæ crimen committunt potentes , qui à mercatoribus pretiosas emunt merces : postea pretium solvere negligunt , & interim mercatores ad inopiam aut cessionem bonorum adigunt. De quibus ita Psalmista : *mutuabitur peccator , & non solvet.*

C O N S E C T A R I U M X. Rapinæ crimen incurruunt iniqui Judices , qui pauperes , pupilos , & viduas oppressas à Magnatum tyrannde non eripiunt , cum possunt ; de quibus ita Izaïas 1. *pupillo non judicant , causa viduae non ingreditur ad illos.* Et Jeremias 5. *nunquid super his non visitabo , dicit Dominus.* Item judices , qui justum modum litigandi non admittunt , aut injustum non rejiciunt. Quis sit justus , quis injustus litigandi modus , paucis expressit Bernardus , loquens de appellatione lib. 3 de consideratione cap. 2. *iniqua autem omnis appellatio , ad quam justitiae inopia non cœgit. Appellare , non ut graves , sed si grave-ris , licet.*

C O N S E C T A R I U M XI. In crimen rapinæ labuntur inique litigantes , quales sunt. 1º. Divites , qui pauperes ad tribunal vocant , ut impediant , ne res suas valeant obtinere. Quam violentiam ita infectatur Ecclesiastes 5. *si videris calumnias egenorum , & violentia judicia , & subverti justitiam in Provincia , non mireris super hoc negotio ; quia ex celso ex- celsior est alius , & super hos quoque eminentio-*

res sunt alii, & insuper universæ terræ Rex imp̄perat servienti.

2°. Pauperes, qui tempore famis, & sterilitatis mutuò accipiunt, & tempore messis & secunditaris persolvere renuant, & creditores litibus instituendis & expensis faciendis exponunt.

3°. Litigantes sive pauperes, sive divites, qui falsas expensas computant, fictas, ut vocant, præsentationes mentiuntur, aut unam præsentationem pluribus litibus accommodant, & multiplicem ejusdem præsentationis solutionem exigunt. De quo multo pluta alibi, ubi de litibus.

4°. Procuratores & Notarii, qui easdem falsas expensas scribunt, & solvendas curant.
CONSECTARIUM XII. Rapaces sunt adulterantes monetas; quia est quædam necessitas utendi monetis. Falsitas in monetis potest contingere tripliciter.

1°. In metallo, quando falsum metallum pro vero opponitur, v. g. auricalcum pro auro, stannum pro argento.

2°. In pondere, quando non ponitur in moneta pondus metalli sufficiens ad valorem, quem debet habere moneta.

3°. In figura & caractere, quando caracter Regius fingitur. Vitium illud ita execratur Ecclesia, ut illius criminis consciens excommunicatione percutiat *quicumque monetam falsam scienter fecerit, aut studiosè expenderit, tanquam maledictus, & pauperum virotum oppressor, & civitatis turbator à fiducijs communione separetur.* Conc. Later. t. sub Calixt. II. can. 15.

Imò si quis adulterinam monetam habeat , quamvis eam ignorantè receperit , non potest eā uti , nec alijs eam tradere , et si deceptus non potest alios decipere. Ita Synodus Turo-nens. can. 8. tit. 59. pecuniam si quis adulteri-nam aut minus probatam receperit , quamvis ignoranter , auctorque sibi sit incognitus , alteri tradere non præsumat , cum id fieri nequeat sine specie mali.

ARTICULUS III.

De furto sacrilego.

NOta. Furtum sacrilegum est illud , quo aliquid sacrum injustè accipitur , vel retinetur , vel quo aliquid profanum in loco sacro injustè accipitur.

PROPOSITIO unica. Furtum sacrilegum est peccatum mortale longè gravius , quam furtum vel rapina.

Probatur 1º. Ratione. Per furtum sacrilegum violatur justitia , & insuper Religio offenditur ; ergo furtum sacrilegum est peccatum mortale longè gravius , quam simplex furtum & rapina , cum duplē virtutem lēdat , minime vero furtum & rapina.

2º. Ex Concilio Trofleiano can. 14 contra sacrilegos. Sit eis clausa porta cœli , aperta janua inferni , cum nullo Christiano partem ha-beant omnino vel societatem : sed & de reliquis ciborum illorum nihil detur pauperibus , quin potius projiciatur canibus , donec per dignam & humilēm pénitentiam , & congruam emendatio-nem lētificant Ecclesiam , quam per sacrilegia

& nefanda scelera exacerbaverunt: ergo cum tam ingentes nec furto nec rapinae destinentur pœnæ; furtum sacrilegum est peccatum mortale gravius furto & rapinâ.

Coniectaria hujus Doctrinæ.


CONSECTARIUM I. Qui vasa Deo sacra, v. g Calices, patenas, sindones subripiunt, sunt rei furti & sacrilegii. Quam grave sit illud peccatum, patet exemplo Achan, qui jussu Josué lapidatus fuit, eo quod ex anathemate Jerico aliquid subripuerat. Josué 2.

CONSECTARIUM II. Rei pariter sunt furti & sacrilegii, qui res ad Ecclesiam pertinentes, v. g. agros, vineas, domos, jurisdictiones, census, decimas, oblationes, legata pia sibi appropriant, aut quocumque modo lœdunt aut minuunt. De quibus ita Trosslejanum Concilium Can. 4. res. & facultates Ecclesiæ sunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum: si quis illas rapuerit, damnationis Ananias & Zaphiræ particeps erit, & oportet tradere hujusmodi Saithanæ in interium carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.

CONSECTARIUM III. Rei sunt furti & sacrilegii, qui paupertatem professi, aliquid ex bonis toti suæ societati communibus subripiunt, quia agunt contra justitiam subripiendo, & contra votum vitium proprietatis committendo. Ita docet Aug. in regula ad servos Dei & in regula Monachorum

CONSECTARIUM IV. Rei sunt furti &

sacrilegii juxta Magistrum , juxta Antoninum , & juxta Sua rem , qui aliquid non sacrum in loco sacro furantur . Sunt Reifurti , quatenus accipiunt alienum ; sunt Rei sacrilegii , quatenus violent immunitatem loci sacri , in quo res omnis sive sacra sive profana debet esse in tuto posita .



TRACTATUS QUARTUS

De Restitutione.

P R O M I U M .

QUÆ in hoc tractatu dicturi sumus , ad septem capita reduci possunt . 1° . Agetur de his , quæ requiruntur , ut quis obligetur ad restitutionem , vel ut ab ea eximatur . 2° . Explicabitur , quinam sint illi , qui licet damnum proximo inferant , tamen ab omni restitutione dispensantur , & hoc , vel quia sine culpa nocent proximo ; vel quia si vocent culpabiliter proximo , non violent justitiam commutativam . 3° . Agetur de his , qui ob violatam justitiam commutativam per culpam , vel Theologicam , vel civilem , obligantur ad restitutionem . 4° . Inquiretur , quinam sint illi , qui obligati ad restitutionem , possunt tamen absque peccato , vel restitutionem omittere omnino , vel eam saltem ad aliquid tempus differre . 5° . Explicabitur , quæ sit materia restitutionis , seu quibus in rebus debeat fieri . 6° . Determinabitur quanti-

434 MORALIS CHRISTIANA.
tas restitutionis. 7º. Demum concludetur,
quomodo fieri debeat restitutio.

CAPUT I.

*Quæ requirantur, ut quis teneatur ad restitu-
tinem, vel ut ab ea dispensemur.*

ARTICULUS I.

*Quid, & quotplex sit restitutio, & quo-
plex sit proximi bonum, cui nocere possumus,
& quotplex sit culpa, quâ nocemus pro-
ximo.*

§. I.

Quid & quotplex sit Restitutio.

Restitutio generatim est redditio rei, quo-
cumque modo res illa reddatur. Sic Me-
dicus dicitur ægrotum restituere in pristinam
sanitatem, quam amiserat. Sic amicus dici-
tur restituere suum amicum in dignitatem, ex
quâ deciderat. Restitutio strictè, est actus
justitiae commutativæ, quo res aliena vero
Domino redditur, vel damnum illatum re-
paratur.

§. II

De bonis variis, quæ homo possidet.

Homo possidet bona corporis, bona ani-
mæ, bona fortunæ, bona spiritualia. Bona
corporis sunt ea, quibus anima unitur corpori,

Hujusmodi sunt ea omnia , quæ spectant ad vitam corporalem , v. g. corpus cum suis membris , anima cum suis facultatibus naturalibus.

Proximo nocemus quoad bona corporis , verberando , mutilando , occidendo , incarcerando , animam malè afficiendo ; putà si quis daret alteri potionem , quà aut in insaniam , aut in aliam mentis alienationem incidet.

Bona animæ sunt ea , quibus honor debitus , & bona fama apud homines conservatur. Hujusmodi sunt omnia , quæ ad bonum nomen conducunt.

Proximo nocemus quoad bona animæ , si contumeliis in honorem proximum , si detractione , aut calumniâ famam illius minuamus.

Bona fortunæ sunt res omnes exteriores , quæ in commercio hominum habentur. Hujusmodi sunt res immobiles , ut fundus ; res mobiles , ut supellestilia , &c.

Proximo nocemus quoad bona fortunæ , si res illius mobiles , vel immobiles , aut accipiamus , aut detinecamus , aut damno aliquo minuamus.

Bona spiritualia sunt omnia dona supernaturalia , quæ ad salutem conducunt. Hujusmodi sunt gratia , virtutes , Sacra menta , &c.

Proximo nocemus quoad bona spiritualia , si eum talibus bonis aut spoliemus , aut ne ea assequatur impediamus.

§. III.

De variis modis, quibus nocemus proximo.

Proximo nocere possumus quoad bona corporis, fortunæ, animæ, & salutis, vel *culpabiliter*, vel *in culpabiliter*.

Nocemus *in culpabiliter*, cùm absque omni culpâ ex parte nostri damnum aliquod contingit proximo, v. g. si amens incendat domum, vel Sylvam proximi. *Culpabiliter* verò, cùm ex culpâ aliquâ nocemus bonis proximi, v. g. si quis ex malitiâ mutilet proximum, auferatve illius bona, &c.

Proximo nocemus *culpabiliter* dupli modo; vel *culpabiliter civiliter*, vel *culpabiliter Theologicè*.

Proximo nocemus *culpabiliter civiliter*, cùm ei nocemus per culpam jure civili reprobatam, etiam si aliquando simus innoxii coram Deo: tales sunt actiones noxales, quæ ex delicto aut quasi ex delicto per jus tantum civile reprobato nascuntur.

Proximo nocemus *culpabiliter Theologicè*, cùm ei nocemus per culpam jure divino vel Ecclesiastico reprobatam; tales sunt omnes actiones proximo damnosæ, & divinæ legi contrariae.

Proximo nocemus *culpabiliter Theologicè*, vel peccando contra *justitiam commutativam*, vel peccando contra *alias virtutes*.

Proximo nocemus peccando contra *justitiam commutativam*, quoties volentes, inquit D. Thom. *inæquale*, id est iniquum, *inferimus*

contra jus alterius nolentis. 2. 2.q. 59. a. 1. ut sit, quando nocemus honori per contumeliam, famæ per detractionem, libertati per vim & metum. & fraudem, vitæ per occisionem, & mutilationem, bonis spiritualibus per scandalum, dando occasionem peccandi, bonis verò temporalibus per injustam aut aceptionem, aut detentionem, &c.

Proximo nocemus peccando contra *alias virtutes*, quoties violantes aliquam virtutem diversam à justitiâ commutativâ, damnum aliquod inferimus proximo quoad bona vel corporis, vel animæ, vel fortunæ, vel salutis, v. g. quoties ex odio, ex invidiâ non succurrimus proximo. Quoties ex ingratitudine accepta Beneficia non compensamus, & malum è contra pro bono reddimus.

§. I V.

De multiplici culpatam civili quam Theologica, quâ possumus nocere proximo.

Culpa generatim est defectus concomitans actionem humanam.

Culpa alia est Theologica, alia juridica, cœu civilis.

Culpa Theologica est actus dissimilis legi, & peccatum, quo Deus offenditur.

Culpa juridica est omissio debitæ diligentiae circa rem proximi, ex quâ omissione sequitur damnum proximo, aliquando cum offensa Dei, aliquando sine offensa Dei.

Culpa juridica est triplex, *lata, levis, & levissima.*

Culpa *lata* est ea , quam regulariter omnes communiter vitant , qualis est culpa illius , qui extra domum librum sibi commodatum quasi pro derelicto expositum relinquit .

Culpa *levis* est ea , quam regulariter homines ejusdem professionis vitant , qualis est negligentia illius , qui librum sibi commodatum relinquit in suo cubiculo , ostio tamen aperto .

Culpa *levissima* est ea , quem homines diligentissimi vitare solent ; talis est culpa illius , qui librum sibi commodatum relinquit in cubiculo , quod clavi obseravit , non tamen exacte observavit , an fores essent clausæ , illud iterum atque iterum manu tentans .

ARTICULUS II.

De bonis , quorum injusta ablatio inducit obligationem restitutio-

nis.

sive

Quibus in rebus locum habeat restitutio.

PROPOSITIO unica. Restitutio locum habet, primò in bonis fortunæ , secundò in bonis corporis , tertid in bonis externis , quæ in honore & fama consistunt , quartò demum in bonis spiritualibus , quæ ad pietatem pertinent. Seu , ut sit locus restitutio faciendæ , præcessisse debuit læsio , vel corporis , vel fortunæ , vel honoris & famæ , vel pietatis & gratiæ contra proximum nostrum.

Probatur. 1^o. Ex scriptura. Quoties scrip-

tura loquitur de peccatis, quæ obligant ad restitutionem, totiès agit de his peccatis, quibus nocetur proximo, vel quoad corpus, vel quoad fortunam, vel quoad honorem & famam, vel quoad pietatem, ut patet hac inductione Ut enim muniat vitam nostram corporalem ab omni nocimento, sic habet: *non occides.* Ut conservet corporalem integratem, sic subjungit *non mæhaberis.* Ut servet nobis famam intactam, hæc præcipit: *non loqueris contra proximum falsum testimonium.* Exod. 20. ut verò bona spiritualia ad pietatem pertinentia tutetur, istud sèpissime inculcat: *non pones fratri tuo offend culum.* Ergo ex scriptura, ut sit locus restitutioni faciendæ, præcessisse debuit læsio, vel corporis, vel fortunæ, vel honoris & famæ, vel pietatis & gratiæ contra proximum nostrum.

2º. Ratione. Restitutio potest dumtaxat locum habere post læsionem eorum bonorum, quæ nostra dici possunt; restitutio enim est redditio boni nostri, quodque nobis injustè ablatum est: atqui bona corporis ut vita, & integritas corporalis; bona fortunæ, ut res mobiles, & immobiles; bona externa, ut honor & fama; bona spiritualia, ut pietas & gratia nostra dici possunt; cum ad ea omnia jus aliquod habeamus: ergo ut sit locus restitutioni faciendæ, præcessisse debuit læsio, vel corporis, vel fortunæ, vel honoris & famæ, vel pietatis & gratiæ contra proximum nostrum.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. *De bonis corporis.*
 Injustus homicida, mutilator, percussor, tenentur damnum illatum congrua ratione compensare; bonum enim corporis auferunt injustè: nam licet homo ipse non sit Dominus vitæ suæ, aut membrorum suorum, sed Dominum illud ad Deum pertineat, jus tamen habet, ut ei nemo injustè in his noceat. Quapropter si quis ei quoad vitam noceat, tenetur ad aliquam compensationem, & pro danno corporali, quod intulit, & pro damnis realibus ex danno personali sequentibus. Ita D. Thom. quandò, inquit, *id quod est ablatum, non est restituibile, per aliquid aequale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: putacum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in honore aliquo, considerata conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri.* 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1.

C O N S E C T A R I U M II. *De bonis anime.*
 Qui positivè inhonorat aliquem, cum contumeliis affiendo, vel aliquem privativè inhonorat, denegando reverentiam debitam, tenetur restituere honorem debitum, vel ab eo petendo veniam, si contumelia præcesserit, vel exhibendo reverentiam debitam, quam omisit; quia abstulit bonum animæ, nimirum honorem.

Item injustus detractor, vel calumniator, tenentur restituere; auferunt enim injustè proximo bonum animæ, nimirum famam, que

quæ longè præstat divitiis: *Melius est enim*, inquit Scriptura, *nomen bonum*, *quam divitiae multæ*. Prov. 22 v. 1. Ergo si divitiae injustè ablatae sint restituendæ, multò magis honor & fama. Ut autem sit stricta obligatio restituendi famam, hæc quatuor juxta Silvium requiruntur. Quod quis famam verè abstulerit, quod abstulerit injustè, quod ea non sit recuperata, quod infamatus non cesserit juri suo, neque remiserit obligationem restituendi. in 2. 2. q. 62. a. 2.

CONSECTARIUM III. De bonis fortunæ. Qui injustè accipit, vel injustè detinet bona fortunæ, tenetur ad restitutionem; injustè enim aufert proximo bona tempora-
lia. quæ ad ipsum pertinent.

CONSECTARIUM IV. *De bonis spiritualibus* Qui vi, metu, fraude, dolo induxit alium ad peccandum, ad aliquam restitutionem obligatur; abstulit enim proximo bonum spirituale, scilicet gratiam; quia, ut optimè ait D. Thom. *Licei bona spiritualia abla-
ta non sint propriè objectum restitutionis; quia
nullus spiritualiter moritur, nisi propriâ voluntate peccando*, tamen, ut ait Silvius, quando adhibitæ sunt fraudes, vis, aut metus, quæ sunt contra justitiam, tunc facienda est aliqua restitutio. Damnum enim illatum proximo cum violatione justitiae inducit obligationem restituendi. Restitutio autem fiet, si quibus potuerimus modis, proximum à peccando tetrahimus, eique bona spiritualia, quibus culpâ nostrâ caruit, procuremus.

CAPUT II.

*De iis, qui absolutè excusantur ab omni restitu-
tione coram Deo, licet inferant damnum
proximo.*

ARTICULUS I.

*An absolutè excusentur à restitutione hī, qui
nocent proximo absque omni culpa etiam
veniali.*

PROPOSITIO unica. Illi omnes, qui nocent proximo absque culpā Theologica, seu peccato propriè dicto, excusantur ab omni restituzione coram Deo: à fortiori illi, qui nocent proximo justè, exequendo munus suum.

Probatur 1°. Scripturā. Num. 35. v. 22. ubi. Deus loquens de homicidio casuali & innoxie commisso, homicidam ad nullam restitucionem obligat. Sic enim habet: *Quod si fortui-
tò, & ausquè odio & inimicitiis quidquam ho-
rum fecerit, id est, percusserit, vel occiderit
proximum, liberabitur innocens de ultioris manu.* Ergo si requiratur culpa, ut obligetur quis ad restitucionem pro homicidio, requiritur etiam, ut quis obligetur ad restitucionem pro alio damno illato.

2°. Ex Greg. IX. *Si culpā tuā, inquit, di-
tum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis
irrogantibus fortè opem tutisti, aut hāc imperi-
tiā tuā, sive negligentiā evenierunt, jure super
bis satisfacere te oportet, nec ignorantia te ex-*

cusat, si scire debuisti ex facto tuo verisimiliter injuriam posse coningere, vel jacturam. Secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nihil omisit. cap. Si culpa. De iuriis. Ergo ubi nulla est culpa, ibi non est obligatio restitutionis, licet per accidens proximus damnum patiatur.

3^o. Ex D. Thom. qui loquens de eo, qui habet rem alienam apud se depositam, ait: *Si ei substrahatur res absque suā culpā, non tenetur ad restitutionem.* 2. 2. q. 62. a. 6. in C.

4^o. Ratione. Obligatio restitutionis oritur, vel ex re ipsā, quam quis habet, aut in specie, aut in ejus lucro ex ea proveniente immediatè, quo lucro factus est ditionis, vel ex injuriosa actione; ut docet D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 5. Ergo qui damnum dedit absque omnī culpā nullatenus restituere tenetur; non quidem ratione rei, cum rem non habeat, nec lucrum à re immediatè perceptum; non ratione actionis injuriosæ; quia, ut supponimus, nullam actionem injuriosam commisit; ergo nullā ex causā tenetur ad restitutionem, qui absque omni culpa nocuit proximo. Restitutio, juxta multos, est quasi pœna peccati: ergo ubi nullum est peccatum, ibi non debet esse restitutionis obligatio; quia ubi non est culpa, ibi non debet esse pœna.

Ex quo sequitur, quod excusantur à restitutione omnes, qui hic subjiciuntur.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. In quo explicatur, quod eximatur à restitutione ille, qui inno-

O o ij

xiè nocet proximo quoad bona corporis. Qui occidit, percutit, mutilat omnino involuntariè, v. g. qui occidit ductus amentia, abstractus phrenesi, sopitus somno: qui occidit hominem, putans inculpabilitè se occidere feram, eximitur ab omni restitutione; in his enim singulis casibus nullatenus peccavit.

Item qui occidit, mutilat, percutit voluntariè quidem, sed justè, v. g. qui occidit in bello justo, qui occidit defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ. Judex qui ex zelo justitiae addicit reum morti, immunis est ab obligatione restituendi; quia in his casibus non solum innocenter proximo nocuit, sed etiam justum operatus est.

C O N S E C T A R I U M II. In quo explicatur, quomodo ab obligatione restitutionis eximatur, qui innocenter nocuit proximo quoad bona animæ. Ad restitutionem famæ non tenentur, qui justè famam proximo auferunt, v. g. qui juridicè malefactores accusant, vel puniunt; qui juxta præceptum correctionis fratrnæ unum vel duos testes adhibent ad corripiendum fratrem; qui amico consulentes, ei detegunt infidelitatem servi, ne admittat eum in obsequium, vel ne ei nimis fidat; qui aperiunt improbos mores alterius, ne honesta filia ipsum accipiat in matrimonium: ibi enim nullum est peccatum, ita Silvius in D. Thom. 2. 2. q. 62.

Item qui insignia quedam crimina & pœnas illis inflatas propter utilitatem publicam narrant passiu, imo scripto ad posteriorum notitiam transferunt. Ita idem Silvius.

C O N S E C T A R I U M III. In quo explica-

tur, quomodo nulla sit obligatio restituendi in eo, qui sine omni culpa nocet proximo quoad bona fortunæ. Ad restitutionem damni temporalis non tenentur, qui sine culpa accipiunt, aut detinent bonum proximi, aut impediunt lucrum ei obventurum, aut ei damnum inferunt, v. g. amens, phreneticus, dormiens; qui rem proximi accipit, eamque comburit; imo sanus mente, qui comburit Silvam proximi, putans inculpabilitè suam comburere; possessor bonæ fidei, qui rem alienam & ejus fructum bonâ fide consumit, nihilque retinet, in quo sit factus ditior; qui ex zelo Dei impedit, ne beneficium indigno conferatur, vel curat, ut digniori conferatur, excluso indigno, vel minus digno. Item qui faciunt aliquid licitum, ad quod casu sequitur damnum proximo; v. g. qui fodit foveam in loco remotissimo, in quam casu vel proximus vel animal proximi præceps labitur; qui in extremâ necessitate vel palam vel furto accipit, quod est necessarium ad sustentandam vitam. Quia in illis omnibus casibus nullum est peccatum; nulla proinde obligatio restitutionis. Unde Jacob meritò conqueritur contra Laban quod etsi nullam in custodiendis gregib[us] culpam committeret, tamen ab eo totius damni reparatio exigeretur: *Ego, inquit, damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, à me exigebas.* Gen. 31. v. 39

CONSECTARIUM IV. In quo ostenditur, quod à restitutione eximatur is, qui innoxie nocet proximo quoad bona spirituallia. Qui ex rationabili causâ quempiam retrahit ab ingressu, vel professione Religionis,

ad nihil tenetur ; qui annullatenus peccat. Causæ autem rationabiles retrahendi à Religione sunt istæ. v.g. 1°. Si conjugatus post consummationem matrimonii vellet Religionem ingredi non consentiente conjugi. 2°. Si qui retrahitur à Religione, non credatur idoneus ad statum Religiosum. 3°. Si in loco , quem vult ingredi , non servetur regularis disciplina. 4°. Si per ejus ingressum is , qui retrahit , privetur magno spirituali commodo. 5°. Si propter extre- mam Reipublicæ vel parentum necessitatem alicui professo persuadeatur , ut tantisper exeat è monasterio. Ita Silvius in D. Thom.

ARCICULUS II.

An absolutè eximantur ab omni restitutione hi , qui nocent proximo , peccantes quidem mortali- ter , sed violando virtutem diversam à jus- titiâ commutativa.

PROPOSITIO unica. Illi omnes, qui damnum afferunt proximo , peccantes mortali- ter contra virtutem diversam à justitiâ com- mutativâ , sunt quidem rei coram Deo , sed non tenentur ad restitutionem damni , quod proximus paclius est.

Probatur 1°. Ex D. Thom. qui loquens de restitutione , sic habet : *Restitutio est actus commutativæ justitiae , quando scilicet res unius ab alio habetur , vel per voluntatem ejus , si- cut in mutuo , vel deposito ; vel contra volun- tam ejus , sicut in rapinâ & furto. 2. 2. q. 62. a. 1. in C.* Ergo ubi non est violatio justitiae commutativæ , ibi non est obligatio restitutio- nis.

2^a. Ratione. Tres sunt tantum causæ restitutionis, injusta acceptio, injusta detentio, & injusta rei læsio; per injustam enim acceptiōem usurpamus alienum, per injustam detentionem alienum invito Domino detinemus, per injustam verò læsionem rem alterius, deteriorem facimus; nec alia excogitari potest ratio, quæ inducat obligationem restituendi. Atqui injusta læsio, injusta acceptio, injusta detentio opponitur justitiæ commutativæ. Ergo sola actio contraria justitiæ commutativæ obligat ad restitutionem & ex peccato in alias virtutes commisso non oritur obligatio ad restitutionem.

Ex quo sequitur quod hi, qui hic subjiciuntur, non teneantur ad restitutionem, licet noceant proximo per peccatum mortale.

Consecratio hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. In quo ostenditur, quod sola charitas violata non inducit obligationem restitutionis, eo quod sola iustitia commutativa violata talem obligationem inducat.

Sic eximuntur à restitutione, qui indigent pauperi negant eleemosinam, v. g. dives, qui negat alimoniam esurienti, Medicus non conductus, qui negat ægroti necessarium medium, causidicus non conductus, qui negat litiganti consilium necessarium; et si enim ex tam durâ & immitti denegatione sequatur vel mors, vel damnum corporale proximi; hujusmodi tamen homines non tenentur ad restitutionem: quia non peccarunt contra justitiam.

tiam commutativam , sed solum contra charitatem ; quippe qui sunt quasi homicidæ , juxta illud Ambros. *Si non pavisti , occidisti.*

Sic eximitur ab obligatione restituendi famam , qui publicè diffamatum in uno loco diffamat in alio ad quem ejus infamia brevi & certò esset per ventura ; quia peccat solum contra charitatem . Item qui ex timore mundano detractorem non audet corripere ; quia peccat solum contra charitatem , nisi detractor sit ei subditus .

Sic etiam à restitutione eximitur ille , qui sine vi , fraude . dolo , aliisve modis illicitis , absque violatione justitiae , impedit alium à consecutione boni , non ex justitia . sed ex decentia quadam largiendi etiamsi illud impedimentum ex odio posuerit : quia peccat solum contra charitatem .

Sic quoque eximitur à restitutione , qui solis precibus impedit , ne pauper eleemosinam consequatur ; ne Clericus beneficium obtineat , ne alicui legatum vel hereditas donetur . Ita Silvius . Demum qui potest & debet , non ex officio , sed ex sola charitate , impedit damnum proximi , & non impedit , vel ex negligentia , vel ex odio , vel ex alio pravo motivo , non obligatur ad restitutionem ; quia non peccat , ut supponitur , contra justitiam , sed solum contra charitatem v. g. qui non impedit incendium domus proximi ; qui tacet , vel non obstat cum fures domum proximi diripiunt .

Sic similiter eximitur à restitutione , qui exigit & accipit pretium , ut faciat aliquid , ad quod tenetur ex charitate solum ; vel ut

omittat aliquid, quod non oppositur iustitiae: quia in utroque casu non peccat contra iustitiam. Ita Silvius. v. g. qui sine causâ justâ nudis suasionibus, absque ulla vi, fraude, dolo, vel metu impedit aliquem ab ingressu Religionis, vel novitium à professione, nec personæ, nec Religioni tenetur restituere; quia peccat solum contra charitatem. Primo non tenetur restituere erga personam; quia volenti non fit injuria. Item nulla restitutione tenetur erga Religionem; quia Religio non habet strictum jus ad personas nondum profesas. Ita Silvius.

C O N S E C T A R I U M II. Sola iustitia legalis, sola castitas violata, non inducunt obligationem restitutionis; quia sola iustitia commutativa violata talem inducit obligationem.

Sic qui peccant contra iustitiam legalem, etiamsi lucrum consequantur, non tenentur ad restitutionem; v. g. qui rem suam ab alio injustè detentam accipit, cum potest per viam juris eam sibi vindicare; peccat quidem, quia jus sibi ipse facit; sed non tenetur restituere, quia suum accipit.

Sic qui in re sibi debitâ utitur compensatione alioquin illicita, non servatis conditionibus legitimæ compensationis; peccat quidem, quia contra iustitiam legalem jus sibi dicit, & quod suum est, illicitè accipit; sed factâ contra solam iustitiam legalem æquali compensatione, non tenetur restituere; tunc enim non alienum, sed suum retinet.

Sic etiam qui peccat contra solam castitatem, v. g. qui corrumpit virginem ultrò se se offerentem, aut leviter rogatam sponte con-

sentientem, non tenetur ad restitutionem erga virginem; quia erga illam nullatenus violat justitiam commutativam: juxta enim regulas juris Canonici, *Damnum, quod quis suâ culpâ fecerit, sibi debet, non aliis imputare.*
Reg. 86.

CONSECTARIUM III. In quo ostenditur, quod qui turpiter quidem, sed non injustè acquirunt aliquid, non tenentur ad restitutionem, modo per leges non obstat, quominus verè acquirant; quia, ut supponitur, non violent justitiam commutativam.

Sic qui aliquid ex Lenocinio, meretricio, &c. citra omnem fraudem & injustitiam acquisit, non tenetur ad restitutionem lucri turpiter acquisiti; quia non violat justitiam commutativam. Ita D. Thom. *Quando actus, inquit, quo quis lucratus est, lege prohibitus est, non au-tem ipsum lucrum, sicut est in meretricio, vel similibus, tunc de tali lucro potest fieri eleemosi- na;* quia qui acquirit non tenetur ad restitutionem in 4. dist. 15. q. 2. a. 2. & 2. q. 32. a. 7. in C. Sic habet idem Doctor. *Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei, sed in eo quod accipit, non injustè agit, nec contra legem.*

Circa illud D. Thomæ principium duo sunt maximè attendenda. Primum est, quod *turpe lucrum ex luxuria acquisitum restringendum est ad solum meretricium legibus toleratum;* minime vero extendendum ad adulterium, aliasque nefandas libidines legibus non toleratas, quibus ve leges nullam relinquunt mercedem, sed è contra poenam infligunt. Quippe meretri-

cium toleratur, ut pejora mala removeantur; ob alias vero libidines, cum nedum tolerentur, sed puniantur, pretium retineri non potest. Id videtur docere Aug. his verbis, lib. 2. de Ord. cap. 4. *Aufer meretrices de rebus humanae, turbaveris omnia libidinibus.*

Secundum est, quod ubi leges meretricium interdicunt, & meretricibus pretium impendi prohibent; tunc meretrices turpe illud lucrum retinere non possunt; leges enim, quae inhabiles addunt ad aquirendum, observandæ sunt in conscientia.

C O N S E C T A R I U M IV. In quo ostenditur, quod violatio solius justitiae distributive non obligat ad restitutionem, nisi interveniat simul violatio justitiae commutativæ; quia, ut supponitur, sola violatio justitiae commutativæ obligat ad restitutionem.

Sic, inquit Silvius, in provisionibus beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum. *Si quis prætermisso nobilitate digniore, conferat pastorum minus digne, tenetur ad restitutionem dannorum, quæ inde obveniunt Ecclesiæ;* quia collator iniquè distribuens beneficia Ecclesiastica peccat erga Ecclesiam contra justitiam commutativam; tenetur enim ex officio provide-re Ecclesiæ ministros digniores. *Probabile vero est, inquit idem Silvius, quod non teneatur restituere digniori, beneficium collatum minus digno;* quia Clericus dignior, nondum habet strictum jus ad illum pastorum, contra quem proinde peccatur violatione solius justitiae distributive, *eis* si violetur justitia commutativa respectu Ecclesiæ. Ita Silvius in Annotationibus in Bisfeld. ubi de restitutione.

Sic in distributione officiorum purè ci-
lium, si quis prætermisso notabiliter dignio-
re, conferat magistraturam civilem minus dig-
no, tenetur Reipublicæ restituere damna, quæ
ex illa injusta distributione sequuntur; quia
peccat erga Rempublicam contra justitiam
commutativam: tenetur enim ex officio dig-
nioribus conferre magistraturam civilem. Pro-
babile verò est quod ad nullam restitutionem
teneatur erga eum, quem ad magistraturam
non evexit; quia is nondum habet strictum
jus ad illam dignitatem.

ARTICULUS III.

*An obligentur, vel eximantur à restitutione hi,
qui violantes justitiam commutativam, no-
cent proximo per actum, qui est tantum pec-
catum veniale.*

PROPOSITIO I. Qui violando justi-
tiam commutativam nocent proximo per
peccatum dumtaxat veniale, obligantur ad
restitutionem.

Probatur 1º. Ex jure Cano. cap. Cu'pa. De in-
juriis, ubi absque distinctione peccati mortali-
lis vel venialis decernitur, quod si quis culpâ
suâ damnum alteri activè intulerit, teneatur
ad illud resarcendum; ita enim habet decre-
talis. Si tuâ culpâ, inquit, datum est damnum,
aut hæc imperitiâ tuâ, sive negligentiâ evene-
runt, jure super his satisfacere te O P O R T E T.
Cum ergo ubi lex non distinguit, etiam nec
nos distinguere debeamus; sequitur, quod obli-
gatio restituendi nascatur ex culpa etiam veniali.

2º. Ex

2^o. Ex jure civili , ubi per legem Aquiliam ff. lib. 9. tit. 2. decernitur , quod qui contra jus proximo nocuit per culpam etiam *levissimam* , immo licet nocere noluerit , tamen teneatur ad resarcendum damnum illatum proximo : ergo obligatio restituendi oritur ex culpa etiam veniali & levissima.

3^o. Ratione. Juxta Augustinum non remittitur peccatum , nisi restituatur ablatum : ergo obligatio restituendi oritur ex peccato etiam veniali ; cum neutrum peccatum tam veniale quam mortale remitti possit , nisi restituatur ablatum ; nulla enim post furtum est vera pénitentia sine restitutione , aut restitutioe nisi affectu.

Consecratio hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Qui leviter nocuerunt proximo , vel quoad bona corporis , vel quoad bona fortunæ , vel quoad famam , vel quoad bona spiritualia , et si nocuerint per peccatum , quod sit veniale ob parvitatem materiæ , tenentur tamen ad integrum restitutionem damni illati , si velint consequi remissionem peccati illius venialis , per quod nocuerunt proximo , quia non remittitur peccatum etiam veniale , nisi restituatur ablatum.

Sic quantumvis exiguum sit damnum illatum proximo , reparandum est , ut obtineatur remissio peccati venialis.

C O N S E C T A R I U M II. Qui notabiliter nocuerunt proximo , vel quoad bona corporis , vel quod bona fortunæ , vel quoad

famam , vel quoad bona spiritualia , et si no-
uerint per peccatum , quod sit veniale ob-
defectum plenæ deliberationis , tenentur tamen
ad restitutionem ; quia non remittitur pecca-
tum etiam veniale , nisi restituatur ablatum.
2 Sic infans , qui ante usum rationis sine ple-
na deliberatione ingens damnum intulit pro-
ximo , v. g. rem pretiosam , vel infregit ,
vel in flumen projecit , &c grandior factus ,
revocans in memoriam damnum à se illatum
aliis , tenetur ad restitutionem .

PROPOSITIO II. Qui damnum intulit
proximo per peccatum dum taxat veniale , obli-
gatur ad restitutionem sub mortali , si dam-
num resarcendum sit notabile ; sub veniali
verò , si damnum resarcendum sit leve .

Probatur ratione . Injusta rei alienæ deten-
tio est peccatum mortale , si materia sit gra-
vis ; veniale verò , si materia sit levis , ut pa-
tet ex dictis , ubi de distinctione peccati mortalis
& venialis . Atqui omissione restitutionis in eo ,
qui contra jus nocuit proximo , est injusta
detentio rei alienæ : ergo est peccatum mor-
tale , quando materia est gravis ; veniale
verò , quando materia est levis . Ergo qui
damnum intulit proximo per peccatum dum
taxat veniale , ad restitutionem tenetur sub
mortali , si damnum resarcendum sit notabile:
sub veniali verò , si damnum resarcendum sit
leve , non quidem ratione damnificationis ,
quæ ut supponitur , est peccatum veniale
tantum , & ex quo proinde , spectato quatenus
veniali , non potest obligatio oriri sub mortali:
sed ratione injustæ detentionis , quæ est mor-
talis .

talis in materia gravi , venialis vero in materia levi: detentionis , inquam , quæ non semper requirit , ut res ablata , vel labefactata detineatur à rapiente , vel labefactante , ut patet exemplo illius ; qui gemmam alterius projectit influmen , sed ad quam sufficit , ut verus dominus re vel rei pretio per aliquam culpam sit spoliatus.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Obligatio restitutio-
nis poterit urgere sub mortali eum etiam ,
qui nocendo proximo non peccavit nisi venia-
liter , scilicet quoties damnum illatum proxi-
mo per peccatum veniale est ingens & in-
signe ; quia obligatio restitutio-
nis petitur ex
quantitate rei restituendæ : ergo si res resti-
tuenda sit magni valoris , obligavit ad resti-
tutionem sub mortali.

Sic qui hic subjiciuntur . licet peccaverint
solum venialiter nocendo proximo , peccant
mortaliter non restituendo , v. g. Medicus ,
qui ex negligentia veniali fuit causa , quod ægro-
tus obierit , cuius curam gerebat , non ex
charitate solum , sed ex justitia; Advocatus ,
qui ex negligentia veniali occasio fuit litis im-
prudenter susceptæ , & ingentium expensa-
rum. Et alii hujusmodi , qui per culpam ve-
nialem insigniter nocent proximo.

CONSECTARIUM II. Obligatio resti-
tutio-
nis poterit tantum urgere sub veniali
eum , qui nocendo proximo peccavit morta-
liter , scilicet quoties damnum illatum proximo
per peccatum ex affectu peccantis mortale , est

456 MORALIS CHRISTIANA.
exiguum & leve : obligatio enim restitutionis
petitur ex quantitate rei restituenda : ergo si
res restituenda sit exigui valoris, obligabit ad
restitutionem solum sub veniali.

Sic qui hic subjiciuntur, licet peccaverint
mortaliter nocendo proximo, peccant tamen
solum venialiter, non restituendo, v. g. qui
ex pravo & mortali odio leviter nocuit pro-
ximo, vel in corpore, vel in fortuna, vel
in honore, tenetur ad restitutionem solum
sub veniali.

CAPUT III.

*De his, qui ob culpam vel Theologicam, vel
civilem obligantur ad restitutionem.*

ARTICULUS I.

*Quæ sit culpa Theologica, quæ obligat ad resti-
tutionem, sive cuius speciei debeat esse
peccatum obligans ad restitutionem
damni illatz.*

PROPOSITIO unica. Quicumque pec-
cat contra justitiam commutativam, obli-
gatur ad restitutionem, si damnum proximo
quoquo modo inferat; sive per actionem, effi-
ciendo aliquid noxium, sive per omissionem,
negligendo aliquid ex justitia debitum proxi-
mo; sive quod idem est, peccatum quodlibet
oppositum justitiae commutativæ obligat ad
restitutionem.

Probatur. 1^o. Scriptura. Praecepta obligan-
tia ad restitutionem sunt isthæc: non occides;

non mæchaberis; non furum facies; non loqueris contra proximum falsum testimonium, &c. atqui peccata, quibus hæc præcepta violantur, opponuntur justitiae commutativæ. ergo peccatum quodlibet oppositum justitiae commutativæ obligat ad restitutionem.

2º Ex Concilio Lambethensi an 1330. cap. 2. ubi sic habetur: *in furto, in rapina, fraude, simonia, & maximè detentione decimarum, seu abstractione alicujus iuris Ecclesiastici, diligenter sibi caveant Sacerdotes, ne aliquibus injungant pænitentias, nisi cum fatti factione & restitutione facienda injuriam passis, cum non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum:* atqui prædicta peccata sunt contra justitiam commutativam: ergo peccatum quodlibet oppositum justitiae commutativæ obligat ad restitutio-nem.

3º Ex D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 1. arg. sed contra ubi sic habetur: *restitutioni ablationi opponiuntur; sed ablatio rei alienæ est actus injustitiae circa commutations: ergo restitutione ejus, est actus justitiae, quæ est in commutationibus;* & proinde peccatum obligans ad restitutionem est peccatum oppositum justitiae commutativæ.

4º Ratione. Qui peccat contra justitiam commutativam, alienum vel accipit, vel detinet, sumendo voces illas *accipere & detinere tam pro actione, quam pro omissione,* quibus nocetur proximo: atqui illud peccatum est contra commutativam justitiam, quæ reducit res ad justam equalitatem: ergo omne peccatum contra justitiam commutativam obligat ad restitutionem. Ex quo sequitur, quod hi,

qui hic subjiciuntur, tenentur ad restitutio-
nem.

Consecaria hujus Doctrinae.

§. I.

*De his, qui damnum inferunt per actionem
injustam.*

C O N S E C T A R I U M I. Qui injustè no-
cent proximo quoad corpus, tenentur ad
restitutionem; peccant enim contra justitiam
commutativam, quæ vetat, ne proximo no-
ceamus in bonis corporis.

Sic qui privata autoritate voluntariè occi-
dit, mutilat, percutit, incarcerat, &c obli-
gatur ad restitutionem illius damni corporalis,
quod proximo infertur, & damni realis,
seu impensarum, quæ ex injusta illa læsione
sequuntur.

Ita enim habet scriptura, erudiens judices
circà restitutionem pro damno corporali fa-
ciendam. Et quidèm homicidam voluntarium
morti addicuit: qui percussérít, & occideré ha-
minem, inquit, morte moriatur. Levi. 24. v.
37. & ratus: non accipietis pretium ab eo, qui
reus est sanguinis, statim & ipse morietur. Num.
35. v. 31. percussorem verò cā læsione punien-
dum præcipit, quā ipse læsit: qui irrogave-
rit, inquit, maculam cuilibet civium suorum;
sicut fecit, sic fiet ei; fracturam pro fracturā,
oculum pro oculo, dentem pro dente restituat:
qualem infixerit maculam, talem sustinere co-
getur, damnatus scilicet à judice. Lev. 24.
v. 19. impecasas autem ab innoxio homicida

& percussore exigit ; operas ejus , id est , percussi , vel occisi , & impensas in medicos restituunt . Exod . 21. v. 19.

Sic qui defloravit Virginem reluctantem , vel tantum sub spe dotis promissæ , aut matrimonii pariter promissi consentientem , tenetur ad restitutionem : peccavit enim contra justitiam commutativam , quæ vetat , ne vim Virgini faciamus , quæque jubet , ut sponte promissa pendamus . De quo ita habet scriptura Exod . 22. v. 16. si seduxerit quis Virginem nec dum despontatam , dormieritque cum ea , dotabit , & habebit eam uxorem .

Sic adulter & adultera tenentur ad restitutionem , cum certò scitur ex adulterio secundam esse prolem : uterque enim peccavit contra justitiam commutativam , quæ vetat legitimi hæredibus substitui , aut permisceri extraneos , & illegitimos . Sic autem haber scriptura instruens judices in foro contentioso judicantes : si dormierit , inquit , vir cum uxore alterius , uterque morietur , id est , adulter & adultera , & aufere malum de Israël . Deut . 22. v. 21. instruens verò Confessarios in foro interiori judicantes inculcat , quam grave sit adulterium ob solam , quam inducit , hæredis legitimi confusionem . sic & mulier omnis , inquit , relinquens virum suum , & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio . . . Ex alio viro filios statuit sibi . Eccles . 23. v. 32. quo nihil scelestius , quodque oportet per restitutionem reparari .

CONSECTARUM II. Quicumque nocet proximo quoad ejus famam , tenetur ad restitutionem ; peccat enim contra justitiam

commutativam, quæ vetat, ne injustè lœdatur fama proximi; ideo jubet & futurum prædictit scriptura, ut quicumque famam proximi lœserit, eam etiam cum sua ipsius confusione reparare teneatur. Id innuit Psal. 108 v. 29.
induantur, qui detrabunt mibi, pudore; &
operiantur sicut diploide confusione sua.

Sic calumniator, & iniquus detractor, qui injustè denigrant famam proximi, quocumque modo id faciant, tenentur ad restitutionem; quia peccant contra justitiam commutativam, quæ vetat, ne injustè auferamus proximo bonam famam quibuscumque divitiis longè præstantiorem, juxta illud Prov. 22. v. 1. *melius est bonum nomen, quam divitiae multæ.*

Sic ad restitutionem famæ ablatæ tenentur, qui his versibus exprimuntur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,

Qui negat, aut minuit, reticet, laudative remissee.

CONSECTARIUM III. Qui injustè nocent proximo quoad bona spiritualia, tenentur ad restitutionem, si ita nocēant, ut peccant contra justitiam commutativam; justitia enim vetat, ne simus aliis offendiculo: *sine offensione*, inquit Paulus, *estote judæis, & gentibus, & Ecclesiæ Dei* i. ad Corin. 10 v. 32.

Sic qui vi, dolo, fraude, &c. impellunt alios ad peccatum, vel ab exercitio virtutis avertunt, tenentur ad restitutionem damni illati; tunc enim peccant contra justitiam commutativam, quæ vetat, ut vi dolo, fraude metu, &c. contra proximum utamur.

CONSECTARIUM IV. Quicumque nocent proximo quoad bona temporalia , vel per injustam acceptationem , vel per injustam detentionem , tenentur ad restitutionem ; peccant enim contra justitiam commutativam , quâ cavetur , ne alienum injustè accipias , vel detineas. Et juxta Joan. Apocal 9. v. 21. damnantur inferno hi , qui per restitutionem ; si eis possibilis erat , non egerunt pœnitentiam à furtis suis. Non egerunt , inquit , pœnitentiam ab homicidiis suis , neque à Veneficiis suis , neque à fornicatione sua , neque à FURTIS suis.

Sic ratione injustæ acceptationis ad restitutionem tenentur fures , qui occultè accipiunt rem alienam ; rapaces , qui eam per vim violentam auferunt ; sacrilegi , qui rem Deo sacram accipiunt , quoquo modo id faciant , sive clam , sive palam : quia hi omnes peccant contra justitiam commutativam per injustam acceptationem.

Similiter ad restitutionem tenentur , qui cumque accipiunt rem proximi per involuntariam dationem : involuntaria enim datio repugnat justitiæ commutativæ , & ita restituendum est id , quod usorarius ex vi mutui accepit , id quod meretrix supra debitam mercedem blanditiis extorsit , id quod compellens ad ludum lucratus est in ludo. Hujusmodi enim dationes non sunt voluntariæ , sed involuntariæ ; & proinde ob injustam acceptationem obligant ad restitutionem.

Sic etiam ad restitutionem tenentur , qui cumque exigunt , accipiuntque pretium aliquod , ut faciant id , ad quod tenentur ex

justitia, vel ut omittant id, quod omitti nequit absque injustitia: ea enim acceptio est injusta; & ita restituere tenetur id, quod accepit, v. g. judex, ut ferret justam sententiam: non enim licet, inquit Aug. judici vendere justum judicium 11. q. 3. testis, ut ferret verum testimonium; quia ex Aug. 13. q. 1. *testimonia vendenda non sunt*; depositarius, ut redderet depositum; commodatarius, ut redderet commodatum; inventor, ut redderet rem inventam; debitor, ut redderet rem debitam. Hi enim omnes praedicta tenentur præstare ex justitia; & proinde nihil possunt exigere, ut suo satisfaciant officio. Itaque si quid exigant, peccant contra justitiam commutativam; atque adeo obligantur ad restitutionem. Ad restitutionem etiam obligatur, qui exigit, & accipit aliquid, ut non furetur, ut non occidat, ut non calumnietur, aut ut quodvis aliud damnum non inferat proximo; prædictas enim actiones, ut pote iniquas, quilibet ex justitia omittere tenetur.

Sic ratione injustæ detentionis ad restitutionem obligatur, quicumque rem alienam sine justo titulo invito vero Domino retinet. In promptu causa est, inquit Cajetanus; quia res illa non est ipsius, sed alterius; atque per hoc non est retinenda, sed danda illi, cuius est: si enim non redderetur vero Domino, ille minus haberet de suo, & damnum pateretur, quod constat esse iniquum. V. restitutio.

CONSECTARIUM V. Ad restitutionem damni illati tenetur, quicumque rem proximi deteriorem efficit, licet qui damnum infert, nullum inde emolumentum percipiat: dam-

num quippe inferendo peccat contra justitiam commutativam. De quo ita habet scriptura Exod. 22. v. 5. *si læserit quispiam agrum, vel vineam, . . . Damni estimationem restituere.* Et D. Thom. 22. q. 62. a. 4. in corp. sic habet: *damnum dicitur ex eo, quod aliquis minus habet, quam debet habere . . . Et ideo homo tenetur ad restitutionem ejus, in quo aliquem damnificavit.*

Sic ad restitutionem tenentur, qui hic subjiciuntur. 1º. Magnates, qui bestias alunt, quæ aliis nocere solent; peccant enim mortaliiter, si bestiæ notabiliter noceant, & novum peccatum addunt, si non restituant. Ita Navarrus. 2º. Venatores, qui vel per se ipsos, vel per canes, equos, &c. rem proximi, v. g. agros, vineas, segetes, arbores, &c. lèdent. 3º. Pastores, qui permittunt vineas, prata, segetes depasci à pecoribus, quibus custodiendis præficiuntur. 4º. Demum omnes illi, qui damnum inferunt proximo; violent enim justitiam commutativam.

CONSECTARIUM VI. Ad restitucionem tenetur, quicumque injustè impedit per actionem justitiae commutativæ contrariam, v. g. vi, dolo, fraude, calumniâ, ne proximus consequatur bonum ei largiendum ex mera etiam liberalitate; utens enim vi, fraude, dolo, peccat contra justitiam commutativam, qua vetatur, ne quis alteri vim inferat, neve alium dolo, fraudeve decipiatur.

Sic Titius Clericus dignus est, eui Beneficium conferatur: tu vi, fraude, dolo, calumniâ impedis illam collationem, teneris reparare damnum, quod Titio intulisti.

Sic Paulus apud se statuit conferre legatum Petro, tu iustè impedis, ne Petrus legatum illud consequatur, vel vi retinendo Notarium, vel fraude Notarium aliò mitten-
do, vel calumniā denigrando Petrum apud Paulum; teneris tunc ad restitutionem damnī illati; quia in singulis illis casibus agis contra iustitiam commutativam. Utrumque casum ita explicat D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 4. dicendum, inquit, quod aliquis potest impedire aliquem, ne habeat Præbendam, idem dic proportionaliter de legato, multipliciter. Uno modo iustè; putà, si intendens honorem Dei, vel Ecclesiæ, procuret, quod detur alicui personæ digniori: & tunc nullo modo tenetur ad resti-
tutionem, vel ad aliquam recompensationem faciendam. Alio modo iustè: putà si intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujusmodi: & tunc si impedit, ne Præbenda detur digno, consulens, quod non detur, amequam sit firmatum quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus perso-
narum & negotii secundum arbitrium sapientis: non tamen tenetur ad æquale; quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impe-
diri. Si vero jam firmatum sit, quod alicui de-
tur Præbenda, & aliquis propter indebitam cau-
sam procuret, quod revocetur, idem est, ac si
jam habitamei auferret: & ideo tenetur ad
restitutionem æqualis, tamen secundum suam
facultatem.

§. I I.

De his , qui damnum inferunt per omissionem in justiam.

CONSECTARIUM VII. Quicumque omittit id , ad quod tenetur ex justitia , v. g. ex officio , ex contractu , ex quasi contractu , obligatur ad restitutionem totius damni ; quod ex ejus omissione sequitur ; tunc enim officium suum omittens , peccat contra justitiam commutativam , ut docet D. Thom. his verbis : *Manifestum est , inquit , quod quicumque negligit habere , vel facere id , quod tenetur habere , vel facere , peccat peccato omissionis.* i. 2: q. 76. a. 2. in corp. & alibi scilicet 2. 2. q. 62. a. 7. in corp. docet , quod qui per omissionem est causa etiam indirecta injustæ lesionis , obligatur ad restitutionem. Scilicet ut ait S. Doctor , quando aliquis non impedit damnum , si possit , & debeat impedire : ergo omissione contraria justitiae commutativæ obligat ad restitutionem damni , quod ex ea sequitur.

Sic qui ex ignorantia culpabili omittit aliquid sui officii , tenetur reparare damnum , quod ex tali omissione sequitur , v. g. Judex , Medicus , Causidicus , Confessarius , Parochus , artifex , &c. tenentur reparare damnum , quod causant ex ignorantia artis , quam exercent , & ex omissione officii , ad quod tenentur. Imperitia quoque , inquit Justinianus , culpe adnumeratur : *veluti si Medicus ideo servum tuum occidit ; quia male eum fecerit , aut perperam ej-*

medicamenta dedit. Lib. 4. inst. tit. 3. ad leg. Aquiliam §. 7.

Sic etiam qui *ex negligentia culpabili omittit* aliquid sui officii, tenetur reparare damnum, quod ex tali negligentia sequitur, v. g. *Judex, Causidicus, Medicus, Confessarius, Parochus, artifex,* tenentur restituere damnum, quod causant *ex negligentia*, *squam ex justitia* tenentur vitare, v. g. si *judex negligat examen legum, & contra leges judicet; si Medicus negligat ægrotum, & ægrotus moriatur; si nauclerus somno vel incuria omittat curam navis, & navis naufragium subeat; si mulio mulas magno impetu ruentes retinere negligat, & ex impetu mulatum damnum aliquod proximo enascatur: in singulis illis casibus & similibus urget obligatio restitutio- nis;* quippe *juxta legem Aquiliam quisquis* *damnum infert, ad restitutionem tenetur, & eximitur tantum à restitutione, si modo culpa ejus nulla inveniatur.* Lib. 4. inst. tit. 3. ad legem Aquiliana §. 3.

Sic pariter, qui *per imprudentiam culpabi- lem* omittunt cautionem, quam debent adhibere, tenetur reparare damnum, quod ex tali omissione sequitur, & qui vulgarem negligunt adhibere prudentiam, *damnum secu- tum ex sua ipsorum imprudentia* *juxta etiam* *jus civile* tenentur reparare, v. g. *Si perlusum, in loco aut in tempore indebitis exercitum à jaculantibus servus tuus fuerit occisus, jacu- latores ad restitutionem tenentur.* L. 9. ff. *Ad* legem aquiliam; *si putator ex arbore . . . Machi- narius ex machina, non proclamaverit, ut casus ejus, quod projiciebat, vitari posset.* L. 31. Ibid.

Si damnum secutum fuerit , qui id imprudenter fecit , tenebitur reparare . Si incendium non casu , sed ex imprudentia habitantium evenerit , tunc ii , qui imprudenter egerunt , damna ex incendio secuta resarcire tenebuntur .

L. 3. ff. de officio praeselli vigilum.

Sic similiter , qui per moram culpabilem omit-
tunt ea , ad quæ tenentur ex justitia , debent
reparare damnum , quod ex tali omissione sequi-
tur ; peccant enim contra justitiam commutati-
vam . v. g. si venditor rem à se venditam ;
depositarius rem sibi depositam ; conductor
rem locatam , ultra legitimum tempus invito
Domino retineat , etiam si res pereat casu ,
tenetur ejus premium vero Domino reddere :
hi enim omnes sunt in mora culpabili , ut ex-
pressè docet jus civile . Quod te mibi , inquit ,
dare oporteat , si id postea perierit , quia per te
factum erit , quominus id mibi dares , tuum fore
id deirimentum constat . L. 5. ff. de rebus cre-
ditis .

Sic quoque qui per injustam detentionem
impediunt , ne res ad verum & legitimum do-
minum perveniat , tenentur reparare damnum
ex tali injusta detentione proveniens : peccant
enim contra justitiam commutativam , quæ
verat alienum invito domino retineri . v. g. si
quis animalia , puta aves , canes , &c. quæ
verè animum habent redeundi ad dominum
suum , violenter retineat ; si quis navem in flu-
vio remoretur ; si quis rem mobilem vel im-
mobilem alterius sibi attribuat , vel in pignus
aut hypothecam débitorum invito Domino ac-
cipiat : si res illæ pereant , tenetur eorum pre-
mium solvere ; est enim causa damni ob injus-
tam detentionem .

Qq ij

S. III.

De his, qui damnum inferunt proximo per acquisitionem, que secundum jura habeant nulla & invalida.

CONSECTARIUM IX. Quicumque acquirunt, aut lucrantur aliquid pretio estimabile per actiones, quas jus vel civile solum, vel Canonicum jure civili firmatum, luctatorias esse prohibet, tenentur ad restitutionem totius illius lucri ex iniqua illa actione accepti; etenim cum hujusmodi actiones ex praescripto legis non sint luctatoriae, nullumque dent titulum acquirendi, qui praeceps ex vi earum actionum acquirunt, & sic acquisita retinent, peccant contra justitiam commutativam, sibi adscribentes id, quod jus vetat acquiri, immo id quod aliquando lex aliis adjudicat. Et ita ad restitutionem tenentur, qui hic subjiciuntur.

1°. Simoniaci tenentur ad restitutionem illius rei, quam viâ simoniacâ consecuti sunt; nullum enim habent titulum, quo illius rei dominium acquirant. *Can. Si quis Episcopus. 1. q. 1. & D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6.* Et ita quidquid acquiritur pro collatione beneficii, pro collatione ordinum, pro examine ordinandorum, pro visitatione Parochiarum, pro benedictione Ecclesiarum, &c. retineri non potest, sed vel Ecclesiæ, vel pauperibus dandum est *D. Thom. ibid. ad 4.*

2°. Clerici beneficiati sine legitimo titulo tenentur dimittere beneficium sine institu-

ne Canonica suscepsum , & fructus ex eodem beneficio perceptos ; quia juxta regulas iuris Canonici in 6. *Beneficium Ecclesiasticum sine institutione Canonica obtineri non potest.* Et ita beneficium dimittere , & fructus beneficii dare pauperibus tenetur , filius illegitimus Clerici , qui beneficium obtinuit in eadem Ecclesia , in qua pater deservit , imo qui pensionem obtinuit super beneficio , quod pater habuit : ea enim institutio non est Canonica juxta Trident. ses. 25. cap. 15. Item qui plura habent beneficia incompatibilia ; ea enim institutio non est Canonica. juxta Trident. ses. 7. cap. 2. & 3. Imò qui plura suscipit beneficia , etiam non incompatibilia , quando unum sufficit ad congruam & honestam sustentationem , aut quando quis suscipit beneficium sine animo retinendi ; tunc enim coram Deo non censetur esse Canonica institutio , quæ verum titulum det retinendi beneficium , & fructus beneficii in hujusmodi Clericos verè transferat.

3°. Clerici beneficiati cum institutione Canonica & legitima , sed officium beneficio annexum non exequentes , tenentur fructus acceptos restituere : etenim illi negligentes Clerici fructus quidem possunt percipere in foro externo , sed in foro interno fructus illos non possunt licetè suos facere ; beneficium enim propter officium . Et ita qui non resident in Ecclesia , in qua tenentur residere , pro rata tempore absentiae ; qui non recitant horas Canonicas , quas tenentur recitare , pro rata omissione , tenentur tantumdem de fructibus beneficiorum restituere . Trid. ses. 6. cap. 1. Vide quæ infra dicemus de Clericis.

Q q iij

4º. Beneficiati prodigi, qui redditus beneficiorum post honestam substantiationem superflites in usus vel inutiles, vel pravos insument; quia non habent verum dominium honorum Ecclesiasticorum, quae sunt ipsis superflua, ut dicemus, ubi de Clericis *Aurum* quippe habet Ecclesia, inquit Bernardus, non ut servet, sed ut eroget. Clamant nudi, clamant famelicis conqueruntur, & dicunt: dicite Pontifices, in fræno quid facit aurum; nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter extorabitur, quod inaniter impenditis. Epis. 42, ad Episc. Senon.

5º. Usurarii manifesti aut palliati tenentur ad restitutionem cuiuscumque emolumenti per usuram manifestam aut palliatam acquisiti; usuræ enim lucratorix ex genere suo sunt improbae nec dant titulum acquirendi. L. 10. C. Ex quib[us] causis infamia irrogetur. Vide dicta de usuris.

6º. Eudentes tenentur restituere ea, quæ ludo per leges vctito lucrati sunt. Vide dicta de ludo.

7º. Judices justam vel injustam sententiam vendentes; ea enim injustitia non est titulus acquirendi.

§. IV.

De his, qui ob cooperationem dimini illati tenentur, vel non tenentur ad restitutionem.

PROPOSITIO unica. Illi cooperatores obligantur ad restitutionem, qui peccantes contra justitiam commutativam, sunt causa

efficax damni. Illi vero cooperatores excusantur à restitutione qui vel non sunt causa efficax damni, vel si sunt causa efficax, non peccarunt contrà justitiam commutativam.

Probatur Ratione. Ex dictis constat, quod duo requiruntur ad inducendam obligationem restituendi; primum est damnum illatum proximo; secundum violatio justitiae commutativa: ergo ut cooperatores obligentur ad restitutionem dūo requiruntur; quod influant efficaciter in damnum & quod peccent contra justitiam commutativam, quorum alterum si defuerit, cooperatores eximentur à restitutione.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. In quo explicatur hæc vox, iussio. Mandans sive expressè, sive tacite, dicto scilicet vel facto, ex quo subditi, v. g. vel famuli colligant actionem in justam ei gratam fore; si ex vi talis mandati sequatur damnum, tenetur restituere; quia tunc jubens est causa efficax damni. Si dubitet, an iussio injusta fuerit causa damni revera illati, tenetur etiam ad restitutionem; quia præsumptio est contrà ipsum mandantem, cui incumbit onus probandi contrarium. Imò cum vacat rei illicitæ, est causa damni fortuiti, qui ex ejus mandato sequitur, v. g. mandat Joannes, ut occidatur Petrus; Paulus loco Petri occiditur, tenetur ad restitutionem damni sequentis ex Pauli morte, licet hæc contra intentionem mandantis eveniat. Mandat, ut verberetur Paulus, vulneratur Pau-

lus, aut occiditur contra voluntatem mandantis, tenetur ad restitutionem damni hujusmodi cædis aut mutilationis, quæ contra ejus intentionem contingit. Sed tamen ex injusto ejus mandato secula est; & proinde est illius causa moralis. Minimè verò, si mandans retractet mandatum, etiam si mandatarius privatâ sua malitia inustum mandatum exequatur; quia tunc non est causa damni.

Item si quis malum non jubeat, sed gaudeat de damno illato proximo, peccat; quia gaudet de malo: sed non tenetur restituere; quia gaudendo non est causa mali.

CONSECTARIUM II. In quo explicatur hæc vox, *confilium*. Consulens damnum inferri, v. g. promissionibus, precibusque ad actionem proximo nocivam inducens, tenetur ad restitutionem, quia est causa damni.

Minimè verò, si qui consuluit damnum, totis viribus retractet suum perniciosum consilium, & eum præmoneat, cui damnum patratur, quia tunc non est causa damni; & si ille, qui accepit consilium, noceat, hoc in privatam ejus malitiam, & non in consulentem debet refundi.

Item si consulens dato consilio non noceat, sed prospicit, v. g. si furi parato furari nummos decim Petro, suadeat, ut tantum furetur eidem Petro quinque; quia tunc non est causa efficax damni, sed è contra causa est, cur Petro minus noceatur.

CONSECTARIUM III. In quo explicatur hæc vox *consensus*. Consensus, qui est causa efficax damni, obligat ad restitutionem; quia influit in damnum; minimè verò con-

sensus, qui non est causa; quia non influit in damnum.

Sic cum bellum injustum proponitur, qui consentiunt causando, v. g. Rex, & hi, qui sunt Regi à Consiliis, obligantur ad restitutionem; minimè vero, qui consentiunt, non influendo, v. g. subditi, lætando ob commoda ex bello eventura.

Sic in consistorio, in capitulo, in Universitate, ubi secretò feruntur suffragia, quiunque votis suis secretis cooperatur injustæ electioni, tenetur ad restitutionem, uti semper contingit, quoties ad valorem actionis necessum est omnes simul consentire, & quando requiritur solum, ut major pars consentiat, illi solum tenetur ad restitutionem, qui influunt in electionem injustam; minimè vero, qui non dant suffragium injustum.

Sic quando suffragia dantur publicè, primi qui vident suo suffragio se posse injustiam impedire, tenentur ad restitutionem; quia influunt in injustam electionem; minimè vero postremi, si certò illis constet se non posse votis suis injustam electionem impeditre; quia non influunt efficaciter in damnum, debent tamen injustæ actioni adversari, quantum possunt, dicit enim scriptura: *noli fieri iudex, nisi virtute valeas irrumperē iniquitates.*

CONSECTARIUM IV. In quo explicatur hæc vox, *palpo*. Qui verbis adulatoriis pellicit ad malum, & laudat malos de eorum peccato perpetrando, vituperat bonos ob virtutem, & hujusmodi sermonibus, est causa efficaç damni, obligatur ad restitutionem; quia est causa damni, minimè vero si adulatio

non sit causa damni , sed solum laudibus suis aliquam lætitiam afferat malo ; quia tunc non influit in damnum.

C O N S E C T A R I U M V . In quo explicatur hæc vox , recursus . Qui refugium dat malefactori , ut malefactori , vel præbendo securitatem , antequam fiat injusta actio , vel promittendo securitatem , postquam facta erit mala actio , tenetur ad restitutionem ; quia influit in damnum. Minime vero , qui recipit malefactorem , non ut malefactorem ; sed ut hominem , non ut animos addat ad malum , sed ut ad meliorem vitam deducat ; quia non influit in damnum.

C O N S E C T A R I U M V I . In quo explicatur hæc vox , participans . Qui participat ad injustam acceptationem per actionem ab intrinseco malam , tenetur restituere ; quia est causa damni. Qui vero participat per actionem indifferentem , non tenetur restituere ; quia non est causa mali.

Sic qui cooperatur damno , furando , rapiendo , instrumenta præbendo ad furtum & rapinam , tenetur restituere ; quia hæc actiones sunt ex se malæ , & in damnum illorum efficaciter influunt.

Sic qui inviti actioni jam factæ superveniunt , v. g. rustici , qui prædas à militibus congestas inviti transferunt in castra , non tenentur ad restitutionem ; quia non sunt causa damni.

C O N S E C T A R I U M V I I . In quo explicantur hæc voces , mutus , non obstante , non manifestans . Qui potest , & ex rigore juris debet

loqui, debet obstare, dum sit damnum, debet manifestare, dum factum est; & tamen non facit, tenetur restituere; quia est causa damni: qui vero vel non potest, vel ad id non tenetur ex justitia, non obligatur ad restitutionem; quia non est causa efficax damni.

Sic qui ex officio, vel ex pacto, tenentur impedire damnum, & non impediunt, cum possunt, tenentur restituere. Tales sunt, v. g. reges, qui à subditis suis non avertunt hostium incursus, latronum deprædationes. Tales sunt custodes publici, qui non manifestant eos, qui lignantur, pescantur contra prohibitionem principis, vel Republicæ. De quibus ita Isaías: *principes tui infideles, socii surum.* Tales sunt etiam famuli, qui res sibi ab heris commissas permittunt, vel ab extraneis subripi, vel ab aliis domesticis male consumi. Hi enim omnes obligantur ex officio ad impedendum, ne hujusmodi damna proximo obveniant. Tales sunt patiter hi; qui cum damnum factum est, non obstant, ne damnum illatum à futibus ad se confugientibus invito Domino retineantur. De quibus ita Aug. Epis. 54. Can. *si res aliena 14. q. 6.* ubi sic habetur; *illud vero, inquit, fidemissime dixerim, eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis.*

Sic qui ex charitate solum tenentur impedire damnum proximi, & non impediunt, etiam si possunt, peccant quidem tacendo, & non obstando, quia agunt contra charitatem,

476 MORALIS CHRISTIANA.
sed non tenentur ad restitutionem; quia non
agunt contra justitiam.

CONSECTARIUM VIII. Cooperato-
res debent restituere juxta modum & ordinem,
quem habuerunt influendo in damnum: coo-
peratores quippe obligantur ad restitutionem
ob id solum, quod efficaciter in damnum in-
fluunt: ergo debent restituere juxta modum
& ordinem, quem habuerunt influendo in
damnum, & ita restituere debent hoc modo.

Primo. Si plures damnum intulerint absque
consensu mutuo, quisque tenetur reparare
illud solum damnum, quod ipsemet intulit;
cum enim sejuncti fuerint in damno inferendo,
ita sejungi debent in damno reparando. Si
plures simul, & consensu mutuo, & se in-
vicem juvando, damnum intulerint, singuli
in solidum tenentur totum damnum reparare:
uti enim conjuncti fuerint in damno inferen-
do, ita & conjungi debent in damno re-
parando.

Secundo. Isto ordine debet fieri restitutio.
Prior omnibus debet restituere ille, apud
quem est res ablata, sive sit in specie, sive
sit in valore: etenim, ut vulgo dicitur, res
quilibet Domino suo clamat.

3º. Si res, nec in specie, nec in valore,
sit apud aliquem ex hiis, qui damnum intule-
runt, qui damnum imperavit, debet prius
quam alii cooperatores restituere; magis enim
influit quam alii: quippe mandans est quasi
causa principalis, alii vero cooperatores sunt
quasi causa instrumentalis.

3º. Qui damnum intulit exequendo manda-
tum, debet prius restituere quam ille, qui
consuluit;

consuluit; in damnum enim magis influit ille, qui mandatum proximo damnosum exequitur, nam ille, qui consuluit.

4°. Qui consuluit debet prius restituere quam ille, qui furem vel recepit, vel tutatus est.

5°. Qui recepit eum, qui damnum causavit, prior debet restituere quam ille, qui tacuit: quippe qui recipit furem, magis influit securitatem dando quam ille, qui tacuit non impediendo. Recipiens furem influit quasi positivè, qui tacet, influit solum negativè.

6°. Qui tacuit, dum damnum fiebat, tenetur ad restitutionem priusquam ille, qui non manifestat, dum factum est damnum; magis enim est influere negativè, dum res fit, quam influere etiam negativè, dum res facta est.

M O N I T U M. Qui damnum passus est, non debet quasi per ambages omnes prædictos cooperatores percurrere, sed potest eum primò compellere, apud quem res sibi ablata detinentur, vel in specie, vel in valore; & si res ablata nec in specie nec in valore subsistat, debet mandantem compellere, ut sibi damnum illatum reparet, & iste ad alios cooperatores recurrere poterit. *Uno tamen restituente illi, qui passus est damnum,* inquit D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 7. ad 2. aliis eidem restituere non tenetur: sed illi, qui sunt principales in facto, & ad quos res pervenit, tenentur alijs restituere, qui restituerunt.

Quomodo, & quando ad restitutionem obliget culpa civilis, seu omissione debite diligentie circa rem alterius, ex qua omissione sequitur damnum proximi, aliquando cum offensa Dei, aliquando sine offensa Dei.

PROPOSITIO unica tripartia. Culpa civilis, licet noxia proximo.

Si sit omnino involuntaria, & non deducta ad forum contentiosum, ad nullam coram Deo restitutionem obligat.

Si sit voluntaria, obligat coram Deo ad æqualem compensationem damni illati etiam ante sententiam judicis, imò nec deducta ad judicem.

Si vero sit deducta ad forum contentiosum, sive voluntaria, sive involuntaria sit, post latam sententiam obligat, primò ad æqualem compensationem domini illati, secundò ad pœnam inflictam à judge ; ante latam vero sententiam ad nullam pœnam obligat, sed solum ad æqualem compensationem, si sit voluntaria : ad nullam vero restitutionem, si sit omnino involuntaria.

Probantur ratione singulæ partes.

1°. Culpa civilis omnino involuntaria, & non deducta ad forum contentiosum ad nullam coram Deo restitutionem obligat: ubi enim nullum est peccatum, ibi nulla est in foto interiori obligatio restitutionis, ut diximus in superiori capite art. 1.

2°. Culpa civilis voluntaria, & proinde

Theologica seu verum peccatum, etiam non deducta ad forum contentiosum, & ante quamcumque judicis sententiam, obligat coram Deo ad æqualem compensationem; quia juxta Aug. non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Sed quamdiu res non deducitur ad forum contentiosum, ad nihil ultra obligat nisi ad æqualem compensationem, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 3. in C. his verbis: *cum aliquis, inquit, iniuste accipit rem alienam, duo sunt ibi consideranda: quorum unum est inæqualitas ex parte rei . . . aliud autem iniustitiae culpa . . . Quantum ergo ad primum adhibetur remedium per restitutionem; in quantum per eam inæqualitas reparatur: ad quod sufficit, quod restituat tantum, quantum habuerit de alieno.*

3°. Culpa merè civilis, & involuntaria deducta ad forum contentiosum post latam à judice sententiam obligat juxta præscriptum à judice, tum quoad compensationem, tum quoad pœnam inflictam à judice; sententia enim judicis lata secundum formam juris obligat in conscientia: ante verò latam sententiam si culpa civilis fuerit omnino involuntaria, ad nihil obligat; pœnæ enim non sunt subeundæ nisi post sententiam judicis. Resolutionem istam explicat D. Thom. ibid. his verbis: *quantum ad culpam, quæ reperitur in læsione proximi, adhibetur remedium per pœnam, cuius inflictio pertinet ad judicem. Et ideo antequam sit condemnatus per judicem, non tenetur restituere plusquam iniuste accepit. Sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam solvere.*

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Quando illatum est proximo nocumentum aliquod per culpam civilem , tunc Confessarius potest pœnitentem dispensare ab omni restitutione , si culpa civilis fuerit omnino involuntaria ; ubi enim non est voluntarium , ibi non est peccatum : nec proinde obligatio restitutionis. Si vero culpa civilis fuerit voluntaria , et si non deducta ad forum contentiosum , debet obligare pœnitentem ad integrum restitutionem ; quia ubi est peccatum noxiū proximo , ibi est obligatio restituendi . Demum si culpa civilis sit deducta ad forum contentiosum , & iudex sententiam tulerit , Confessarius debet obligare pœnitentem ut sententiæ judicis acquiescat ; quia sententia lata secundum formam juris obligat in conscientia.

C O N S E C T A R I U M II. Quando illatum est proximo nocumentum aliquod per culpam civilem , tam Confessarius , quam iudex debent leges consulere . . Confessarius quidem , ut justam & æqualem compensationem præscribat , quam ex mente legum poterit expiscari . Jūdex vero , ut pœnas imposat legitimas & proportionatas , quas ex legibus poterit addiscere . Ideo in gratiam tum Confessarii , tum iudicis , proponemus , quæ jus civile determinavit circa damnum illatum proximo per culpam civilem ;

ARTICULUS III.

Quinam juxta leges civiles ob damnum illatum proximo obligantur, primò ad restitutionem, secundò ad aliquam pœnam.

PROPOSITIO unica. Quicumque contra jus nocet proximo, vel per actionem inferendo damnum, vel per omissionem negligendo id, ad quod tenetur, obligatur juxta jus civile, primò ad æqualem compensationem damni, secundò ad pœnam aliquam.

Probatur 1º. Ex jure civili Instit. lib. 3. toto titulo de obligationibus, ubi expressè dicitur nos obligari erga proximum quatuor modis, ex contractu ex quasi contractu, ex delicto, ex quasi delicto: atqui hæc quadruplex obligatio, quatenus naturalis, exigit compensationem æqualem, quatenus civilis, importat pœnam subeundam, ut habetur eodem titulo: ergo quicumque nocet proximo, non satisfaciendo obligationibus quibus erga ipsum obligatur, tenetur primò ad æqualem compensationem, secundò ad pœnam inflictam à judice.

2º. Ratione. Quicumque contra jus nocet culpabiliter proximo, bis peccat, primò lædit bonum privatum proximi, cui nocet, secundò lædit Rempublicam, cuius bonum publicum offendit ergo ad duo juxta leges obligatur, primò ad æqualem compensationem, ut satisfaciat proximo, cui nocuit; secundò ad pœnam, ut satisfaciat Reipublicæ, cuius statuta infregit.

Consecaria bujus Doctrine.

CONSECTARIUM I. De obligationibus ortis *ex contractu*. Quicumque nocent proximo, non satisfaciendo obligationibus ortis ex contractu, tenentur primò ad æqualem compensationem, secundò ad poenam; quia sunt in culpa, quæ nocet proximo.

Sic emptores, & venditores; mutuatores, & mutuatarii; deponentes & depositarii, qui vel iniquas apponunt suis contractibus conditiones, vel æquas conditiones jam appositæ exactè non observant, obligantur & ad compensationem damni, quod inferunt proximo, & ad poenam, quam meretur eorum infidelitas.

CONSECTARIUM II. De obligationibus ortis *ex quasi contractu*. Quicumque nocent proximo non satisfaciendo obligationibus ortis ex quasi contractu, tenentur primò ad æqualem compensationem, secundò ad poenam inflictam à judice; sunt enim in culpa, quâ nocent proximo.

Sic qui nocent proximo per negotiorum gestionem, per tutelæ administrationem, per rerum communionem, scilicet deteriorem efficiendo rem quam habent cum aliis communem, per hæreditatis aditionem, per indebiti solutionem, tenentur primò ad æqualem compensationem damni, secundò ad poenam quam meretur eorum infidelitas.

CONSECTARIUM III. De obligationibus ortis ex maleficio. Quicumque nocent proximo per delictum, id est, per offendit-

nem contra jus illatam , obligantur primò ad æqualem compensationem , secundò ad pœnam ; sunt enim in culpa , quā nocent proximo.

Sic fures, raptore, &c. obligantur primò ad compensationem æqualem , secundò ad pœnam inflictam à judice. Olim fures & raptore obligabantur ad quadrupli restitutionem; jam verò damnantur vel suspendio , vel tritemibus , vel publicâ flagellatione.

C O N S E C T A R I U M IV. De damno per legem Aquiliam vetito. Quicumque damnum infert rebus animatis , vel inanimatis ad proximum pertinentibus , tenetur primò ad æqualem compensationem, secundò ad pœnam inflictam à judice : ita enim habet lex aquilia: si quis alienum hominem , v. g. mancipium , aliamve quadrupedem , quæ pécudum numero sit , injuriā occiderit quanti ea res in eo anno plurimi fuerit , tantum Domin⁹ dare damnetur . . . Item in omnibus rebus , quæ anima carrent , damnum per injuriam datum , hac parte vindicatur. Si quid enim usum , aut raptum , aut fractum fuerit: actio ex hoc capite constituitur , quā scilicet & damnum reparatur , & justa pœna infligitur. *In situ lib. 4. tit. 3. §. 13.*

C O N S E C T A R I U M V De damno illato per injuriam. Quicumque damnum inferunt proximo per injuriam , id est , per actionem dolo malo cum alterius contumeliam commis- sam , obligantur primò ad æqualem compensationem , secundò ad pœnam inflictam à judice; sunt enim in culpa , quā nocent proximo.

Sic qui per injuriam realem inferunt minus contra corpus proximi aut aliorum , qui ad proximum pertinent , putà contra corpus uxoris , filiorum , aut servorum , tenentur primò exhibere satisfactionem , deinde poenam inflictam à judice subire , v. g. carcerem , exilium pati , mulctam pecuniariam solvere ; id enim metetur eorum audacia.

Sic qui per injuriam verbalem , v. g. per verba atrocia , per libellos famosos , inhonoran proximum , tenentur primò ad æqualem satisfactionem , deinde ad subeundam pœnam inflictam à judice , v. g. ad injuriarum retractationem , ad publicam libelli famosi combustionem ; id enim metetur eorum tum in loquendo , tum in scribendo procacia.

C O N S E C T A R I U M V I. De damno illato ex quasi delicto. *Quicumque* nocent proximo ex quasi delicto , id est per actionem , aut omissionem , quæ sine dolo & intentione agentis contigit , tenentur primò ad æqualem compensationem , secundò ad subeundam pœnam inflictam à judice ; licet enim ex pravo affectu non egerint , tamen sunt in culpa , quâ proximo nocuerunt.

Sic qui nocuit proximo , aut dejiciendo , aut effundendo id , quod dejici , aut effundi non oportebat , aut malè suspendendo ea , quæ alibi aut aliter suspendi oportebat , aut animalia noxia non retinendo , tenetur ad æqualem compensationem , & ad pœnam inflictam à judice ; id enim meretur ejus imprudentia. Et ut hæc materia clarius pateat sit.

C O N S E C T A R I U M V I I. De damno causato ex projectis vel effusis. *Quicumque*

damnum causat , vel projicendo , vel effundendo id , quod projici aut effundi non oportebat , tenetur damnum reparare , & sententiam judicis subire : ita enim habet jus civile , prætor ait de his , qui dejecerint , vel effuderint : unde in eum locum , quo vulgo iter fiet , vel in quo consistetur , dejecatum , vel effusum quid rit , quantum ex ea re damnum datum , factum ve erit , in eum , qui ibi habitaverit , in duplum , judicium dabo . L. 1. ff. de his qui effuderint , vel dejecerint .

Sic si unus sit tantum habitator ea in domo , ex qua dejectum & effusum est id , quod nocuit , ille solus suam suorumque culpam præstare debet . L. 6. ibid. v. g. præstare debet culpam filiorum , Scholasticorum , hospitum , tyronum , &c.

Sic si plures in eodem cœnaculo habitent , unde dejectum est aut effusum id , quod nocuit , in quemvis in solidum actio dabitur ; tunc enim impossibile est scire , quis dejecerit : si verò plures divisum cœnaculum habitent , actio in eum solum dabitur , qui habitat eam partem , unde res noxia effusa est , aut dejecta . L. 5. ibid.

C O N S E C T A R I U M IX. De damno causato ex ruina ædificiorum . Quando damnum provenit ex lapsu ædificiorum ruinas minitantium . si ædium Domini præmoniti omiserint eam ruinam præcavere , tenentur primò ad æqualem compensationem damni , secundò ad certam pœnam ; quia sunt in culpa , quæ nocuit proximo . Si ædificium , inquit lex , non casu fortuito , v. g. vi tempestatis , sed de-

fectu fulcri , labatur , Dominus ædificii damnum omne reparabit . L. 7. ff. de *damno infecto* .

CONSECTARIUM X. De *damno causato ab animalibus* Dominum habentibus . Domini , quorum animalia *damnum* aliquod intulerunt , tenentur aut *damnum* illud reparare , aut ipsum animal ei , qui *læsus* est , cedere : ita enim habet Justin. lib. 4. inst. tit. 9. *animalium nomine* , que *ratione* carent , si quâ *lascivitatem* , aut *pavorem* , aut *feritate pauperiem* fecerint : *noxalis actio* lege duodecim tabularum *prodita* est ; que *animalia* si *noxæ* dedantur , proficiunt *reο ad liberationem* .

Sic si animal pascendo noceat pratis , vinenis , campis , arboribus , Dominus *animalis* reparare cogitur *damnum* illatum . L. 1. ff. si *quadrupes pauperiem fecisse dicatur* .

Sic si equus vel mulus , &c. impetu suo nocuerint , *damnum* solvet , qui debebat retinente , ibid.

Sic qui boves cornupetas , equos calcinosos , canes rabidos , ursos feroce habent , tenentur de *damno* illato , sive feræ illæ ultrò *damnum* inferant , sive inferant concitatæ ab aliis feris ; quippe si inferant ultrò , Domini earum , qui eas retinere debuissent , tenentur de *damno* illato ; si verò inferant *damnum* concitatæ ab aliis feris , Domini ferarum concitantium tenentur de *damno* illato . Ita habet jus civile : *Eis si alia quadrupes aliam concitaverit* , ut *damnum* daret , ejus , que *concitat* , nomine agendum erit . Ibid.

ARTICULUS IV.

Quandonam judex soleat ad integrum restituionem, imò ad aliquam pœnam damnare eos, qui de damno illato accusantur.

PR O P O S I T I O unica. Toties judex sollet ad integrum restitucionem & insuper ad aliquam pœnam damnare eum , qui accusatur , quoties in eo , qui in judicium vocatur , præsumitur dolus , vel culpa : minimè vero , si absit omnis dolus , & omnis culpa.

Probatur 1°. Scriptura Lev. 12. ubi habetur, quod si judex invenerit rem datam alicui cum ipsius fraude periisse, ille , cui res data est , duplo damnabitur. Si vero adhibito jureamento constet illum non extendisse manum in rei proximi , ille reddere non cogetur : ergo qui vocatur in judicium pro damno illato proximo , ad restitucionem , & insuper ad pœnam damnatur , si in eo præsumatur fraus , minimè vero , si nulla sit præsumptio fraudis.

2°. Ratione. Ad judicem pertinet omnem dolum punire , & negligentiam omnem multatare , ne malitiosè vel ignoranter proximo nocteat : ergo judex & potest & debet iuxta præscriptum legis. 1°. Ad integrum restituionem. 2°. Ad aliquam pœnam damnare eum , in quo vel dolus vel culpa præsumitur. Debet vero & à pœna & à restituzione eximere eum , qui est innocens.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. *De his quæ casu contingunt.* Nemo obligari potest, vel ad poenam, vel ad restitutionem ob ea, quæ casu eveniunt: quæ umque enim, ut habet jus civile, casu sine culpa accidunt, à nullo præstantur. L. 23. ff. de regulis juris.

Sic quoties res perit casu citra omnem dolum & culpam detinentis, perit non in damnum detinentis, sed in damnum Domini, v. g. si res commodata, deposita, vendita, oportignorata, &c. pereat casu, perit Domino. Ut enim habetur in jure civili, rapinae, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, &c. à nullo præstantur. L. 23. ff. de reg. juris.

Sex sunt tamen casus, in quibus negotiorum gestor, tenetur præstare, & restituere ea, quæ sorte casuve pereunt, ut habetur ff. de negotiis gestis. 1°. Si gesit negotia pupilli. 2°. Si accessit animo deprædandi. 3. Si ad nova negotia se ingessit. 4°. Si casum in se specialiter recepit. 5°. Si culpa præcesserit casum. 6°. Si fuit in mora.

CONSECTARIUM I I. *De his, quæ ex dolo contingunt.* Quicumque dolo malo operatur, obligatur & ad poenam & ad restitutionem eorum, quæ ex dolo eveniunt; obligatur ad poenam ut satis faciat fraudi; obligatur ad restitutionem ut reparet damnum. Ut enim vulgo dicitur, nemini sua fraus patrocinari debet.

Sic si quis dolo malo rem alienam detineat,
v. g.

v. g. fur, raptor, & hæc pereat *casu*, perit in
damnum retinentis, teneturque pœnam ali-
quam subire, & rem, quæ periit, unà cum
suis fructibus restituere.

Sic si quis *doto malo* invito domino rem al-
terius contrectet, v. g. si contra, vel præter
voluntatem domini depositarius utatur re de-
positâ, commodatarius abutatur re commoda-
ta, venditor retineat rem venditam. Si hæ res
pereant *casu*, pereunt in damnum detinentis,
teneturque pœnam aliquam subire, & rem a
quæ periit, unà cum fructibus restituere.

CONSECTARIUM III. *De his, quæ ex
culpâ contingunt.* Quicumque ex culpa vel
lata vel levissima damnum infert, obligatur
1°. Ad restitutionem. 2°. Ad pœnam; ad resti-
tutionem quidem, ut damnum reparetur; ad
pœnam verò, ut culpa puniatur. Æquum
enim est, ut damnum quocumque resarcia-
tur, & culpâ quælibet puniatur.

ARTICULUS V.

*Ex qua culpa teneatur quis ad restitutionem
ratione contractus, vel quasi contractus, ra-
tione officii, vel gratuiti, vel lucrativi.*

PROPOSITIO unica. In præscribenda
restitutione, quæ oritur ex culpa, quæ
committitur in violatione contractus, aut
quasi contractus, in omissione officii vel gra-
tuiti, vel lucrativi, attendenda est natura
contractus, aut quasi contractus, qui infrin-
gitur, natura officii, quod omittitur, & gra-
vitas culpæ, quæ committitur, ut juxta con-

ditionem contractus, & officii, & juxta gravitatem culpe, pensetur restitutio.

Probatur Ratione. Quando restitutio est facienda ob culpam commissam in violatione contractus, aut quasi contractus, in omissione officii vel gratuiti, vel lucrativi, haec obligatio originem dicit ex dupli capite, primò ex nexu contractus, aut quasi contractus, qui infringitur, ex qualitate officii, quod omittitur, secundò ex gravitate culpæ, quæ committitur: ergo in prescribenda hujusmodi restitutione, pensanda est natura contractus, aut quasi contractus, qui infringitur, qualitas officii, quod omittitur, & gravitas culpæ, quæ in hacce violatione aut omissione perpetratur; ut sic juxta regulas æquitatis prescribatur restitutio pensatis omnibus, quæ eam obligationem aut leviorem aut firmiorem possunt efficere.

Consecratio hujus Doctrinæ.

CONSECATORIUM I. De restituzione orta ex violatione contractus, aut quasi contractus. Quando res alteri tradita perit non casu, sed ex culpa, haec regulæ sunt observandæ.

Si contractus aut quasi contractus sit in utilitatem solius recipientis, ut sit in commis-
dato, recipiens commodatum tenetur ad resti-
tutionem etiam ex levissima culpa; æquitas
enim postulat, ut quoties res datur in utili-
tatem solius recipientis, iste utpote commo-
dum ex re data solus capiens, teneatur dili-
gentiam exactissimam adhibere; & proinde ad
restitutionem ex culpa etiam levissima obli-
getur.

Si contractus sit in utilitatem solius dantis, ut sit in deposito, recipiens tenetur ad restitutionem solum ex lata culpa; æquitas enim exigit quod recipiens, ut pote solus onera sustinens, & utilitatem nullam expectans, teneatur tantum communem diligentiam adhibere, & proinde ad restitutionem solum ex latâ culpâ teneatur.

Si contractus sit in utilitatem utriusque & dantis & recipientis, ut sit in oppignoratione, recipiens tenetur ad restitutionem ex culpa levi & lata; cum enim uterque & dans & recipiens commodum ex hujusmodi contractu expectent, sufficit, ut recipiens exactam diligentiam adhibeat.

Sic si res commodata pereat, cum data sit in utilitatem solius recipientis, perit in damnum solius detinensis, etiam si pereat ex levissima culpâ, à fortiori si pereat ex levi, vel lata culpa. Ita enim habet jus Canon. *Cum gratia sui quis tantum commodatum accepit, de levissima etiam culpa teneatur. cap. Cum gratia. De commodato.*

Sic si res deposita pereat, cum data sit in utilitatem solius dantis, si pereat solum ex culpâ levissimâ & levi, perit in damnum domini, perit vero in damnum detinensis, quando perit ex lata culpa, quæ dolo malo comparatur. Sic enim habet jus civile: *Is, apud quem res aliqua deponitur, ex eo solum tenetur, si quid dolo commiserit. Lib. 3. inst. tit. 15 §. 3.*

Sic si res locata, conducta, oppignorata, vendita pereat, cum data sit in commodum utriusque dantis & accipientis, perit in damnum domini, si pereat ex levissima culpa;

perit verò in damnum detinentis, si pereat ex levi & lata culpa. Ita enim habet jus civile. Lib. 3. inst. tit. 15. §. 4. Loquens enim de oppignoratione sic decernit: *Placuit sufficere si ad eam rem, scilicet oppignoratam, conductam, venditam, custodiendam exactam diligentiam adhibeat, quam si præstiterit, & aliquo casu fortuito rem amiserit, securum esse, nec impediri creditum petere.*

CONSECTARIUM II. *De restitutione or-
ta ex omissione officii.* Quando omissione officii
est damnosa proximo, sequentes possunt sta-
tui regulæ.

Si officium vel publicum vel privatum non obliget ad exactissimam diligentiam, aut ex vi conventionis, aut ex periculo rei, quæ administratur, tunc omittens officium tenetur ad restitutionem solum ex *culpâ levi & lata*, minimè verò ex *levissimâ*; quia sufficit, ut diligentiam communem adhibeat.

Si officium vel publicum vel privatum obli-
get ad exactissimam diligentiam, aut ex vi
conventionis, aut ex periculo rei, quæ adminis-
tratur, tunc omittens officium, tenetur ad res-
titutionem etiam ex *levissimâ culpâ*; quia tunc
oportet, ut exhibeat se diligentissimum.

Sic ob *levem & latam culpam*, minimè verò ob *levissimam* ad restitutionem damnari solent negligentes Medici, Advocati, Judices, Pa-
rochi, artifices, famuli, nautæ, caupones,
stabularii, & alii hujusmodi, quoties in offi-
cio, quod exercent, delinquunt; *ex officio enim*
& professione communem saltem tenentur di-
lignantiam adhibere: Ideò de his dicit jus
Canon. *Si culpâ tuâ, inquit, damnum est da-*

tum... jure super his satisfacere te oportet.
cap. si culpa tua. De injuriis & damno data.

Sic Theologi, Juris-Consulti, Sacerdotes ad restitutionem damnari solent, si ex lata culpa & dolo pravum consilium dederint, determinantes aliquem teneri ad restitutionem, qui non tenetur, vel non teneri, qui re vera tenetur: Id enim videtur expressum in 62. Regula juris in 6. Nullus ex consilio, dum modo fraudulentum non fuerit, obligatur. Et quia lata culpa dolo æquiparatur: Ergo predicti ex lata culpa ad restitutionem obligantur. Addiderim & ego eosdem sæpe ad restitutionem adstringi ex levi culpa; quia tanto muneri non debent se immiscere, nisi soltem communia diligentiae adhibendæ pares sint: Temeritas enim illa lata culpa est, quæ dolo æquiparari potest.

Sic ad restitutionem damnari solent etiam ex levissima culpa, quicumque ultrò ad aliquid præstandum sese offerunt, qui se promittunt diligentissimos; impedient enim, ne id munus diligentiori committatur. Id ita decernit jus civile. L. 3 inst. 28. §. 1. Eo in casu, inquit, ad exactissimam diligentiam compellitur reddere rationem.

Ex levissima etiam culpā ad restitutionem damnari solent, qui suas operas locant in re, quæ singularem diligentiam postulat, v.g. in transferenda columnā, quæ sine magno periculo transferri nequit, in adamante expoliendo, & in aliis similibus rebus, quæ tales sunt, ut facile frangi possint; in his enim conventionibus expressa aut tacita habetur promissio eorum, qui suas operas locant, fore se

CAPUT IV.

*Quinam sint illi, qui post violatam iustitiam
commutativam, & ob id obligati ad restitu-
tionem, possunt tamen absque peccato, vel
restitutionem omnino omittere, vel eam ad tem-
pus differre.*

ARTICULUS UNICUS.

*De causis, quæ etiam post violatam iustitiam
commutativam, vel tollunt obligationem res-
titutionis, vel eam saltem ad tempus suspen-
dunt.*

PROPOSITIO unica. Illud obligatos ad
restitutionem excusat à restitutione, vel ab-
solutè, vel hīc & nūne facienda, quod effi-
cit, ut creditor nequeat exigere rem restituendam,
nisi sit irrationalis & iniquus exactor.

Probatur 1°. Scripturā. Exod. 22. v. 25. sic
habetur: *Si pecuniam mutuam dederis populo
meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis
eum quasi exactor: ergo sicut in aliquibus ca-
sibus creditor non potest justè exigere solu-
tionem, ita etiam in aliquibus casibus qui
Iæsus est, non potest exigere restitutionem:*
*Ergo sicuti solutionem, ita & restitutionem
omittere, vel differre possumus, quoties il-
le qui exigit, haberetur irrationalis & ini-
quus exactor.*

2°. Ex Jure Canonico. cap. Odoardus. De

solutionibus. Ubi Gregorius nonus ex professo definit, quod si Odoardus, qui propter debita fuerat excommunicatus, vel in toto, vel in parte, non possit solvere, sit ab excommunicatione absolveudus: receptâ prius ab eo idoneâ cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat; quia scilicet eo in casu creditor esset exactor iniquus & irrationalis.

3° Ex D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 8. ad 2. ubi sic habetur: *Quando aliquis, inquit, non potest statim restituere, ipsa impotentia absolvit eum ab instanti restitutione facienda; sicut etiam totaliter à restitutione absolvitur, si omnino sit impotens:* Ergo roties obligatus ad restitutionem ab ea vel omnino, vel ad tempus eximitur, quoties impotens est ad restituendum, & quoties creditor iniquus exactor habetur.

4° Ratione. Restitutio est actus virtutis moralis, scilicet justitiae commutativæ: ergo debet regulari per rationem; quia virtus est recta ratio. Debet etiam dirigi per charitatem; quia finis præcepti est charitas: atque & ratio & charitas vetat, ne exigatur restitutio, quoties creditor iniquus exactor haberetur; etenim obligatio dandi non potest urgere, quando est iniqutus exigendi: ergo restitutio roties vel omitti omnino, vel ad tempus differti debet, quoties creditor exactor iniquus haberetur.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Necessitas extre-

ma, vel gravis excusant à restituione; iniquus enim esset creditor, qui debitum exigeret à debitore extreham vel gravem necessitatem patiente; ratio enim dictat, quod ad impossibile nemo teneatur, & proinde quod iniquitas summa sit, si exigas à debitore, quod tibi solvere nequaquam potest.

Sic necessitas extrema vel tua, vel uxoris, vel filiorum, vel parentum, imo & aliquando fratrum, liberat te, quandiu durat, ab omni restituione, etiam si creditor eamdem necessitatem extream patiatur: quia in extrema necessitate omnia sunt communia quoad usum, & potior est conditio possidentis. Ita Silvius, in 2. 2. q. 62. a. 8.

Si tamen creditor ex tua injusta ablatione extream necessitatem patiatur, debes illum ex bonis suis ei injustè ablatis juvare; quia non decet iniquitatem tibi prodesse, dum alter, qui ex tua injustitia damnum passus est, in simili necessitate ex tua etiam culpa versatur. Silvius ibid.

Sic gravis necessitas permittit tibi dilationem restitutio[n]is, etiam si creditor sit in simili necessitate, modo ea necessitas ex tua culpa debitori non obvenerit; gravis enim necessitas, inquit Silvius, vicina est extremæ.

C O N S E C T A R I U M II. Ingens damnum nascens ex restituione excusat à restituione, modo creditor simile damnum non patiatur ob omissam aut dilatam restitutio[n]em; creditor enim iniquus exactor haberetur, si cum ille damnum non patitur, restituionem à debitore exigeret cum maximo danno illius, vel in salute, vel in vita, vel in honore, vel in bo-

nis fortunæ. Ita enim jubet ipsummet jus ci-
vile. Lib. 50. ff. de regulis juris, Reg. 173.
ubi sic habetur: *In condemnatione personarum,
quaे in id, quòd facere possunt, damnantur,
non totum, quod habent, extorquendum est;
sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant.*

Sic excusaris à restitutione, si non possis re-
stituere sine salutis dispendio, v. g. si videas,
quod ob restitutionem, quam meditaris face-
re, & ob inopiam, quam restituendo incur-
res, uxor lapsura sit in adulterium, filiæ tuæ
prostituent se, &c. Item excusaris à restitutio-
ne, si non possis restituere, nisi exponendo te
periculo perdendi vitam, periculo manifestan-
di secretum crimen, quo cognito vel ad mor-
tem damnaberis, vel infamiam incurres: sa-
lus enim æterna, vita etiam temporalis, imò
& bonum nomen, præponderant facultatibus
temporalibus; & proinde iniquus esset credi-
tor, qui restitutionem boni temporalis exi-
geret cum damno tuæ salutis, tuæ vitæ, tui
honoris.

Sic excusaris à restitutione, si eam facere
nequeas, nisi perdendo duplo majus, quam
debeas, quando creditor similem jacturam ex
dilatatione restitutionis non patitur; iniquum
enim videtur, quod creditor exigat debitum
cum tanta bonorum temporalium debitoris
jacturâ. Si tamen creditor similem jacturam
pateretur, teneris restituere; quia in pari cau-
sa melior est conditio creditoris.

C O N S E C T A R I U M III. Lapsus à priori
statu justè obtento excusat à restitutione, mos-
do creditor ex dilatatione restitutionis similem
jacturam non patiatur; irrationalis enim esset

creditor, qui exigeret debitum, cuius solutio statum, vel à piis parentibus acceptum, vel justis mediis acquisitum, omnino disturbaret: sufficit enim ut debitor statum suum minuat, expensis parcat, & omnibus, quibus poterit, modis creditori satisfaciat. Ut enim optimè ait Scotus. in 4. d:st. 15. q 2. *Creditor debet magis velle, ut viteetur magnum incommodum proximi restituenteris, quam modicum incommodum suum in illa modica dilatione.*

Si tamen debitor statum acquisierit mediis injustis, & publicè notis, tenetur statim restituere etiam cum talis status dispendio: decidere enim à tali statu non i: famia est, sed decus, inquit Silvius. Nec is dicendus est statum suum amittere, sed ad priorem reverti; nec ille amittit sua, sed reddit aliena.

Rursùs si statum illum novum acquisierit mediis injustis, sed incognitis, non tenetur statim à conditione illa, licet inuste obtenta, cum sui diffamazione decidere, sed debet sumptibus parcere, sibi necessaria denegare, ut quam citissimè eis, quibus occultè nocuit, occultè impendat, quod eis debetur. Injustus enim esset creditor, qui exigeret publicum fieri crimén, quod occultum est. Quod forte eveniret, si iste à statu suo volens decideret subito. Sed æquissimus est creditor, qui exigit ei occultè reddi, quod ei occultè sublatum est.

CONSECTARIUM IV. Cessio bonorum excusat debitorem à restitutione; est enim cessio dimissio bonorum omnium in manibus creditorum: injustus esset autem creditor, qui à debitore restitutionem exigeret, cum omnia ipsius debitoris bona in sua potestate ha-

beret. Lex vero Julia illud beneficium debitoribus indulxit, *ut cedendo bonis, vinculum, servitum, carcerisque injurias subterfuge-re possint*, inquit Cujacius. lib. 3. observ. cap. 39. Qui cedunt bonis suis, debent omnia sua bona usque ad quadrantem indicare, & indicata relinquere, alias ut reus furti puniri posset. L. 4. Cod. *Qui bonis cedere possunt, ex humanitate tamen vestes quotidianæ eis relinquendæ sunt.* L. 1. C. ibidem. Ex Caroli 5. Constitutione præter vestem & lectum cum suis ornamentis, & ex rebus mobilibus quantum satis est ad usus necessarios minoris pretii relinquitur: durius enim esset debitorem omni veste & necessaria supellectili spoliare, à fortiori reliquenda sunt ea, quæ sunt absolute necessaria ad sustentandam vitam, v. g. instrumenta artis, quibus qui bonis cessit, victimum & vestitum lucrabatur.

Cessio non liberat eminè debitorem à restitutione; sed tantum impedit ne à creditoribus inquietari possit. Ideo qui cessit bonis, manet semper coram Deo obligatus ad restitutionem, donec creditores omne debitum acceperint. L. 4. ff. de Cessione bon. Si postea ad locupletiorem fortunam perveniat, tenetur uti his bonis, quæ post cessionem acquisivit, ut creditoribus satisfaciat: obligatio enim restituendi fundatur in jure naturæ, quod utique semper viget.

CONSECTARIUM V. Legitima præscriptio excusat à restitutione; quia Respublica ut potè bonorum domina transfert dominium legitimè præscribentibus. Quæ sint conditiones legitimæ præscriptionis, diximus supra.

CONSECTARIUM VI. Compensatio legitima excusat à restitutione; quia compensatio est actio, quā quis sumit quod suum est, quod licitum est cum certis conditionibus, ut dictum est, ubi de furto.

CONSECTARIUM VII. Condonatio libera, & non coacta excusat à restitutione; quia quilibet potest dare alteri, quod suum est.

Condonatio debet habere sequentes conditiones. Debet fieri ab eo, qui sit Dominus rei, cuius sit remissio; & ita filius-familias, pupilli, religiosi, qui non habent dominium, condonare non possunt; qui enim nihil habet, libertatem rei alienæ date non potest.

Can. Abat. dist. 54. 2°. Debet esse libera; quia qui coactus dat, non censetur dare, unde si quis vi, minis extorserit remissionem, non excusatur à restitutione. 3°. Debet fieri sine fraude, sine mendacio, sincere exponendo omnia, v. g. qui petit condonationem, debet exponere qualitatem rei ablatæ vel detraictæ, statum suum sine fuso, sine mendacio; quia nemini sua fraus patrocinari debet. 4°. Personæ, quibus sunt condonationes, non debent esse ex iure positivo incapaces hujus condonationis; sic visitatores, qui accipiunt aliquid præter sumptus necessarios, judices, qui aliquid extorquent à clientibus, inquisitores, qui aliquid accipiunt ab his, qui accusantur, Canonici, qui accipiunt quotidianas distributiones, licet choro non interfuerint; hi omnes non excusantur à restitutione, ob condonationem illis factam; quia lex vetat eis fieri condonationem.

CONSECTARIUM VIII. De condonatione

tione circa famam. Diffamatus non potest condonare restitutionem famæ sibi ablatæ , si sit persona publica , imò si sit persona privata , quando diffamatio vergit in præjudicium tertii . Quià nemo potest condonare id , cuius non est Dominus ; qui autem gerit personam publicam , non est Dominus suæ famæ , imò nec privatus , quando ejus diffamatio vergit in præjudicium tertii .

Sic Episcopus , Sacerdos , Parochus , prætor civilis , diffamati non possunt condonare restitutionem infamiae , sed tenentur exigere reparationem .

Sic privatus homo diffamatus , cum ejus diffamatio vergit in præjudicium tertii , v. g. pater diffamatus cum præjudicio familiæ , non potest condonare restitutionem .

Sic homo privatus diffamatus circa crimen inducens diffamationem Ecclesiæ , vel Reipublicæ , non potest condonare restitutionem . Homo privatus diffamatus , quando nullum est præjudicium tertii , juxta Sotum & Sylvium potest condonare restitutionem ; quia est Dominus suæ famæ ; juxta Cajetanum , non potest ; quia non est Dominus famæ suæ , sicuti nec vitæ suæ .

CAPUT V.

De materia restitutionis , sive de rebus , in quibus fieri debeat Restitutio.

ARTICULUS UNICUS.

An res ablata , vel alia similis sit restituenda.

PROPOSITIO unica. Quoties sit restitutio , toties res ipsa ablata debet restitui , si possit , vel si non possit , debet restituui alia æquivalens , & non longè absimilis.

Probatur ratione. Restitutio est actus iustitiae comutativæ , per quam res aliena redditur vero Domino , & damnum illatum reparatur : ergo , si res ablata existat , debet eadem reddi Domino ; si vero non sufficit , debet reddi æquivalens non longè absimilis ut sic damnum compensetur.

Consecaria hujus Doctrinæ

CONSECTARIUM I. Quoties res aliena existit in natura , illa eadem restituenda est , & non sufficit , quod valor ejus restituatur ; res enim quælibet Domino clamat.

Sic qui lædit proximum in corpore , injustè incarcerando , debet ei reddere libertatem ; qui lædit in honore , inhonorando , debet debitam reverentiam rependere ; qui lædit in famâ , diffamando , debet calumniam

retractare ; qui lœdit , inducendo ad peccatum , debet scandalum reparare ; qui lœdit in bonis temporalibus , detinendo rem corporalem vel incorporalem , mobilem vel immobilem , debet statim rem detentam reddere.

C O N S E C T A R I U M I I . Quoties res ipsa ablata non potest restitui , debet restituī quid simile & æquivalens ; quia aliter damnum reparari non potest. Ideo ait script. *qui percussérat animal , reddet vicarium.* Lev. 24. sic qui damnum intulit proximo bona illius destruendo , debet bona destrœta reparare , si possint reparati.

Sic qui damnum intulit proximo , bona illius consumendo , debet bona consumpta æstimare , & valorem illorum reddere.

C O N S E C T A R I U M I I I . Quoties restitui non potest res ejus ordinis , cuius erat res ablata , v. g. amputato brachio , non potest redi brachium , runc reparatio debet fieri per rem alterius ordinis , vel inferioris vel superioris. Hoc innuit scriptura Exod. 21. *si percussérat quispiam oculos servi sui , aut ancillæ , & lippos eos fecerit , dimittet eos liberos pro oculo , quem eruit ; ubi oculus erutus libertate compensatur.* Et D. Thom. in quibus non potest recompensari æquivalens , sufficit , quod ibi recompensemetur , quod possibile est. *Sicut palet de honoribus , qui sunt ad Deum & ad parentes.* 2. 2. q. 62. a. 2.

Sic ut optimè monet Cajetan. post D. Thom. *damna vitæ , membrorum , sanitatis , libertatis , honoris , famæ , jurium , fructuum , seminum , damni emergentis , vel lucri cessan-*

504 MORALIS CHRISTIANA.
tis , & similiū restituenda sunt , ut possibile
est , in bonis aliquibus loco damnorum , ita
ut boni viri arbitrio satisfactum reputetur ,
quantum ad quid

Sic cum aliquis alicui abstulit membrum ,
debet ei recompensare , vel in pecuniis , vel
in aliquo honore consideratā conditione utrius-
que personæ , secundum arbitrium boni viri .
D. Thom. Ibid.

Sic cum aliquis substulit alicui sanitatem
corporalem , integratam Virginalem , debet
illa bona per res alterius ordinis compensare ,
v. g. per pecunias , per exhibitionem honoris ,
per preces erga Deum fusas .

Sic cum quis lēdit proximum in bonis ani-
mæ , v. g. inducendo vel in errorem , vel in
peccatum , restitutio debet fieri hoc pæcto ,
inquit Cajetan. verb. restitutio. De bonis autem
animæ , inquit , si pertinent ad partem intellec-
tivam , ut si quis damnificavit , docendo aliquem
falsa , tenetur restituere , docendo vera , vel
saltē significando illi , quod falsa sunt , quæ
docuit : si autem pertinent ad partem affectivam ,
ut sunt illa , quæ pertiñent ad mores , que non
possunt ab invito tolli , nec ab altero restitui ,
tunc tenetur dare operam , ad reducendum eun-
dem ad bonos mores , si potest , vel saltē oratio-
nibus , jejuniis , elemosinijs juvare illum , ut
resipiscat .

CAPUT VI.

*De quantitate restitutionis
sive.*

Quantum crescere debeat restitutio, ut perveniat ad aequale.

ARTICULUS I.

*Ostenduntur quædam notiones ad mensurandum
quantitatem restitutionis necessariæ.*

§. I.

*De variis modis, quibus res aliena & acquiri,
& possideri potest.*

Res aliena & acquiri, & haberi potest, tripliciter, scilicet bonâ fide, malâ fide, dubiâ fide.

Res aliena acquiritur, & possidetur bonâ fide, quando ex ignorantia inculpabili credimus rem, quam acquirimus, vel possidimus, justo titulo acquiri, & possideri, licet in rei veritate res illa vel malè acquiratur, vel malè possideatur.

Res aliena acquiritur, & possidetur malâ fide, quando eam vel falso titulo acquirimus vel falso titulo possidemus, scientes rem illam vel malè acquiriri, vel inique possideri.

Res aliena acquiritur, & possidetur dubiâ fide, quando dubium probabile suggerit, locum esse timendi, ne res, quam acquiri-

mus , vel possidemus , falso titulo acquisita fuerit , vel falso titulo possideatur.

Res aliena potest haberi , vel in seipsâ , vel in sui valore ; res habetur in seipsâ , cum habetur res in suâ naturâ , v. g. equus , liber , &c.

Res habetur in sui valore , cum non habetur res in suâ naturâ , sed habetur illius pretium , vel habetur res propria conservata , quæ consumpta fuisset , nisi intervenisset usus rei alienæ.

§. I I .

Qui & quot possint esse fructus unius & ejusdem rei.

Fructus alii sunt naturales , alii industriales , alii mixti.

Fructus naturales sunt ii , quos res ipsa fert , quasi sine ullo hominum labore , ut foetus animalium , arborum fructus , sylvarum , & pratorum germina.

Fructus industriales sunt illi , quos hominum profert industria , quasi sine ullo naturæ adjutorio , ut sunt fructus ex negociatione percepti.

Fructus mixti sunt illi , qui æquè ex industria hominum , quam ex germinatione rerum emanant , ut segetes , quæ serendo gignantur , oleum , vinum , quæ non sine multâ industria , istud ex uvis , illud ex olivis ex primitur.

ARTICULUS II.

*De æqualitate, quæ reperiri debet in restitu-
tione facienda.*

PROPOSITIO unica. In foro interiori restitutio debet solum fieri secundum damnum illatum proximo, sed in foro exteriori restitutio debet fieri, non solum secundum damnum illatum parti lœsæ, sed secundum multam legitimè inflictedam à judice.

Probatur ratione. Restitutio in foro interiori debet reparare solum damnum illatum; in foro vero exteriori debet reparare culpam commissam: ergo reus antequam sit condemnatus per judicem, non tenetur restituere plus quam accepit; sed postquam condemnatus est, tenetur damnum solvere, & poenam subire.

Consecraria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Quamvis vita, honor, virginitas essent bona, quæ ablata nullam jure naturæ inducerent obligationem restituendi; tamen, post latam judicis sententiam, reus tenetur solvere, quod præscripsit judex, sive pro homicidio, sive pro mutilatione, sive pro defloratione, sive pro adulterio.

CONSECTARIUM II. Confessarius in foro interiori judicans, debet ad isthac omnia attendere. 1°. An res ablata sit sine pretio, ut vita hominis; an sit pretio æstimabilis, ut res in commercio hominum positæ. 2°. An sit

certi pretii, ut fundus; an incerti, ut res, quæ consistunt in jure. 3°. An sit sterilis, ut argentum; an frugisera, ut fundus, animalia. 4°. An secum trahat lucrum cessans & damnum emergens, vel solam sui importet ablationem. Item attendat Confessarius, an qui debet restituere, sit possessor bonæ, vel malæ, vel dubiæ fidei. Juxta enim illa omnia diversæ statuuntur regulæ, quibus restitutio ad æqualitatem reducitur.

ARTICULUS III.

De mediis, quibus restitutio reduci potest ad æqualitatem.

PROPOSITIO unica. Ut restitutio fiat ad æqualitatem, & res quæ ablata est, & res quæ redditur, debent considerari in se, & in omnibus adjunctis, & juxta omnium illarum rerum circumstantias æstimari.

Probatur ratione. Tunc restitutio fit ad æqualitatem, cum res ablata & reddita ad invicem comparatae æqualis sunt valoris apud homines, ut patet: atqui ut sint æqualis valoris, & res quæ ablata est, & res quæ redditur, debent in se & in adjunctis circumstantiis considerari, ut neutra aliam excedat: ergo, cum sit restitutio, res quæ ablata est, & res quæ redditur, debent in se & in circumstantiis adjunctis æstimari; & ad æqualitatem reduci.

consecataria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Res , quæ sunt determinati pretii , ut pecuniæ ; & res omnes , quarum pretium fixum est à Republicâ ; res , quæ sunt determinati numeri , ut oves mille , mille nummi , &c. determinatæ mensuræ , ut mille cadi vini , olei , &c. determinati ponderis , ut mille libræ plumbi , ferri , &c. debent primò restitui in eadem quantitate , secundò quantum fieri potest in eodem valore , ut sic res , quæ ablata est , & res , quæ redditur , non se excedant , sed ad perfectam æqualitatem reducantur.

C O N S E C T A R I U M II. Res , quæ non sunt pretio æstimabiles apud homines , ut est vita , sanitas , integritas Virginalis , honor , fama , debent ad aliquod pretium reduci , ad arbitrium viri prudentis , & juxta illud pretium debet fieri restitutio parti læsæ . Arbitrium autem censebitur prudens , quando vita , sanitas , honor , fama reducentur ad idem circiter pretium , quod statuerunt judices infligentes multam parti læsæ attribuendam ; atque ideo pro danno personali vitæ ablatae , sanitatis alteratae , Virginitatis corruptæ , honoris læsi , famæ denigratae , eadem circiter summa pecuniæ poterit exigi in foro interiori ab eo , qui læsit , ad quam judex cum damnasset in foro exteriori , si actio illa deduc ta fuisset ad forum contentiosum ; sic enim res , quæ ablata est , & res quæ redditur , non censemebuntur se excedere.

C O N S E C T A R I U M III. Res , quæ sunt

510 MORALIS CHRISTIANA;

crescentis & decrescentis pretii, modo majoris, modo minoris emuntur, ut sunt res usuales, v. g. frumentum, vinum, oleum; res, quæ sunt materia artis, v. g. linum, lana, metalla, debent reddi juxta vulgare pretium, non ascendendo ad supremum, nec descendendo ad infimum; eo enim pacto res ablata & redditæ non se excedunt, sed, ut fieri potest, ad æqualitem reducuntur.

CONSECTARIUM IV. Res, quæ sunt voluntarii pretii, ut libri, picturæ, Margaritæ, canes, si res similes haberi non possunt, debent reddi juxta pretium communius, quo ut plurimum emi, & vendi solent à cor- datis hominibus; hoc enim pacto res ablata & redditæ ad æqualitatem reducuntur.

CONSECTARIUM V. Res, quæ sunt frugiferæ, vel sponte suâ, ut animalia fœcunda, quales sunt oves, vaccæ, quales sunt etiam Sylvæ, prata; velquæ sunt frugiferæ partim ex natura, partim ex industria, ut fundus, qui aratur, & seritur: illæ, inquam, omnes res debent æstimari unâ cum fructibus, & valor tum rei, tum fructuum debet reddi de- ductis expensis, aliâs enim res non reduceren- tur ad justam æqualitatem.

CONSECTARIUM VI. Res, quæ sunt in spe frugiferæ, ut arbores recens plantatæ, semina terræ mandata, merces negotiationi expositæ, animalia recenter nata, debent æstimari secundum probabilem earumdem re- rum utilitatem; tale enim damnum non oportet compensare ex æquo; quia minus est habere ali- quid virtute, quam habere actu, inquit D. Th.

CONSECTARIUM. VII. Res, quæ sunt omnino steriles, ut res usuales, argentum, aurum, vinum, oleum, frumentum, si factæ sunt frugiferæ per industriam acipientis, debent æstimari secundum valorem, quem habent ex se, & non secundum utilitatem, quam ob industriam accipientis acquiserunt; res enim exactè ad æqualitatem reducentur, si detur, quod ablatum est, et si non reddatur, quod per industriam acquisitum est.

CONSECTARIUM VIII. Res, quæ secum trahunt lucrum cessans, & damnum emergens, ut pecuniæ ablatæ negotiatori, instrumentum artis ablatum artifici, debent æstimari, non solum in seipsis, sed etiam in cum lucris cessantibus & damnis emergentibus; aliàs non esset æqualitas inter rem ablatam, & redditam.

PROPOSITIO II. Ut restitutio fiat ad æqualitatem, res ablata debet æstimari, non juxta utilitatem, quam lædens percepit, sed juxta detrimentum, quod læsus passus est.

Probatur ratione. Tunc restitutio fit ad æqualitatem, quando damnum illatum compensatur: ergo in restitutione facienda non attendi debet emolumentum, quod lædens percipit, sed damnum, quod læsus patitur; solet enim plerūque evenire, ut lædens nihil lucri percipiat ex injustâ sua actione, ut contingit in homicidio, stupro, adulterio, incendio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. *De quantitate restitutionis propter læsionem corporalem.* Qui injustè occidit, mutilat, percutit, debet aliquid restituere, primò pro damno personali, deinde pro damno reali; alias enim restitutio non reduceret res ad æqualitatem, cum Iæsus, & damnum personale, & damnum reale pañius fuerit.

Damnum personale, est ipsa vita ablata, membris abscissum, vulnus inflictum, quæ omnia æstimati debent arbitrio viri prudentis, ut pro illis fiat compensatio.

Damnum reale est vel lucrum temporale cessans, vel damnum temporale emergens ob injustam illam occisionem, mutilationem, & percussionem, quod damnum pariter æstimari debet, ut pro illo pariter damno compensatio fiat.

Sic solvendæ sunt non expensæ solitæ funeris; hæ enim evenissent, etiam si mors naturalis contigisset, sed expensæ extraordinariæ funeris, si quæ factæ sint, expensæ factæ in curatione & medicamento vulnerati, vel occisi; hæ enim damnum pariunt ex injusta actione emergens.

Sic rependenda sunt lucra, quæ homo occisus vel vulneratus & arte suâ, vel suo commercio asseditus fuisset probabiliter; tunc enim est lucrum cessans.

CONSECTARIUM II. *De quantitate restitutionis propter stuprum illatum.* Qui Virginem invitam & reluctantem vel vi, vel fraude

fraude defloravit , debet reparare & damnum personale , & damnum reale , & damnum honoris ; alias enim restitutio non reduceret res ad æqualitatatem. Ita D. Thom. 2. 2.
q. 62. a. 2.

Damnum personale est ipsa Virginitas ablatâ injutiosè , damnum reale est lucrum temporale cessans , vel damnum temporale emergens ob talēm deflationem , damnum honoris est ipsa Virginis & parentum diffamatio. Hæc omnia æstimanda sunt , & juxta prudentiū æstimationem compensanda.

Sic pro Virginitate erepta tenetur *deflator* , inquit Sylvius , ad arbitrium prudentis viri aliquid tribuere , ut sic satisfaciat pro injuriâ , nisi remissionem obtinuerit. In 2. 2. q. 62. & Salmaticen. In quocumque eventu debet *Confessarius* , inquiunt , aliquam pœnam pecuniariam violatoribus diviis imponere , Virginis defloratæ solvendam.

Sic pro damno reali. 1°. Solvendæ sunt à defloratore omnes expensæ necessariæ , ad occultandam deflationem , ad nutriendam , & educandam prolem , si fœtus nascatur. 2°. Solvendum est augmentum dotis necessarium , ut Virgo deflorata æquè decenter nubat , ac si hæc injuria ei violenter non illata fuisset.

Sic pro damno honoris ablati tum Virginis , tum parentibus Virginis , deflator tenetur Virginem à se corruptam , si non sit disparis conditionis , in uxorem ducere , aut si nolit Virgo , aut ille sit longè superioris conditionis , tenetur eam dotare ; quià non potest aliter honoris illius reparare jacturam.

CONSECARIUM III. De quantitate
Tome IV,

restituti*nis facienda* propter adulterium. Cum ex adulterio scitur certo secutam esse prolem, adulter & adultera tenentur ad restitutionem omnium damnorum realium, & ad reparationem injuriæ factæ parti læsæ, si ei hæc injuria innotuerit; aliás enim restitutio non reduceret rem ad æqualitatem.

Dannum reale ex adulterio sequens est dannum illatum, vel patri putativo, qui nutrit filium spurium, vel legitimis hæredibus, quibus substituitur spurius, vel hospitali, in quo nutritur spurius, quando ejus parentes non sunt pauperes.

Dannum personale est injuria illata adulteræ, si vi coicerit, & injuria illata marito, si ipse resciverit adulterium, quamvis ipsa consenserit.

Sic reparanda est injuria tam marito quam adulteræ illata; quia injustè ablatus est honor, de quo ita Sylvius. *Etiam si ex adulterio non sequatur proles, ille qui vim, fraudem, aut minas adhibuit, tenetur pro tali injuriâ satisfacere, ad arbitrium viri prudentis.* Si ex adulterio non sequatur proles adulter & adultera tenentur satisfacere marito pro injuriâ, si ipse resciverit adulterium; si autem non resciverit non tenentur; quia hæc satisfactio non est facienda, nisi per signa doloris, venie petitionem, quæ fieri non debent, quando hanc injuriam maritus ignorat. In 2. 2. q. 62.

Sic adulter & adultera tenentur reparare omnia damna realia, quando secuta est processus, v. g. 1º. adulter & adultera tenentur nutritæ prolem, tamque educare. 2º. Si proles spuria dotetur, vel hæres instituatur in dam-

num legitimorum heredum , debent illud
damnum reparare adulter & adultera , singulis ,
inquit Sylvius , pro rata , uno autem deficiente
alter in solidum obligatus est ; quia uterque est
illorum damnorum causa. Hæc conclusio , inquit
idem Sylvius , debet intelligi , quando adulter
& adultera se invicem provocant. Alioquin si
adulter adulteram provocavit , & ad adulterium
induxit , ipse in solidum obligatur ad omnia dam-
na , en quod sit causa principalis . . . ipso tamen
deficiente adultera tenetur in solidum ; quia vo-
luntariè fuit cooperata ad damnificationem. Sylvius

Adulter tenetur ex suis bonis satifacere ,
adultera ex bonis paraphernalibus , si habeat ,
vel debet industriā suā damnum compensare.
1°. Diligentiū administrando rem familia-
rem. 2°. De cultu corporis detrahendo. 3°.
Spurium inducendo ad religionem , vel ad sta-
tum Ecclesiasticum , si idoneus sit. 4°. Multis
demū orationibus , & assiduā pœnitentiā
Deum flectendo.

Dixi , si certò sciatur secutam esse problem
ex adulterio , obligatio est restituendi ; nam
adulter & adultera ad nullam restitutionem
tenantur , si moraliter certi sint problem natam
non ex adulterino concubitu provenisse ; si
dubitent cum fundamento , tenentur ad aliquam
restitutionem : res autem tandem est dubia ,
quandiu non sunt certa argumenta contra sua-
dentia , qualia essent , si maritus esset absens
tempore conceptionis. Quandiu res est dubia ,
filius non tenetur leviter credere matri affe-
renti eum esse spurium. Quod si mater in mor-
tis articulo versata . & Ecclesiæ Sacramentis
munita , nullo aliundè flagrans odio in fi-

lium , ei declararet eum esse spurium ...
Quamvis in foro externo semper præsumitur
 pro thoro , & filius pro hærede habeatur ,
 tamen filius in tam aperta & sincera matris
 confessione , videtur obligati in conscientiâ ,
 ut sese gerat , tanquam illegitimum .

C O N S E C T A R I U M IV. De quantitate
 restitutio*nis facienda ob famam læsam*. Ut resti-
 tutio famæ fiat ad æqualitatem , eadem fama
 debet reddi diffamato , quæ ei substracta est ,
 & damnum personale & reale , si quod creatum
 est , reparari ; aliàs non fieret ad æqualita-
 tem , sicut in restituzione temporalium tanta
 summa restitui debet , quanta ablata est .

Sic si falso proximum mendacem dixeris ,
 debes eum declarare veracem ; si injustum
 asserueris , debes justum proclaimare . Non
 sufficit ad reparationem famæ ablatae nar-
 rare pœnitentiam ejus , qui diffamatus est ;
 quia narrando pœnitentiam , fama aliquando
 non reparatur , ut patet exemplo Virginis de-
 floratæ , cujus fama non reviviscit , licet
 pœniteat . Ita Sylvius .

Sic si diffamando proximum , temporale no-
 cumentuin ei attuleris , v. g. diffamando Vir-
 ginem , in causâ sis , cur dos adaugenda sit ,
 debes ipse dotem adaugere ; si diffamando
 artificem , in causa sis , quod familiam nu-
 trire non valeat , debes ipse familiam nutrire .

Sic si proximum diffamando , injustè inno-
 centem morti addici feceris , debes etiam cum
 vitæ propriæ dispendio , innocentem à morte
 liberare : quia æquius est reum calumniatorein
 mori , quam innocentem perire .

Sic si proximum diffamaveris calumniando ,

debēs te calumniatorem declarare iis, apud quos pervenit calumnia, verbis si calumnia facta sit verbis; scripto, si calumnia facta sit scripto.

C O N S E C T A R I U M V. De quantitate restitutio[n]is faciendae ob honorem Iesum. Ut restitutio honoris fiat ad æqualitatem, honor idem, qui ablatus est, aut denegatus, debet reddi; quia alias non fieret ad æqualitatem.

Sic qui ignoranter laſtit honorem alterius, satisfacit, ignorantiam confitendo. Ita fecit Paul. act. 23. nesciebam fratres, quia princeps est Sacerdotum, addens statim; populi tui principem non maledices.

Sic qui privative inhonoravit proximum; non exhibendo ei reverentiam, quam debet bat, satisfacit, debitam exhibendo reverentiam, v. g. salutando, si omiserit salutacionem, visitando, si invisere omiserit.

Sic qui positive inhonoravit proximum, satisfacit, vel per venie petitionem, vel per manifestationem amicitiae, prout opportunius judicabitur: non enim ut plurimum decet ut superior veniam petat ab inferiori in vulgaribus injuriis: ne inquit Aug. Epist. 109. dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur autoritas. Tanta tamen potest esse injuria, ut non solum requiratur venie petitio, sed alia signa honoris, & submissionis adhibenda sint, non solum ab æquali, sed etiam à superiore.

ARTICULUS. IV.

De quantitate restitutionis facienda à possessori-
bus malæ fidei.

PROPOSITIO unica. Ut restitutio reducatur ad æqualitatem , acceptor , & possessor malæ fidei tenentur & rem ipsam , & fructus rei nedum perceptos , sed etiam ex incuria neglectos , attamen à vero Domino percipiendos , demum omne lucrum cessans , & omne damnum emergens reparare , sive possessor malæ fidei eo sit factus dñior , sive non , sive res ablatæ existant , sive non existant.

Probatur primò ex jure canonico. Mandamus , quatenus si vobis constiterit de præmissis , prædictum Archidiaconum ablata prænominati Monasterii fratribus cum integritate restituere , damna plenariè refarcire , & de illatis injuriis competenter satisfacere compellatis , provisuri , ut non tantum fructus à novo & violento possessore perceptos , sed quos , si iis possidere fuisset licitum , possessores veteres percepissent , reddi faciatis eisdem. De restitut. spoliatorum. cap. gravis.

2º. Ex jure civili. Domum , quam ex matris successione ad te pertinere , & ab adversa parte injuriā occupatam esse ostendis , Præses Provinciæ cum pensionibus , quas percepit , aut percipere poteras , & omni causa damni dati , restitui jubebit. L. domum C. de rei vind.

3º. Ratione. Injustus acceptor , & injustus detentor non potest aliter damnum illatum

reparare ; quippe cum rem alienam injustè acceperit , non potest eam detinere , & cum injustè detineat , non potest ejus fructus sibi attribuere, sed debet & rem & fructus rei vero Domino reddere ; quia res & Domino clamat , & Domino fructificat.

Consecaria bujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I . Qui accipit rem alienam injustà subreptione , v. g. occultè furando , vel palam rapiendo , tenetur & rem reddere , & omnia damna illata reparare ; quia est injustus acceptor.

C O N S E C T A R I U M II . Qui accepit rem alienam injustà donatione , v. g. hæres sive necessarius , ut filii , sive non necessarius , ut extranei , tenentur restituere bona omnia , & fructus bonorum , quæ ex hæreditate obveniunt , si sciant esse injustè acquisita , v. g. furto , rapinâ , usurâ ; quia hæreditatis aditio non dat jus ad bonum alienum : nemo enim transferre potest in alium plus juris , quam ipse habeat ; quod adeo verum est , ut si quis hæres crederet initio se accepisse hæreditatem , in quâ nihil sit nisi justè acquisitum , si tamen deinde advertat , esse aliquid injustè acquisitum , debet reddere ; quia cum sit successor universalis , unam & eamdem personam facit cum testatore.

C O N S E C T A R I U M III . Qui accipit rem alienam injusto contractu , v. g. emit mala fide rem furtivam , tenetur reddere rem furtivam unâ cum fructibus à vero Domino percipiendis , nec potest pretium datum exigere à

Domino, sed solum à latrone. Quia emptio facta malâ fide non dat titulum. De quo ita sanctus Raymundus lib. 2. de' raptoribus.

Quando quis malâ fide emit, tenetur indistincte ad restitutionem, nec liberatur vendendo, vel alias rem alienando alteri, vel etiam si res pereat morte, vel alio casu, vel sibi violenter auferatur, vel furtive substrahatur, vel alio simili modo. Et hæc est ratio, quia furium complicit, contrectando rem alienam invito Domino, & semper est in morâ restituendi; unde nec premium, quod dedit, poterit repetere ab illo, cuius est res, nec expensas, quas ibi fecit, & omnem utilitatem, quam ex illâ re habuit, teneatur restituere.

C O N S E C T A R I U M IV. Qui rem alienam malâ fide accipit aut possidet, v. g. furto, donatione injustâ, contractu iniquo, si hæc res casu aliquo pereat, quo apud verum Dominum non periiisset; à fortiori, si pereat culpâ injusti possessoris, tenetur eam injustus possessor solvere Domino: quia est injustus detentor. Si vero æquè periiisset apud Dominum, juxta Covarruviam non tenetur solvere; quia si æquè peritura erat, in hoc nullum damnum fecit Domino.

C O N S E C T A R I U M V. Qui rem alienam malâ fide accipit aut possidet, tenetur & omnes fructus perceptos extantes aut consumptos restituere; quia illi fructus Domino clamant: tenetur etiam restituere omnes fructus percipiendos à vero Domino, et si ex negligentia non fuerint ab injusto possessore percepti; quia est causa injusta talis damni. Demum debet omne lucrum cessans, & damnum

emergens conpenfare ; quia est causa illius nocumenti. Sic si Dominus retentâ suâ re per culturam , per negociationem accepturus fuisset centum florenos , et si injustus possessor vel minus vel omnino nihil perceperit , tenetur tamen centum florenos reddere. De fructibus vero , quos neque possessor malæ fidei percepit , neque verisimile est Dominum percepturum fuisse , quamvis potuissent à diligenter aliquo possessore percipi , probabile est quod ante sententiam judicis , non tenetur in conscientiâ eos solvere. Ita Sylvius.

CONSECTARIUM VI. Qui rem alienam malâ fide accipit aut possidet , tenetur eam unâ cum fructibus propriis expensis in manibus veri Domini collocare , deductis tamen illis expensis , quas verus Dominus fecisset ; quia secùs non repararetur damnum illatum proximo : æquitas enim postulat , ut qui damnum passus est , præstetur indemnus , & qui damnum fecit , gravetur.

CONSECTARIUM VII. Qui in ipso possessionis exordio bonam fidem habuit , & ex postfacto in possessorem malæ fidei degeneravit , tenetur omnes restituere fructus , quos perseverante malâ fide percepit : sicut & quilibet alius iniquus rei alienæ possessor aut detentor ; ab illo enim tempore est possessor malæ fidei.

CONSECTARIUM VIII. Qui initio malâ fide accepit per errorem conscientiæ , & posteâ deposito errore conscientiæ , videt se justum habere titulum possidendi , pœnitentiat peccati , quod commisit possidendo con-

trà conscientiam, sed non tenetur ad restitu-
tionem; quia non possidet contra justitiam.

ARCICULUS V.

*De quantitate restitutionis facienda à possidente
bonæ fidei.*

PROPOSITIO unica. Ut restitutio re-
ducatur ad perfectam æqualitatem, ac-
ceptor & possessor bonæ fidei non tenetur
durante bonâ fide restituere rem alienam,
neque fructus illius, sed potest & rem &
fructus rei durante bonâ fide alienare, con-
sumere, sed cessante bonâ fide ante præscrip-
tionis tempus tenetur & rem ipsam, quam ha-
bet, & totum illius rei, quod retinet, & id
omne, in quo factus est ditior, restituere.

Probatur ratione. Bona fides est justus ti-
tulus acquirendi: ergo quandiu durat bona
fides, acceptor & possessor bonæ fidei potest
de rebus alienis non secus ac de suis disponere,
& ita absque onere restitutionis potest rem
alienam vendere, dare, consumere, &c. sed
cessante bonâ fide ante præscriptionis tempus
res dignoscitur aliena: ergo hoc ipso tenetur,
& rem ipsam, & totum illius rei, quod reti-
net, & id omne, in quo factus est ditior, res-
tituere deductis expensis; alias enim injustè
detineret alienam rem. Tenetur rem restituere;
quia res Domino clamat; tenetur fructus
restituere; quia res quævis Domino suo fructi-
ficat; expensæ debent deduci: quia locupletari
non debet aliquis cum alterius jaæturâ.

Consecataria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Si quis bonâ fide accipiat rem alienam , nesciens esse alienam , sive accipiat , quia ei gratis datur , vel quia ei venditur , potest de cā re & de ejus fructibus quasi de suo disponere ; quia est possessor bonæ fidei.

C O N S E C T A R I U M I I. Si quis bona fide consumat rem alienam usualem , nesciens esse alienam & ipso usu non fiat ditior , ad nullam restitutionem tenetur ; quia est consumptor bonæ fidei.

Sic manducans bonâ fide res furto subreptas , nesciens esse subreptas , utens bona fide vestibus subreptis , nesciens esse subreptas , si ob id rebus suis non pepercit , ad nihil tenetur ; si verò pepercit , & aliquid lucri fecerit , tenetur restituere lucrum perceptum & adhuc permanens.

Sic donatarius bonæ fidei , emptor bonæ fidei , non tenentur 1º. Rem donatam sibi , vel sibi venditam solvere , si consumperint : non tenentur . 2º. fructus naturales vel civiles ex re donata vel empta provenientes , si consumpti fuerint , restituere.

C O N S E C T A R I U M III. Si quis bonâ fide accipiat rem alienam , & advertat esse alienam re adhuc integrā , hoc ipso tenetur eam reddere ; quia aliàs detineret alienum.

Sic donatarius bonæ fidei , emptor bonæ fidei , hoc ipso quod advertit se detinere alienum , debet illud reddere tale , quale accepit.

CONSECTARIUM IV. Si quis bonâ fide accipiat rem alienam , & re consumptâ in se , sed remanente in valore , advertat se accepisse alienum , tenetur totum premium illius rei reddere .

Sic si donatarius vendiderit rem , quam dono acceperat , & premium rei venditæ apud se habeat , tenetur non rem , quam non habet , sed premium rei , quod habet , reddere .

Sic emptor bonæ fidei , qui vendidit rem furtivam pluris , quam emerat , non tenetur rem reddere , quam non habet , sed pretii excessum , quem habet , tenetur reddere .

ARTICULUS VI.

De quantitate restitutionis faciendæ à possessore dubiæ fidei.

PROPOSITIO unica. Ut restitutio reducatur ad perfectam æqualitatem , possessor , qui initio fuit bonæ fidei , postea factus est dubiæ fidei , tenetur adhibere prudentem diligentiam , ut cognoscat , quisnam sit Dominus verus rei , quam dubiâ fide possidet , & reddere eam vero Domino hoc ipso , quod illum noverit .

Probatur ratione. Dubium tollit bonam fidem , & facit iniquum possessorem ; qui enim agit in dubio , peccat ; quia se exponit periculo injustum detinendi , etiamsi reverâ injustum non detineat ; & peccat , quamdiu stante dubio non nititur verum inquirere Dominum ; qui enim amat periculum peribit in illo : ergo possessor dubiæ fidei tenetur adhibere prudentem

tem diligentiam, ut cognoscat verum possessorem, & rem, quam dubiâ fide possidet, eidem reddere.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Qui bonâ fide accipiunt hæreditatem, quam putant justè partam, sive hæres sit necessarius, ut filius, sive non necessarius, ut exitaneus; si postea dubitent, an delata hæreditas sit injustè parta, necne, tenentur diligenter inquirere Dominum, eique restituere, quod injustè ablatum est.

C O N S E C T A R I U M I I. Emens bonâ fide, & postea dubitans, an res à se empta sit ablata, nec ne, tenetur inquirere verum Dominum, eique restituere.

C O N S E C T A R I U M I I I. Cum initio possessio incepit à bonâ fide, & postea supervenit dubia fides, illis in casibus dubiæ fidei, si possessor adhibitâ diligentî inquisitione non possit verum Dominum invenire, potest rem vel donatione acceptam, vel emptione acquisitam retinere, & fructus ejus facere suos, donec dubium magis elucidetur, imò potest eam vendere, modò emptorem præmoneat de dubio, nec tenetur ob solum dubium se spoliare, & rem alteri reddere; quia in dubiis melior est conditio possidentis, quando bona fides incepit possessionem.

C O N S E C T A R I U M I V. Qui dubitans rem esse alienam, tamen eam accipit, peccat mortaliter; quia agit in dubio, & tenetur diligenter inquirere, an verè furtiva sit; quo

comperio debet eam cum fructibus etiam consumptis restituere ibi , ad quem pertinet , neque potest eam tradere ei , à quo accepit , quia res Domino clamat. Ita Sylvius.

Si vero post diligentem inquisitionem remaneat dubium , tenetur cum eo , de quo dubitat , an sit ipsius , plus minusve dividere pro quantitate dubii , & inclinationis , quam habet de illo , quod res ipsi debeatur : etsi sit personæ notæ , suam partem ei tribuat , si ignotæ , pauperibus. Ita Sylvius.

CONSECTARIUM V. Qui dubitat rem quampiam esse alienam & tamen eam accipit per viam donatinnis , permutationis , emptionis , eo animo ut veritatem inquirat , & cum constiterit esse alienam , eam suo Domino tradat , non peccat ; quia Dominus non potest rationabiliter esse invitus contra eum ; potius ei Beneficium facit , quam injuriam ; cum alioquin ea res fortasse numquam esset ei restituenda , & tenetur veritatem inquirere , ut eam reddat Domino ; & interim potest eam retinere , cum voluntate reddendi ; quando constiterit esse alienam. Ita Sylvius.

CAPUT VII.

Quo pacto debeat fieri restitutio.

ARTICULUS I.

Cui personæ debeat fieri restitutio.

PROPOSITIO unica. In restitutione res ablata debet ei reddi, qui ex ablatione, vel detentione injustâ damnum patitur.

Probatur 1º. Ex scripturâ. Lucæ 19. v. 8. Zachæus .. protestatur se velle ei, quem læserit, compensationem excedentem exhibere. Sic enim habet: *ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, redde quadruplum:* ergo restitutio facienda est ei, qui læsus est.

2º. Ex D. Thm. 2. 2. q. 62. a. 6. qui habet ultrâ id, quod suum est, debet ei substrabi, & dari ei, cui deest, scilicet injuste ablatum, secundum formam commutativæ justitiae: ergo restitutio debet fieri ei, qui damnum passus est.

3º. Ratione. Restitutio eò tendit, ut damnum reparetur; ergo, res ablata debet reddi ei, qui ex injustâ ablatione, vel detentione damnum pateretur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. In restitutione orた ex homicidio, mutilatione, percussione, pretium damni personalis debet dari læso;

quia hic solus damnum ex homicidio passus est ; & ita si obierit , debent pro illo fundi preces , offerri sacrificia , & si supervixerit mutilationi , & percussione , pretium damni personalis illi dari debet .

Pretium damni realis debet dari læso , si supervixerit ; quia hic damnum patitur ; si obierit , dari debet suis hæredibus necessariis ; quia hi damnum pati censentur , cum sint una & eadem persona cum defuncto . Imò debet dari hæredibus non necessariis & creditoribus ; quia homicidium istud est causa , cur illi hæreditatem sibi destinatam non obtineant , & cur isti rem sibi debitam non acquirant .

C O N S E C T A R I U M I I . In restitutione ortâ ex adulterio , pretium damni realis debet dari illi , qui damnum patitur . Pretium nutritionis , & educationis debet dari illi patri putativo , qui infantem spuriū sibi suppositum nutritivit ; quia non pater putativus , sed veri parentes debent nutritre filium . Pretium nutritionis dari debet Xenodochio , si Xenodochii expensis sustentetur ; quia , ut optimè monet Caj. bona hujusmodi hospitalium non in dicitum , sed pauperum adminiculum sunt , & quantum consumunt à non pauperibus , tantum indigentibus admittuntur . *V adulterium.*

Si filius spurius fuerit dotatus , aut hæres institutus ab eo , qui non est verè pater , in præjudicium legitimæ prolis , vel legitimi hæredis , pretium hæreditatis , aut donationis debet redi vero hæredi ; quia ille damnum passus est .

C O N S E C T A R I U M III . In restitutione ortâ ex stupro , pretium Virginitatis ablatae ,

& honoris ablati debet dari Virgini corruptæ, quia hæc damnum passa est ; pretium vero dotis, quæ à parentibus adaugeri debuit ob stuprum violenter illatum, parentibus debet restitui in eâ quantitate, juxta quam crevit dos ratione stupri.

C O N S E C T A R I U M I V. In restitutione ortâ ex diffamacione fama debet restitui ei, à quo ablata est, & pretium damni realis secuti ex diffamacione, debet reddi diffamato ; quia ille damnum reale patitur, & si damnum reale extendatur ad alios, putâ cum pater diffamatus ob diffamacionem non potest aliquid lucrari ut nutriat filios, tunc pretium damni realis debet dari pueris, qui damnum patiuntur ex illâ patris sui diffamacione.

C O N S E C T A R I U M V. In restitutione ortâ ex ablatione & detentione bonorum temporalium, res ablata vel detenta debet reddi ei, à quo juridicè exigi potest, etiam si non sit verus illius Dominus : quia si ei res non redideretur, pateretur damnum, cum ab illo res exigi juridicè posset.

Sic depositum reddi debet depositario ; quia ejus est illud custodire : pignus debet reddi creditori ; quia ejus est in assecurationem debiti : commodatum reddi debet commodatario ; quia ejus est ad usum ; vestis sarcienda est reddenda sartori : lintealavanda lotori ; quia ejus est quo ad illum usum ; & quia juridicè procedendo ab eis ea res ablata exigi potest, & tenentur eam reddere.

C O N S E C T A R I U M V I. In restitutione rei furtivæ, acquisitæ per emptionem vel donationem, res furtiva vel per emptionem,

530 MORALIS CHRISTIANA.
vel per donationem accepta, debet reddi vero
Domino; quia res Domino clamat.

Sic qui emit malā fide rem furtivam, non
potest eam retinere, non potest furi reddere,
sed vero Domino debet una cum damno emer-
genti restituere.

1°. Non potest eam retinere, nec alteri
dare aut vendere: quia aliena est.

2°. Non potest furi reddere exigendo datum
preium; quia reddendo furi Dominus re suā
privaretur, & particeps furis fieret, qui eam
in manibus furis reponeret.

3°. Debet eam vero Domino reddere una
cum suis fructibus, reparando luctum cessans,
& damnum emergens; quia res Domino cla-
mat, res Domino fructificat.

4°. Debet rem furtivam in manibus veri
Domini collocare suis expensis; quia partici-
pando furtum, debet poenam furto debitam
subire.

Sic qui dubiā fide emit rem furtivam à fure
stante dubio, debet verum Dominum inquirit-
re & Domino comperto rem reddere debet,
nec datum preium potest exigere à Domino,
sed solum à fure.

1°. Emendo peccat; quia agit in dubio,
nisi emeret eo fine, ut rem furtivam vero Do-
mino redderet: quia tunc negotium ageret
illius, cui res ablata est.

2°. Stante fide dubiā debet verum Domi-
num inquirere; quia dubia fides non dat titu-
lum possidendi, sed imponit obligationem ve-
rum Dominum inquitendi.

3°. Non potest furi reddere: quia pro certo
habet, quod non ad furem pertineat.

4°. Non potest exigere pretium à Domino , cui redditur : quia emens in dubio animo retinendi , potest tantum à fure pretium exigere , minimè verò à Domino , cuius negotium gerere nequaquam intendebat.

Sic qui emit rem furtivam bonâ fide , stante bonâ fide , potest de eâ quasi de re suâ disponere , sed cessante bonâ fide , non potest rem furtivam retinere , non potest eam vendere , vel dare , non potest furi reddere , ut ab eo exigit pretium , sed tenetur vero Domino reddere , & pretium à fure exigere.

1°. Stante bonâ fide potest de eâ re , quasi de suâ disponere : quia bona fides dat titulum possidendi.

2°. Cessante bonâ fide non potest rem furtivam retinere ; quia non ejus est , nec ipsius reputatur , sed ut aliena haberet debet.

3°. Non potest furi reddere ; quia non pertinet ad furem : & quia Dominus iustè exigit eam sibi redi , & non furi , & si res deferatur ad judicium , judex jubebit eam reponi in manibus Domini , & non in manibus furis.

4°. Non potest exigere pretium à Domino : quia nullum habet titulum , cum non emit rem nomine Domini , sed suo nomine.

5°. Qui emit rem furtivam bona fide , eamque bonâ fide vendidit , si re à se venditâ cognoseat eam esse furtivam , & habeat valorem rei venditæ , debet rescindere contractum , exigere rem venditam ab emptore , reddendo ei perceptum à se pretium , & ipsam rem vero Domino reddere. Debet rescindere contractum ; quia est invalidus , cuna vendi-

derit rem non suam , sed alienam .. Debet rem Domino reddere ; quia res Domino clamat : sicut qui dedit monetam adulteratam , debet falsam repetere , & dare bonam .. Si autem inique contradicente emptore , vel alio quocumque modo non possit recuperari res , debet extans illius premium reddere-

CONSEC TARIUM VII. In restituzione faciendā ignoto , mortuo , absenti , hæc sunt observanda. Quacumque ex causâ contingat restitucionem faciendam esse ignoto , mortuo , vel absenti : mortuo succedit hæres ; quia hæres est una persona cum defuncto. Ignoto omnino & simplicitè substituuntur pauperes. Absenti nemo substituitur , sed absens debet admoneri , ut de re sibi restituendā disponat. Ita D. Thom q. 62. a. 5. ad 3.

Sic si Dominus , cui debebat fieri restitutio , obierit , inquirendi sunt hæredes , & eis debet bonum ablatum restitui juxta jus cuiuslibet hæredis.

Si Dominus sit ignotus in particulari , & non in communi , facienda est restitutio his , quibus probabiliter damnum illatum præsumitur , v. g. milites , qui urbem vastaverunt , tenentur restitucionem facere oppidanis. Qui minutatim vendendo carnem , vinum , oleum fraudavit emptores debet restituere illis , qui ad ejus officinam solebant accedere , considerans , quis plus minusve solitus esset emere. Ita Sylvius

Si Dominus sit ignotus & in particulari , & in communi , post diligentem inquisitionem , facienda est restitutio pauperibus , secundum judicium viri prudentis : etenim si

Dominus fit vir probus, præsumitur, inquit Sylvius, velle, ut illa bona data in Eleemosiam, cedant in utilitatem spiritualem illius; si sit malus, Respublica censetur injustam Dominis voluntatem corrigeret; & ita bona illa pauperibus erogare, ut sic cedant in bonum Reipublicæ.

Quod si Dominus aliquo tempore ignotus, posteà compareat, en quid opus factò, si compareat post diligenrem inquisitionem, pauperes monendi sunt, ut reddant, quod acceperunt, si non consumserint, vel si cædem res in aliquo Xenodochio repositæ fuerint. Si compareat, & diligens inquisitio non facta fuerit, ille, qui omisit talem diligentiam, debet restituere.

Si Dominus, cui debetur restitutio, sit absens, is debet moneri, & isto pacto est procedendum. Si res restituenda absenti sit exigui momenti, & Dominus tam remotè distet, ut arbitrio viri prudentis censeatur ratum habendum à Domino, quod res illa detur pauperibus, aut in pia opera expendatur, tunc danda est pauperibus.

Si res restituenda sit magni valoris, & mitti non possit nisi magnis sumptibus, debet mitti sumptibus ejus, qui injustè accepit, quoniam ipse semper fuit in morâ, & in causâ iniquâ, cur Dominus rem suam non possideat. Si vero habeat rem sine injustâ acceptione, putâ quia invenit, quia apud eum deposita est, debet mitti sumptibus Domini, si Dominus exigit eam sibi mitti, vel debet in loco tuto deponi, donec ea commodius reddi possit Domino.

CONSECTARIUM VIII. In restitutio-
ne facindâ de rebus inventis , hæc sunt obser-
vanda. Res inventa , quæ non est primi oc-
cupantis , qualia sunt , quæ nullius sunt , &
quæ non habetur pro derelicto à vero Do-
mino , sed quam verus Dominus præsumitue
inquirere , reddenda est vero Domino ; quia
res Domino clamat ; & si post diligentem in-
quisitionem verus Dominus non compareat ,
pauperibus aut danda est , aut destinanda ,
deponendo eam in aliquo Xenodo hio. Si in-
ventor sit in extrema vel gravi necessitate ,
potest eam retinere , ut diximus , ubi de furto
circa res inventas.

1º. Si res inventa sit nullius , aut pro
derelicto habeatur , potest retineri ab in-
ventore ; etenim ea est primi occupantis.

2º. Si res inventa sit alicujus , qui eam
non abjecerit , quinimò querat , ei red-
denda est ; ad illum enim pertinet , qui
eam nedum abjecit , sed etiam sollicitè querit.

3º. Si Dominus post diligentem inquisitio-
nem non compareat , res danda est , vel des-
tinanda pauperibus : præsumitur enim eam
esse Domini voluntatem , ut res perdita con-
vertatur in opera misericordiæ , ut profit ad
salutem animæ , cum non inservit ad bonum
corporis.

4º. Si inventor sit pauper , potest rem in-
ventam , quæ pauperibus danda est , tan-
quam pauper retinere ; quia ex eo quod invene-
rit , non est deterioris conditionis , quam alii pau-
peres. Si tamen res magni sit pretii , habitâ
ratione inventoris , debet eam cum aliis pau-

peribus communicare ; solus enim ipse non totum jus habet ad rem inventam.

CONSECTARIUM IX. De restitutione facienda circares incertas, idest, quarum Dominus ignoratur. In restitutione facienda circa res incertas, hæc sunt observanda.

Si hæc bona incerta sint acquisita per contractus illicitos, v. g. per usuras, debent dari pauperibus. Ita determinavit Alexander III. Cap. *cum tu. De usuris.* Ubi mandat usuras his, à quibus extortæ sunt, vel eorum hæredibus, restitui, vel iis non supervitibus, pauperibus erogari; in hoc enim Papa sequitur sententiam Augustini relati Canone qui habetis. 14. q. 8. qui habetis, inquit, de malo, facite inde bonum. Si bona incerta sint acquisita mediis innoxiis, v. g. inventione, dono, ubi apparent non esse nostra, danda sunt pauperibus, uti diximus de rebus inventis.

ARTICULUS II.

Quis ordo servandus, quando sunt plures ; quibus fieri debet restitutio.

PROPOSITIO unica. Quando debitor non potest omnibus & singulis creditoribus satisfacere, potest verò aliquibus, iste ordo servandus est. Illi prius fieri debet restitutio, qui intimius jus habet, vel in re, vel ad rem.

Probatur Ratione. Ordo justitiae postulat, ut qui potior est in jure, prior etiam sit in accipienda solutione : ergo illi prius debet

fieri restitutio , qui habet jus intimius , vel in
te , vel ad rem .

Consecratio hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Quicumque ha-
bet rem alienam in specie , quocumque ti-
tulo habeat , ante omnia , rem illam alienam
vero Domino debet restituere ; quia res
Domino clamat .

Sic res depositæ , res furto , vel rapinâ
occupatae , si adhuc extant , sunt ante omnia
restituendæ ; quia hujusmodi res , ut notat
Caj. non computantur inter bona restituentis;
quia illarum Dominium numquam fuit trans-
latum in eum , qui eas occupat .

Sic res empta & possessa , sed nondum
soluta , si adhuc in suâ specie extat , red-
denda est illi , à quo empta est ; quia , ut
notat **Caj.** licet translatum fuerit dominium in
eum , qui emit , subjecta tamen manet
ipsamet res empta obligationi , donec soluta
fuerit , & censenda est , quasi non fuerit inter
bona emptoris .

Sic pignora extantia data ad assecurationem
debiti , debent reddi soluto debito ; quia
pignoris Dominium non translatum fuit in
mutuo dantem .

C O N S E C T A R I U M II. Prius solven-
da sunt debita certa , quam incerta ; quia
debita certa jure naturæ debentur creditorî ,
incerta vero jure positivo debentur pau-
peribus .

Sic nocuisti Titio , teneris ei prius satis-
facere , quam erogare pauperibus , rem quam
invenisti ,

invenisti, & cuius Dominus est incognitus.

C O N S E C T A R I U M III. Prius satisfaciendum est creditoribus realibus, quam personalibus, id est his, qui habent actionem in rem, quam in his, qui habent solum actionem in personam quia jus in re intimius est, quam jus ad rem.

Sic habes equum furtivum, qui a te bona fide emptus est, & quem daturum te petro promisisti, debes equum illum prius restituere ei, a quo sublatu*s* est, quam ei dare, cui a te promissus es.

C O N S E C T A R I U M IV. Prius solvenda sunt, quae debentur ex justitiâ rigorosâ, quam ea, quae gratuitò promittuntur; quia debitum est prius promissione, & quia nemo potest licetè promittere ea, quae data eum efficiunt incapacem solvendi debita.

Sic omnia tua bona vix sufficiunt ad satisfaciendum creditoribus, voluntariè promisisti te daturum centum florenos Titio, debes solvere prius debita, quam adimplere promissum.

C O N S E C T A R I U M V. Inter creditores reales, privilegiatis, ut dicunt, prius satisfaciendum est, quam non privilegiatis, & inter creditores non privilegiatos, illis prius est satisfaciendum, qui priores sunt; quia qui prior est tempore, potior est iure, ut dictum est, ubi de hypotheca.

C O N S E C T A R I U M VI. Debita ex contractibus per se justis, qui contrahentem faciunt ditionem, putâ contractus mutui accepti, emptionis, &c. prius sunt solvendâ, quam restituendâ sint usuræ injustè acceptæ;

Si enim hujusmodi contractus justi priores sint tempore usuris injustè acceptis, hoc ipso quod sunt priores, magis obligant contrahentem, quam restituendæ usuræ; qui enim prior est tempore potior est jure. Si vero prædicti contractus justi superveniant usuris injustè acceptis, magis iterum obligant contrahentem, quam restituendæ usuræ injustè acceptæ; quia debita ex his justis contractibus suscepit invito simpliciter Domino retinetur; usuræ vero quamvis injustè acceptæ Domino secundum quid consentiente retinentur, nec pauperiorem faciunt contrahentem ad solvendas usuras minus potentem.

Sic usurarius vel ante vel post usuras injustè acceptas, emit fundum, & non solvit pretium. Post vero tactus dolore cordis, vult & usuras restituere, & pretium fundi empti solvere.

Si non potest singulis, quibus obligatur, facere satis, debet prius solvere pretium fundi empti, quam usuras injustè acceptas restituere; quia venditor jus habet intimius in bona usuratii, quam mutuatarius.

CONSECTARIUM VII. Debita ex contractu, qui contrahentem reddunt pauperiorem, qualis est donatio, non sunt solvenda ante usuras reparatas, sed solum post usuras reparatas; quia mutuatarius jus habet intimius in bona usuratii, quam donatarius; quia iste nihil damni passus est ab usurario, maximè vero mutuatarius.

Sic si usurarius, vel ante usuras, vel post usuras, promisit aliquid, debet prius usuras reddere, quam promissis stare.

CONSECTARIUM VIII. In solutione & restitutione facienda servandæ sunt leges civiles , & municipales , quoties juri naturæ non aduersantur ; quia debent præsumi illæ leges latæ ob publicam utilitatem , sic observanda sunt , quæ diximus , ubi de hypothecâ.

ARTICULUS III.

De tempore , quo debet fieri restitutio.

PROPOSITIONE unica. Quoad præparationem animi statim restitutio decernenda est ; quoad executionem , facienda est tempore congruo.

Probatur 1º. Scriprurâ. Ille qui conducit mercenarium , non potest differre restitucionem , juxta illud levi. 16. *non morabitur opus mercenarij tui usque mane apud te : ergo neque aliis restitutionibus faciendis potest fieri dilatio , ideo Abimeleh restitucionem Saræ suo viro reddendæ non distulit , sed statim de nocte consurgens vocavit omnes servos suos ... Et vocavit Abraham , reddiditque illi Saram uxorem suam. Gen. 20: v. 8.*

2º. Ratione. Non licet manere in peccato , etiam modico tempore juxta illud : *ramquam à facie colubri fuge peccatum : ergo neque manere in animo non restituendi ; quia animus non restituendi est peccatum, cum sit detentio rei alienæ invito Domino , & præcepto negativo repugnet.*

3º. Præceptum restitucionis est secundum formam verborum affirmativum ; *alienum res-*

540 MORALIS CHRISTIANA;

titues ; secundum sensum est negativum : non detinebis alienum. Ergo ut observetur præceptum restitutionis , ad semper & pro semper deponendus est animus non restituendi , & congruo tempore restitutio est exequenda : quia præcepta negativa obligant ad semper & pro semper ; affirmativa verò obligant ad semper , sed non pro semper.

Consecraria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Detentor rei alienæ tandiu est in peccato , quandiu non est in proposito sincero & efficaci datâ proximè occasione restituendi : quia restitutio est statim decernenda.

CONSECTARIUM II. Detentor rei alienæ potens restituere , & non restituens , non est absolvendus : quia est in statu peccati.

CONSECTARIUM III. Executio restitutionis debet fieri opportuno loco & tempore. Quod affirmativum est in præceptis negativis , prudenter est exequendum : non enim , inquit Cajetanus , oportet surgere mediâ nocte ad restituendum , sed cum prudentiâ altum restituendi exercere , servando congruas circumstantias loci & temporis. Abimelech autem etiam mediâ nocte surrexit ; erat enim periculum incontinentiæ ex patre ipsius , quod promptissimè erat removendum.

ARTICULUS IV.

Quandonam vel omnino omitti, vel ad tempus
suspendi possit, & debeat restitutio-
necessariò facienda.

PROPOSITO unica. Totiès restitutio;
 aut omnino omitti, aut saltem ad tem-
 pus suspendi potest, quotiès imprudenter fac-
 ta noceret spiritualiter, vel ei, cui fieret,
 vel ei, à quo fieret, & quærendà media, qui-
 bus absque ullo nocumento spirituali fiat
 restitutio.

Probatur. 1º. Scriptura ex D. Paul. ad Rom. 3. non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona : ergo quantumvis præcep-
 tum restitutionis urgere videatur, non est facienda restitutio in his circumstantiis, in
 quibus noceret spiritualiter, & ei, cui fieret aut ei, à quo fieret.

2º. Ex D. Thom. 2. q. 62. a. 5. ad 1º
 ubi sic habetur : Quando res restituenda apparet
esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda
est, vel alteri, non ei debet tunc restitui : quia
restitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui resti-
tuitur : omnia enim, quæ possidentur, sub ra-
tione utilis cadunt. Nec tamen debet ille, qui
detinet sic rem alienam, sibi appropriare, sed vel
reservare, ut congruo tempore restituat, vel
eiiam alteri tradere tutius conservandam. Quod
maximè debet intelligi, cum nocumentum
est spirituale.

3º. Ratione. Restitutio est actus virtutis
 moralis, scilicet justitiae : ergo debet regu-

Iarī per rationem ; quia virtus est recta ratio. Debet etiam dirigi per charitatem : quia finis præcepti est charitas : ergo totiès potest , imò etiam debet omitti , aut suspendi , quotiès nocitura est spiritualiter , vel ei , cui fieret , vel ei , à quo fieret. Quippe & ratio & charitas dictant tunc non urgere præceptum , quod sine detimento spirituali observati non potest.

Conspectus arria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Totiès aut omitenda , aut suspendenda est restitutio , quotiès res restituenda noceret ei , cui fieret , maximè si ei noceret spiritualiter : bonum enim spirituale proximi est præferendum bono temporali , quod ei ex restitutione posset evenire.

Sic non restituendus est liber hæreticus , hæretico : liber lascivus impudico : argentum ei , qui illud consumpturus est ludis , commissariibus , impudicitiis , &c. tunc enim restitutio noceret spiritualiter ei , cui fieret.

Sic quando pater familias solet bona familiæ dilapidare , restitutio non est facienda patri-familias , qui ea bona malè consumit , sed uxori , quæ eadem bona in utilitatem familiæ impendit. Item quando Prælatus Ecclesiasticus bona Ecclesiæ in pravos usus insumit , non ei , sed pauperibus , quorum bona illa sunt , debet fieri restitutio. Item cum quis usurpus est bonis suis ad opprimendos innocentes , non ei restituenda sunt bona , quibus innocentes opprimat , sed alicui tradenda , qui eis sanctè utatur in bonum ipsius - met possessoris : in istis tamen casibus ea cautela adhiben-

da, quā fiat, ut debitor bis idem solvere non obligetur.

C O N S E C T A R I U M II. Toriēs aut omitenda est, aut differenda restitutio, quotiēs imprudentē facta noceret spiritualiter restituenti: quia bonum nostrum spirituale præferendum est bono temporali proximi.

Sic non potes restituere, nisi occultum tuum crimen detegendo, debes crimen tuum occultare, & interim per alium restituere. De quo ita D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 6. ad 2. dicendum, quod homo, eisī non teneatur crimen suum detegere hominibus; tenetur tamen crimen suum detegere Deo in Confessione: & ita per Sacerdotem, cui confitetur, potest restitutionem facere rei alienae.

Sic contra ordinem juris prodidisti crimen proximi, verum quidem, sed occultum; nos potes famam restituere, nisi per mendacium, debes omnino à mendacio abstinere, & quantum poteris citra mendacium proximo satisfacere. De quo ita D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 2. cum aliquis, inquit, prodit crimen alterius contra ordinem debitum; tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen: ut pote quod dicat se male dixisse, vel quod injustè eum diffamarerit, vel si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut in aliis dictum est.

Errata quarti Voluminis.

- Pagina 3. lin. 3. reipublica pro reipublicæ.
Pag. 14. lin. 15. dominium pro diminutum.
Pag. 17. lin. 16. juxta pro justa
Pag. 20. lin. 4 extentibus pro extantibus.
Pag. 27. lin. 1. statuæ pro statutæ.
Pag. 32. lin. 21. iniant pro ineant.
Pag. 35. lin. 10 adde initos post fraudem, &
dele ex sequenti linea
Pag. 49. lin. antepenult. post accessio dele ex.
Pag. 59. lin. 6. nemine pro nemini.
Pag. 68. lin. 3 plurimum pro plurium.
Pag. 69. lin. 14. debitas pro debita.
Pag. 89. lin. 28. certa pro circa
Pag. 93. lin. 15. destinatur pro destinantur.
Pag. 97. lin. 5 post. tangi adde non.
Pag. 101. lin. penult invalidè pro invalidi.
Pag. 102. lin. 16. dele punctum post bonum.
Pag. 104. lin. 23 inualidi pro validi.
Pag. 114. lin. 28. pateret pro peteret.
Pag. 115. lin. 2. quod pro quos.
pag. 116. lin. 10. malitatis pro malignitatis.
Pag. 118. lin. 6. exorta pro extorta.
Pag. 120. lin. 2. reversa pro re vera, & L. 10.
patrocinari pro patrocinari.
Pag. 125. lin. 13. crissum pro cassum, & est pro esse.
Pag. 137. lin. 1. resolventi pro resolventis,
Pag. 142. lin 9 acceptabit pro acceptavit.
Pag. 155. lin. 18. bonæ pro dubiæ.
Pag. 241. lin. 10. hoc pro hac.
Pag. 254. lin. 20 do pro de.
Pag. 399. lin. penult. illitus pro illicitus.
Pag. 410. lin. 23. referatum pro obseratum.
Pag. 451. lin. 11. addunt pro reddunt.
Pag. 485. lin. 8. rit pro erit.

